Torradentes

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 4
37 H
22

C.98.

DIVI IACOBI EPISTOLA, CHRISTIANORVM IVSTOS ac integros mores exprimens oratione.

COMMENTARIIS, *ac variorum locorum communium diligenti tractatione explicata, & Chriſtianis concionibus accommodata. Authore* F. FRANC. FEV-ARDENTIO, *ordinis fratrum Minorum, Pariſienſi Theologo.*

Additus eſt index Scripturarum, quæ obiter exponuntur, locorum communium, & rerum inſigniorum.



PARISIIS,
Apud MICHAELEM SONNIVM, via Iacobæa, ſub ſcuto Baſilienſi.
M. D. XCIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, BONAVENTVRÆ A CALATAgirone, Siculo, totius ordinis S. FRANCISCI generali Miniſtro, F. FR. FEV-ARDENTIVS, eiuſdem ordinis, ac Pariſienſis Theologus, S.

ET ſi gratiam referre tantam non poſſumus quantam debemus Deo præpotenti, Pater Reuerendiſſime, habenda tamen eſt quãtam maximam animi noſtri capere poſſunt, quòd non modò ſacras Scripturas, (quæ non alio loco quàm Diuinæ voces æſtimari debẽt) in Eccleſia ſuâ extare voluerit: verùm & fidos ſinceróſque ſemper earundem contulerit interpretes, qui abſtruſa ſenſa, difficiliáque illarum loca nobis paruulis patefacerent & reuelarent. Illis etenim comprehenduntur altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſempiterna quoque virtus eius & Diuinitas, inueſtigabiles

Sacræ ſcripturæ plurimis in locis ſunt obſcuræ.

Rom. 1. & 11.

viæ, & occulta iudicia; quæ nemo capiet, niſi
Eccl. 1. Spiritus ſancti clariſſima luce colluſtratus. Si arenā maris, pluuiæ guttas, & dies ſæculi, nemo dinumerauit: altitudinem cœli, latitudinē terræ, & profundum abyſſi, dimenſus eſt nemo: ſapientiam Dei præcedentem omnia, potentiam qua condita ſeruantur omnia, iuſtitiam & miſericordiam per quam iudicantur omnia, quis perſcrutabitur? Prophetarum ſchemata, phraſes, ænigmata, dicendi figuras omnes: Apocalypſeos myſteria; æternæ præſcientiæ, electionis, prædeſtinationis, & reprobationis conſilia; diuinarum perſonarum emanationes, quis agnouit? quis pro dignitate aperiet? quis enarrabit? An non Apoſtolorum
2. Petr. 3. princeps apertè pronunciat, coapoſtolū ſuum
Act. 8. Paulum quædam ſcripſiſſe intellectu difficilia? Eunuchus quoque ſtudioſiſſimus vir diſertè confitetur, ſe Iſaiæ vaticinia intelligere non poſſe, niſi aliquis interpretaretur? Quorſum
Luc. 24. Dominus Apoſtolis ſuis aperuiſſet ſenſum, vt intelligerent Scripturas, ſi cunctis eſſent peruiæ & faciles? Tot certè diuerſæ, aduerſæ, atque peruerſæ Hæreſiarcharum ex Hebræo vel Græco nouæ tralationes, annotationes, & commentationes, aduerſus propriam ipſorum impudentiam ſatis euincunt, illas perobſcuras, nec cuiuis expoſitas eſſe.

Hoc ipſum ſummæ pietatis ac eruditionis viri palam confitentur, vt cùm beatus ille
Epiſt. 9. Areopagites ſcribit: *Prophetas obſcura quædam ænigmata, Diuinam plenámque myſteriis, ac profanis*

inaceſſam Veritatem enunciaſſe. Iterúmque: *Arcana idcirco velata eſſe, ne profanis fierent peruia, quæ ſacratiſsimi ſunt, ſoliſque Dei amatoribus aperta paterent.* Diuinus quidam ſenex Iuſtino quoque tunc adhuc Philoſopho, poſtea fortiſſimo Chriſti martyri, ſanctè conſulens, *vt ex oraculis Prophetarum doctrinam ſalutis hauriret*, adiecit. *Tu, ante omnia precare, vt tibi aperiatur lucis ianua. Non ſunt enim hæc cuiuis perſpicua: ſed ſolis quibus intellectum dat Deus, & Chriſtus ipſius.* Irenæus & ipſe Martyr multis contendit, *Scripturam ſacram vt à Verbo Dei & Spiritu eius profectam, tantis myſteriis abundare, vt ad earum intelligentiam, reuelatione ſit opus: in tanta præſertim humanæ mentis caligine, vt ad ea quæ ante pedes ſunt perſæpe cæcutiamus.* Et Clemens Stromateus indicat, *Dominicas parabolas neminem intelligere poſſe, niſi ſapiens & qui diligit Dominum.* Eximius Antiſtes Auguſtinus hoc idem non ſolùm confirmat, ſed & illius aſſignat rationem: nimirum, *quòd Deus hoc prouiderit, Ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata vileſcunt.* Et alibi ſcribit. *Tantam in his latere altitudinem ſapientiæ, vt annoſiſsimis, acutiſsimis & flagrantiſsimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura dicit: Cùm conſummauerit homo, tunc incipit.* Quibus clarum & certum eſt, plurimas Scripturæ partes perobſcuras & difficiles eſſe, nec planè rectéque intelligi poſſe, niſi eodem afflante Spiritu diuino, à quo ſunt reuelatæ.

In initio Dial. cum Tryp. *L. 4. c. 47.* *Lib. 6.* *L. de doct. Chriſt. c. 6.* *Epiſt. 3.* *Eccl. 18.*

Quid verò? Non cuilibet etiam priuato, &

laico, ſe hunc Spiritum habere, & germanum Scripturæ ſenſum ſeſe tenere & tradere iactanti credendum & adhærẽdum eſt? Hoc quidem contendunt huius ſæculi hæreſiarchæ:
1. Cor. 12. ſed ſacrorum theatra tota reclamant. Paulus in primis adfirmans, interpretationem ſermonũ ſpeciale donum eſſe, non omnibus promiſcuè conceſſum. Hinc Petrus docet, *Scripturam non*
2. Petr. 1. *propria interpretatione*, id eſt, ſingulari cuiuſque
1. Io. 4. iudicio, *fieri*. Inde Ioannes admonet, *non omni ſpiritui credendum eſſe, ſed probandum an ex Deo ſint.*
Deut. 17. Quin & Deus ipſe, in rebus fidei ambiguis
Exod. 18. ac difficilibus non vult cuiuſcunque ſtandum eſſe priuato iudicio: ſed ſacerdotum ſententiã
Malach. 2. exquirendam & amplexandam. *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt.* Et de corruptiſſimis quibuſdam etiam paſtoribus
Matth. 23. Chriſtus ſtatuit, *Quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite, &c.* Ecquænam blaſphemiarum mõſtra, ac hæreſeôn portenta non renaſcentur ac prodibunt, ſi Scripturas diuinas cuique turpificato nebuloni pro libito tractare ac interpretari liceat? An non Sacramentariorum, Vbiquiſtarum, Suenckfeldianorum, Anabaptiſtarum, Trinitariorum, nouorum Arianorum, & Libertinorum, horrenda & deprecanda exempla demonſtrant? Quis denique diſſidẽtium de religione ſententiarum, vnoquoque interpretationem ſuam mordicus retinente ac propugnante, finis? quæ & quando ſperanda concordia? Quid profuerunt tot inter Luthera-

nos & Sacramentarios inita colloquia? Non inde magis irritatis, infeſtis & hoſtilibus animis vtrique diſceſſerunt? Ergo cuiuis iam perſpicuum & ratum eſſe puto, Spiritum ſanctum Scripturarum authorem, Eccleſiæ Chriſtianæ continuò proſpexiſſe de fidis ac germanis illarum interpretibus, qui vera earundem ſenſa eruerent, aliiſque patefacerent, atque eo modo conſcientiis hominum trepidantibus atque hæſitantibus ſalutariter prouiderent atque conſulerent.

Ecquinam iſti, vt hos audiamus, & qua decet reuerentia colamus & obſeruemus? Summi in primis Eccleſiæ ſanctæ Pontifices, & ab his probata Concilia. Illis etenim D. Petro in regenda nauicula Eccleſiaſtica ſuccedentibus, præceptum eſt, vt hac in altum educta mare, retia laxent in capturam: hoc eſt, *in profundum diſputationum*, inquit Ambroſius, nimirum, vt has diſcutiant, ſoluant, terminent. Item: *quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo:* quæ non ſolùm ad peccata, verùm & ad dubia quæque diſſoluenda pertinent. Hinc Eccleſiæ non obaudientem inſtar Ethnici reputandum Chriſtus ſtatuit: & oues ſuas paſcendas Petro, & ſucceſſoribus eius commiſit: rogauitque ne fides eorũ deficeret: quod in hac ſede Romana, aliis omnibus Apoſtolicis miſerè proſtratis, & conuulſis, in hunc vſque diem (ſingulari gratia Dei) conſpicimus adimpletum & ſeruatum. Hanc ob rem Ignatius martyr ſcribit, *iſtam Eccleſiam in loco regionis Romanorum (aliis nimirum)*

Luc. 5. *Com. in Luc.* *Matth. 16.* *Matth. 18.* *Io. 21.* *Luc. 22.* *Init. Epiſt. ad Rom.*

Euſeb l.3. *præſidere.* Clemens martyr eiuſdē nomine potē-
Hieron. in Catal. tiſſimas literas miſit ad diſſidētes Corinthios.
Iren. epiſt. ad Vict. Polycarpus martyr, toti⁹ Aſiæ primas, Anicetū Ro. Pontificē de rebus controuerſis præſens
Hieron. conſulere voluit. Iuſtinus martyr præſtāti do-
Euſeb. ctrina, fortiſſimóque martyrio iſtā non parū illuſtrauit. Irenæus martyr docet, *neceſſe eſſe ad hāc*
L.3.c.3. *Eccleſiā omnes qui ſunt vndique fideles conuenire.* Cyprianus martyr adfirmat, *Perfidiam non poſſe vllū*
Epiſt.18. *ad illam acceſſum habere.* An nō locupletiſſimi & certiſſimiqua de re agimus, teſtes? Sed totidem ex ſanctiſſimis Confeſſoribus, quot è fortiſſimorum Martyrum numero excitemus.

Paulinus Antiochenus Patriarcha, vnà cum
Hieron epi. ad Principiam. Epiphanio Cypri, vt tumultuantem orientem pacarent, Romanam ſedem de dubiis conſuluerunt. Cæcilianus *Apoſtolicæ cathedræ principatum in ea ſemper viguiſſe* conſtāter docuit. Atha-
Epiſt. ad Marcum. naſius eandem *caput & matrem omnium Eccleſiarum palam* agnouit. Hieronymus Paſtorem illius Petri ſucceſſorem, vocemque eius Chriſti
Epiſt. ad Dam. vocem eſſe confeſſus eſt. Auguſtinus ſcripta
L.1. cont. duas Epi. Pelag. c.1. ſua eius Rectori examinanda, emendanda, & corrigenda ſimpliciter obtulit. Bernardus denique præſtans virtutis & ſapientiæ gloria, di-
Epiſt.190. gnum arbitratur *ibi reſarciri damna fidei, vbi non poteſt fides ſentire defectum.*

Sanctiſſimæ Sedi in enodandis Scripturarū difficultatibus, & obſcuris ſenſibus eruendis, omnium antiquorum & ſanctorum Patrum vnanimem conſenſum conſtanter & liberè ſubiecerim. Fieri quippe non poteſt, vt homi-

nes tam diſſitarum prouinciarum, ætatum, & linguarum, eadem de eiſdem ſentiant, credant, teſtificentur & ſcribant, niſi ſuggerente & dictante eo Spiritu ſancto qui multitudinis credentium effecit eſſe cor vnum & animam vnã, & diſpertitis linguis vnum dedit ignem: quod vel ex Philoſophorum, ac Hæreſiarcharum, & ſecum, & cum aliis & cum veritate pugnantium apertis atque pudendis diſſidiis toti mundo perſpicuum eſt. Certè ambigi non poteſt, quin illis Scripturam explanantibus adfuerit Spiritus Domini, qui *poſuit illos paſtores, vt regerent Eccleſiam, quam Chriſtus acquiſiuit ſanguine ſuo. Dedit paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorũ, donec omnes occurramus in virum perfectum.* Horum exitum intuentes, Apoſtolus iubet fidem imitari. Hi pro Apoſtolis & Diſcipuli nati ſunt filij. Legatione pro Chriſto functi ſunt, Deo exhortante per eos. Et licet homines fuerint, Spiritus tamen Patris Chriſti loquutus eſt per eos. Ergo his inconſultis ac cõtemptis, ſacras adire literas, non intelligere, ſed hallucinari: non ſapere, ſed deſipere eſt. *Omnis ſermo ei conſtabit*, inquit Irenæus martyr, *qui Scripturam legerit apud eos, qui in Eccleſia ſunt Presbyteri, apud quos eſt apoſtolica doctrina.* Horum ſenſa Ambroſio ſunt *hæreditatis ſignacula, nulla temeritate violanda: & libri ſignati à confeſſoribus, Martyrum autem ſanguine conſecrati.* Auguſtinus horum ſententiis illos cenſet aſſentiri debere, *in quibus aliquis Dei timor, vel hominũ pudor ſupereſt, cũ incorruptos, & ab omni ſtudio partiũ alienos, eos iudices eſſe nemo neſciat.*

Act.1. & 2.
Act.20.
Eph. 4.
Heb. 13.
Pſal. 44.
2. Cor. 5.
Matth. 10.
L.4.c.52.
Epiſt. 21.
l.1. & 2. cont. Iul. Pelag.

L. de morib. Eccl. Catholic. Idẽ alibi affirmat eos eſſe *Catholicæ fidei ſtrenuos defenſores, lumina ciuitatis Dei, beatos Eccleſiæ filios, Spiritus ſancti templa, ſacrarũ diſputationũ cognitores, poſt Apoſtolos Eccleſiarum plantatores, & iudices vt hæreticis terribiles, ſic Catholicis exoptabiles, &c.*

Sed quorſum tam accurata & altè repetita de Scripturæ obſcuritate, repudiando priuato ſpiritu, & fidis eius explanatoribus ſpectat oratio? Iam tempus eſt, vt tibi Reuerẽdiſſimo, mei autem amantiſſimo Patri, rationem exponam. Cùm ſuperioribus annis in contentioſo dicendi genere verſatus, aduerſus pluſquam octingentas Caluinianorum hæreſes tam Latinè quàm Gallicè ſcriptis editis dimicauerim, & nullus adhuc ex iſtis Gigantum fraterculis prodeat, qui ſua aduerſus noſtras accuſationes defendat, exprobrétque agminibus Dei viuentis: ad mitiora interim ſtudia, id eſt, ad Catholicas Apoſtolorum epiſtolas commẽtariis exponẽdas adieci animum: & quibus fultus præſidiis, quibúſque munitus auxiliis id aggredi ac perſequi conſtituerim, tibi in primis, & aliis deinceps qui noſtra ſunt lecturi, patefaciam. Nimirum vnius, ſanctæ, catholicæ, & apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ publica fide, & diuinorum patrum ditiſſimis & fœcundiſſimis prõptuariis.

Has autem vigilias & commentationes noſtras tuo nomini dicandas, & offerendas iccirco iudicaui, quòd non modò de Sicilia tua, de toto ordine noſtro, de Galliarum qua nũc gaudemus tranquillitate, verùm & de ſingulari er-

ga me humanitate ac beneuolentia, idipſum promerueris. Aiunt Platonem gratias quondã egiſſe naturæ, primùm quòd homo, quòd Græcus, poſtremò quòd Athenienſis natus eſſet: Tu non minus in Deo ſalutari tuo exultare poteris, quòd Sicilia, omnium inſularum optima, inquit Diodorus, & huius illuſtri genere, ſis ortus. Nam quicquid hæc ſiue ſoli, ſiue hominis ingenio gignit, authore Solino, proximum eſt his, quæ optima iudicantur. Tullius quoque viros Siculos acutos eſſe pronunciauit. Hinc Diodorus, Archimedes, Dion, & innumeri alij viri optimis artibus præſtantes. Vrbes eius ſeptuaginta duas Plinij ætas numerauit: nunc duodecim diœceſibus ampliſſimis ornatur: & contra vim Turcarum, occiduis partibus fortiſſimum eſt propugnaculum.

Plutarch. in Mario. *Lact. l. 3. c. 19.*

Hæc, fateor, externa ſunt ornamenta, ſed non aſpernanda, maximè cùm propria non deſunt: Primam iuuentam ſtudiis philoſophicis diligenter excoluiſſe, & ex Porphyrij, Ariſtotelis, Platonis lectionibus, totius naturę ſupernæ, mediæ, infernæ rationes didiciſſe: ac de his copioſè & acutè poſſe docere atque diſſerere, vt ſæpius dicentem te celeberrima illa Pariſienſis ſchola noſtra admirata eſt, quanta nunc tibi cordis oblectatio? quantus animi decor & ornatus? quàm planum & peruium ad maiorem gloriam iter? Eſt enim Philoſophia omnium laudandarum artium procreatrix, & omnium bene factorum & bene dictorum parens: quo bono nullum optabilius, nullum

præſtantius datum humano generi.

Huic quàm opportunè iuris canonici atque ciuilis per te cōiuncta fuerunt ſtudia, vt ſacrarum ſimúlque ciuilium rerum peritus, quocunque vocaret Spiritus Domini, magnis rebus gerendis eſſes idoneus? Oportet enim vtriúſque iuriſconſultos homines in æqui boníque cognitione verſari: & eam poſtea vtilitati publicæ ſtudioſè impendere. Laudantur Adrianus & Seuerus ſummi Imperatores, quòd iuris peritorum opera in rerum adminiſtratione vſi, horum conſortiis & colloquiis plurimùm ſint delectati: quandoquidem ſine his ſtudiis tantum imperium rectè ac feliciter adminiſtrari non poſſe prudenter exiſtimauerunt. Solem ergo è mundo tollere velle videntur homines feri ac barbari, qui iuriſprudentiam è vita ſublatam eſſe cupiunt, vt perturbatio ſequatur, & rerum omnium horrenda cōfuſio.

Quid tum? Selecto organo ſuo Spiritus diuinus ſuggeſſit, vt mundo longum valere iuſſo, ſub b. P. FRANCISCI vexillo militans, Eccleſiæ cath. vtilitati ſtudia, labores, & operas ſuas impenderet, ac ſacræ pręſertim Theologiæ totus incumberet. Equidem credibile non eſt, quàm ſedulam operam Scholaſticorũ quæſtionibus, ſpeculationibus, finitionibus dederis: Scoti ſubtilitates, Thomæ ſolutiones, cum Bonauenturæ ſolida pietate coniunxeris: adyta eorum acutiſſimè indagaris, inueneris, è tenebris erueris. Hinc ſacræ literæ dies no-

ctæſque peruolutæ, & ſacris meditationibus expenſæ: ac earum ſententiæ (vt de Baſilio & Nazanzieno ſcribit Ruffinus) ex maiorũ ſcriptis perquiſitæ. Inde ſuccedentibus annis, eruditæ conciones habitæ in ſummis Panormi, Romæ, Florentiæ, ac Italiæ templis. Dici non poteſt quot per iſtas ad Dei ſuique notitiam perducti animi: quot ſalutari pœnitentia, velut ex orci faucibus eruti ad vitæ cœleſtis ſemitas reuocati: quot à vitiis ad virtutes, à mutuis odiis ad mutuam caritatem, à deſperatione ad ſpem meliorem rediere. Plantaſti, rigaſti, opus feciſti euangeliſtæ, laboraſti vt bonus miles Chriſti IESV: Deus incrementum dedit. *Li. 11. hiſt,*

Ac vt ordini quem profeſſus fueras, non ſolum fores ornamento, ſed etiam vtilitati, Reuerendiſs. P. Franciſco à Tholoſa, eiuſdem ordinis Generali datus à Secretis, vniuerſum ſodalitium cum ipſo prudentiſſimè rexiſti. Inde totius ordinis conſenſu, in locum illius electus, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæque ſingulos ferè conuentus inuiſens, quanta fieri poteſt diligentia fratres tuos verbis & exemplis ad vitæ integritatem, & profeſſionis ſuæ obſeruãtiam excitas, hortaris, perducis. Macte noua virtute Pater, ſic itur ad aſtra.

Verùm, quid cunctor potiora in rempublicam Chriſtianam beneficia & merita tua commemorare? Maximis laudibus effertur d. Bernardus, quòd ſchiſmata Eccleſiaſtica, & politicos motus magna grauitate & authoritate ſedauerit. Inter Epiſcopum & populum Rhe- *l. 1. vitæ eius, c. 14. l. 2. c. 7. l. 4. c. 3. l. 5. c. 1.*

menſem tranſegit. Romæ tumultum, à Petri Leonis conſortio excitatum prudenter compeſcuit. Moguntiam profectus eſt, vt inter imperatorem Lothatium & Conradum ſucceſſorem pacem firmaret. Non multò ante finem vitæ, inter Metenſes & vicinos Principes cõcordiam ſarciret, &c. Tu ætatis noſtræ planè Bernardus alter, inter Archiepiſcopum Panormitanum, & maioris illius ædis Canonicos, de quadam Synodo grauiſſima orta diſſidia, ſummi Pontificis authoritate, & propria ſagacitate compeſcuiſti, & Synodi confirmationem impetraſti. Hinc tanta tibi nata fides & authoritas apud omnes, vt morbo decumbente Archiepiſcopo, Eccleſia illa aliquanto tempore tibi in ſpiritualibus & temporalibus regenda ſit commiſſa. Quis autem ſatis digna commemoratione referet labores, ſtudia, conſilia, in pacificandis Galliarum & Hiſpaniarũ, ſummorum totius Europę, ac populi Chriſtiani monarcharum cruentis diſſidiis nuper aſſumpta? In hanc rem à ſummo Pontifice miſſus in Franciam, per annum integrum, tanta prudentia & æquitate rem prudentum huius ſæculi iudicio prorſus impoſſibilem, diſſidentes conciliaſti, cauſas expendiſti, quater & decies è Francia in Belgium, è Belgio in Franciam per itinera latronibus & ſicariis infeſta, cum præſenti vitæ diſcrimine functus legationibus, pacem tandem confeciſti: vt tibi Francia, Hiſpania, Europa, qua nunc fruitur publica tranquillitate, eam ſecundum Deum

gratis animis acceptam ferat. Sed & ego quem ex Hiſpania, ex Italia, ex Germania, ex Gallia, datis ſuauiſſimis literis frequenter, ac pluſquá paterno animo complexus conueniſti, recreaſti, benedixiſti, ad ſcribendum prouocaſti, publicis monumentis iſtis pro virili cógratulor, Deúmque opt. & max. ſupplex oro, vt te maioribus donis in dies augeat, ac exacto vitæ curriculo ad bona cœleſtia perducat. Vale, tui obſeruantiſſimi FEV-ARDENTII memor. Baiocis, inferioris Normaniæ ciuitate, ſanctiſs. virginis & martyris Agathæ, qui tuam in Chriſto illuſtrauit Siciliam, feriis, 1599.

IN AGNOMEN FRAN. FEV-ARDENTII, FRANCISCANI, Doctoris Theologi.

PRima tuæ genti qui dixit nomina vates,
Numine diuino concitus ille fuit.
Non veluti tripodes, ſeu vana oracula Phœbi,
Quæ coluit Delphis priſca ſuperſtitio:
Aſt vt Idumæi quondam reſponſa Prophetæ
Certa dedere ſuis, & dedit ille tuis:
Ardentem noſtris oriturum finibus Ignem,
Lumine qui tenebras pelleret hæreſeôn,
Luſtraret terras, Pharus eſſet in æquore nautis,
Quos animo dubios naufragus error agit:
Haud ſecus Emathio Virgo nuptura Tyranno,
Vaticinans cecinit ſe Iouis igne grauem.
Terrigenas etenim vibrato fulmine terres
Audaces rurſum bella ciere Ioui.
Chriſticolas contrà languentes erigis, igne
Cælitus infuſo pectora lenta fouens.
Vtque igni natura dedit conſcendere ſurſum,
Suprema ſtatuens in regione locum.
Flammigero ſydus poſt fata locabere cælo,
Vnde micans terris lumine clarus eris.

Io. à Cerua, Ebroicus.

PRÆFATIO IN EPISTOLAM CATHOLICAM beati IACOBI Apoſtoli.

CVR Catholica, ſimúlque Canonica dicatur.

ISTAM diuinarum ſcripturarum ſanctiſſimam in primis ac fructuoſiſſimam partem interpretatione explicaturi, ab ipſius cognominis ratione operęprecium duximus ſumendum eſſe exordium. Siquidem appoſitè dicitur Catholica, eò quòd non ſingulari ciuitati, Eccleſiæ, nationi, aut homini, vt Epiſtolæ Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Timotheum, &c. inſcribatur: ſed ad vniuerſos cùm qui ex Iudæis crediderant in Chriſtum, tùm qui ex Gentibus fidem, ſpem, charitatem, & obeditioné patris noſtri Abrahæ (quos Iſraëlitas ſecundum ſpiritum vocat Apoſtolus) ad imitandum ſibi ex animo propoſuerant, quocunque terrarum verſabantur, aut Gente & nomine cenſerentur. Accedit, quòd à Græcis, quorum lingua primùm ſcripta & nobis tradita fuit, ιακώβου ἐπιστολὴ καθολικὴ, *Rom. 9.*

Iacobi epiſtola catholica nuncupetur: eademque nominatione, quoties eius meminerunt, ab eis deſignetur. Euſebius namque ſic de illa
L. 2. hiſt. c. 23. loquitur: Iacobi epiſtola ſcribitur inter eas, quæ Catholicæ epiſtolæ appellantur. Athana-
Synopſi. ſius quoque: Catholicæ epiſtolæ Apoſtolorum omnes numero ſeptem ſunt, vno comprehen-
Catech. 4. ſæ volumine. Et Cyrillus Ieroſol. Suſcipe ſeptem Epiſtolas catholicas, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ. Eundem titulum iiſdem præfigũt Amphilochius Iconij Epiſcopus in Carminibus iambicis ad Seleucum, Damaſcenus libro 4. orth. fidei, c. 18. Oecumenius in commẽ-
L. 2. hiſt. c. 38. 45. 46. tariis, & Nicephorus. Cum his ſentiunt quoque patres Latini Hierónymus in Catalogo, & Beda initio Commentariorum in illas. Vero itaque ſimiſimum eſt, quorundam Scribarum inſcitia, dehinc Typographorum oſcitantia contigiſſe, vt duarum litterarum è medio dictionis permutatione, hæc quæ eſt Iacobi, cũ reliquis ſequẽtibus, Canonica, pro Catholica, inſcripta ſit.

Poterit nihilominus etiam Canonica rectè cenſeri, cùm ad canonem ſacrarum diuinarũque Scripturarum, quibus fides noſtra nititur & adſeritur, omnino pertineat: & à plurimis,
Euſeb. 3. hiſt. c. 25. quæ nominibus Petri, Pauli, Thomæ, Matthiæ circunferebantur, ſcriptis falſis & apocryphis, quàm longiſſimè diſcernenda & remouenda ſit, vt iamiam copioſius diſſeremus.

De avthoritate huius epiſtolæ. Quandoquidem vniuerſum pietatis Chriſti-

ānæ ædificium verbo Dei ſcripto & tradito nititur, vt illud deturbaret funditúſque euerteret Diabolus totius generis noſtri hoſtis nimis ferus & immanis, huic inſidiari, ac vt vel falſum, vel dubium, vel fabuloſum, & apocryphum reputaretur exploderetúrque nunquam intermiſit. Etenim primo Parenti datum hoc Diuini verbi præſcriptum, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: In quocūque enim die comederis, morte morieris*, tanquam falſum, aut ſaltem ex inuidentis Dei animo profectum palam calumniatus eſt, incautiſque perſuaſit, vt ab illo deficerent: ac ſecum meliora conſulenti, iungerent amicitias. Animaduertens porrò tam bellè ſibi, propudioſè verò ac infeliciter nobis illud ipſum ſucceſſiſſe cōſilium, nunquā deinceps ab eodem abſtinuit. Aſſuetus iam ad ſeductionem hominum, vt martyr loquitur Irenæus, & aduerſus Deum mentiri, pſeudoprophetas & ſeductores homines dies noctéſque ſuſcitauit, quorum linguis & calamis, vt Serpentis quondam corpore ac voce, diuinis ſermonibus atque ſcriptis bellum indiceret. Atque vt Gigantes, Ægyptios magos, Baalitas, qui diuinis præconibus Noé, Moyſi, ac Eliæ ſeſe obiecerunt prætermittam: nec commemorem Sadducæos, Gnoſticos, Manichæos, & alios, qui vetus Dei cum hominibus Hebræis teſtamentum vel totum, vel pro parte repudiarunt: conſtat certè Alaſtorem illum noui Teſtamēti præſertim libris, horúmque dignitati & veritati multiplices paraſſe inſidias. Ve-

[Margin: Gen. 2.]

[Margin: L. 5. c. 23. 24. 25.]

rùm,aliis nunc omiſſis,de huius Epiſtolæ vitilitigatoribus nouiſſimis, id eſt, Eraſmo, Caietano,& Luteranis,tátùm dicam. Hi enim non modò illam è numero Apoſtolicarum ſcripturarum expungendam, ſed & omnibus probris malediĉtiſque vexandam & reprobandam petulanter nimis aſſumpſerunt, cùm eam *aridam, prophanam,ſtramineam, plenam tumoris & confuſionis, Diuini ſpiritus omnino expertem, Apoſtolica dignitate vacuam, nomine Iacobi Apoſtoli falſò inſcriptam,& prorſus indignam, quæ inter canonicas annumeretur*, ſola authoritate ſua freti cenſuerunt & ſcripſerunt. Antequam ergo illius interpretationem aggrediamur, commodiſſimum erit firmiſſimis argumentis authoritatem eius cõprobare:& à beato Iacobo Apoſtolo, ſingulas eius ſententias dictante Spiritu ſancto, collectas ſcriptóque Eccleſiæ Chriſti traditas & cõmendatas,apertum certúmque efficere : tum demum ad ea quæ ab aduerſariis adferuntur contra illam,reſpondere.

Quatuor autem præſertim modis probatur hæc Epiſtola eſſe Canonica,quibus & aliorum ſanctorum librorum authoritas adfirmatur. Primò,quando ab Oecumenicis Conciliis,vel prouincialibus ab eiſdem confirmatis, ſuſcepti, & inter Diuinos codices enumerati ſunt. *Io. 14.& 16.* His etenim Spiritus ſanctus à Chriſto promiſſus eſt, qui omnẽ veritatem doceat & ſuggerat, donúmque Diſcretionis in æternum *Art. 15.* ſubminiſtret. Hieronymus idcirco librum Iudith docet eſſe canonicum, quòd à prima *Præfat. in l. Iudith.*

ſynodo Nicena ſuſceptus probatuſque fuerit. At hæc B. Iacobi Epiſtola inter ſacros noui Teſtamenti libros recenſita eſt à concilio Laodiceno, Mileuitano, tertióque Carthaginenſi, quæ à ſexta ſynodo vniuerſali probata ſunt. Deinde, patres Florentini, in quibus & Græcorum Patriarcha, vnà cum plurimis Europæ Ægæi maris, Aſiæque Præſulibus, & Armeniorum, & Iacobinorum toto oriente diſperſorum Legati: demumque Tridentini eandem vt Apoſtolicam ſummæque authoritatis & veritatis epiſtolam ſuis calculis probauerunt. *Ca. 59. Ca. 7. Ca. 47.*

Secundò, hic liber canonicus habetur, cuius ſententiis veteres vſi ſunt tam ad corroboranda fidei noſtræ dogmata, quàm ad hæreſes refellendas. Hos namque poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos ad regendum Eccleſiam, quam Chriſtus acquiſiuit ſanguine ſuo, donec omnes occurramus eidem aduentanti vt iudicet viuos & mortuos. Ac ideo ad illos ſpectat diuinam doctrinam ab humana, & canonicam ab ea quæ apocrypha dicitur, omnino diſcernere ne quis prophana pro ſacris, & incerta pro veris indubitatiſque ſcriptis amplexetur. Id autem præſtiterunt non ſegnius ex hac B. Iacobi epiſtola, quàm ex germanis aliorum Apoſtolorum ſcriptis. Enimuero his eiuſdem verbis. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, &c.* B. Dionyſius Areop. Cæleſtis hierarchiæ primum caput inchoauit. Clemens Rom. humilitatem cordis viro Chriſtiano neceſſariam eſſe docet, ex huius libri *Act. 20. Eph. 4. Epiſt. 2.*

Epiſt.1. capite 4. Anacletus martyr ſcribit: Quicunque (ait Iacobus Apoſtolus) totam legem ſeruauerit, defecerit autem in vno, factus eſt omnium reus. Alexander & ipſe Pontifex & martyr, Epiſt.1. ait: Multum valet, vt ait Iacobus Apoſtolus, deprecatio iuſti aſſidua. Itémque Vrbanus Pa- Epiſt.1. pa & martyr inquit: Quid prodeſt, ait Iacobus Apoſtolus, *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Ac vt paucis multa contrahamus, libro 5. adu. hæreſes, c.1. Tertullianus libro de oratione, c. 8. & Irenæus libro aduerſus Iudæos, c.2. Cyprianus martyr ep. aduerſus Nouatianum hæreticum. Cornelius martyr epiſt. 2. Marcellus martyr, Epiſtola ad Epiſcopos Antiochenæ eccleſiæ: Leo magnus ſermone 11. de Quadrageſima: Athanaſius & ipſe magnus Oratione 2. & 4. contra Arianos: Chryſoſtomus hom. 22. ad populũ Antiochenum: Ambroſius, ſeu Proſper, libro de vocatione gentium: Gelaſius cum aliquot Epiſcoporum concilio: Fulgentius libro 1. ad Monimum, & libro reſponſionum contra Arianos: Caſſianus Collatione 16. & alij plerique omnes veteres Epiſtolam beato Iacobo Apoſtolo tribuunt: eiuſdémque verbis fidem & pietatem noſtrã aduerſus hæreſes, aliáſque mundi corruptelas communiunt. Auguſtinus commentariis eam explanauit, vt teſtatur Poſſidonius in Indiculo: & ille confitetur l.2. retract. c. 32. ſed illa hactenus latuerunt.

Tertio, Scriptum illud ſacroſanctæ authoritatis eſt, qui talis patrum Græcorum & Lati-

norum vnanimi conſenſu pronunciatur : ſimulque ſchiſmatici ac hæretici iudicãtur, qui contrarium peruicaciter ſentiunt & loquuntur. At verò, Cyrillus Ieroſ. Athanaſius, Nazianzenus in carminibus, Amphilochius, & Damaſcenus authores Græci: vnà cũ Auguſtino, Rufino Aquileiẽſi, Iunilio Africano, Gelaſio ſummo põtifice, Innocẽtio primo, Epiſtola ad Exuperium, hanc eandẽ Epiſtolam diuo Iacobo Apoſtolo adſcripſerunt. Quinetiam à Tertulliano ac Epiphanio hæreſeos damnatur Marcion, quòd inter reliqua ſacrilegia, etiã Epiſtolas catholicas repudiauerit, & contempſerit. Denique, Philaſtrius Brixienſis diuo Ambroſio æqualis, libro de hæreſibus, titulo Apocryphi, nihil ambigit illos eſſe hæreticos, qui ſeptem epiſtolas catholicas pro canonicis & apoſtolicis ſcriptis non admittunt.

Catech. 4.
Synopſi.
L. 2. doctr. Chriſt. c. 8.
In Symbol.

Quarto, liber ille pro certo Diuinę & canonicæ authoritatis eſt, quem ita ſuſcipit & veneratur Eccleſia catholica, vt ex eo publicas in Diuinis officiis lectiones depromat: ſimúlque formas, ritus, effectúſque Sacramentorum palam deſumat & recenſeat. Epiſtolam autem diuo inſcriptam Iacobo publicè legendã proponit Dominica 4. & 5. poſt Paſcha: feria 2. Rogationum, & in martyrum feſtis diebus. Sacramentum vnctionis infirmorum ex eadẽ potiſſimum adſeritur eſſe planè euangelicum, & de numero illorum ſeptem, quæ Chriſtus inſtituit, Eccleſiæque ſuæ tradidit & reliquit. Igitur extra omnem ambiguitatem iſthæc diui

Iacobi Epiſtola vt germana & verè Apoſtolica ab omnibus Chriſtianis habenda eſt & amplexanda. Nunc aduerſariorum argumentis ſatis faciendum eſt.

ADVERSARIORVM diſſoluuntur argumenta.

Vt non niſi cum ratione furere atque deſipere hoſtes huius Epiſtolæ viderentur, varias rationes cõmenti ſunt, & occaſiones captarũt, quibus ei omnẽ dignitatẽ fidémque detraherent: ac (vt cũ Tertulliano loquar) firmos fatigarẽt, infirmos caperent, medios cũ ſcrupulo dimitterent. Nec mirũ, quoniam & Dathan, Core, Abyron, & ducenti & quinquaginta illi Synagogę proceres ſuas quoque cauſas tametſi fucoſas & falſas prætendebant, quibus Moſi & Aaroni non obtemperarent, & ab Eccleſiæ tẽpeſtatis illius cõcordia pacéque deficerent: nimirum quòd omnis populus ſanctus eſſet, ſummum ſacerdotium, & imperium in illum temerè vſurparent, tyrannicè exercerent, &c. Hos autem in hæreſibus & perduellionibus præcurſores habuerunt & emiſſarios, omnes, qui deinceps Eccleſiæ Chriſtianæ pacem labefactare, & ſacra dogmata conuellere ſtuduerunt, velut à beatis martyribus Irenæo & Cypriano iamdudum notatum fuit. Sic Marcioniſtis & Manichæis ſua non defuerunt argumenta, quibus ſe permoueri fingerent, ne libros admitterent veteris Teſtamẽti. Ebionitæ

L. Præſcript. *Num.16.* *L.4.c.43.* *L.de vnit. eccleſ.* *Tertull.*

ſe ideo cunctas Pauli epiſtolas iure procul abiicere cauſabantur, quòd eſſet Diuinæ Legis deſertor. Sabellianis, Arianis, Neſtorianis, Pelagianis, Donatiſtis, & cunctis aliis hæreticis velamina defuiſſe putas, quibus impietatum ſuarum turpitudinem obtegerent? An non & Diabolus Scripturarum fuco Chriſtum ab incœpto noſtræ redemptionis opere reuocare niſus eſt? Nemini ergo mirum eſſe oportet, ſi huius Epiſtolæ authoritatem & veritatem oppugnaturi, nec pauca nec leuia in medium protulerunt argumenta, quibus ſanctiſſimam eius exiſtimationem violarent & perderent. Horum principes ſunt, Eraſmus Roterod. ad finẽ Annotat. in eam Epiſtolam, Caietanus initio Commentariorum, Lutherus præfatione in eandem, Lucas Oſiander initio Explicationis eiuſdem, & Centuriatores Magdeb. Cent. 1. libro 2. col. 54. & 583.

Iren. l. 1. c. 26.

Matth. 4.

Primum argumentum, quod eſt Eraſmi. *Dubitatum eſt olim, cuius eſſet.* Quid tum? An ergo perpetuò dubitandum? De vltimo capite Marci, de hiſtoria mulieris deprehenſæ in adulterio, de ſecunda Petri epiſtola, de Ioannis duabus, & de Apocalypſi, aliquando hæſitatum; omni ergo ætate & tempore de his ambigendum? Libros aliorum, à Moyſe, prophetarum in quæſtionem reuocarunt Saducæi: aliique alias ſacrorum Bibliorum partes argumentando dubias fecerunt. ergo in his nihil ſtabile, nihil fixum, nihil ratũ in perpetuum eſſe debet? Immò verò quia totus orbis Chriſtianus iam

pridem Iacobi Apoſtoli eam eſſe pro certo iudicauit, omnis trepidatio ponenda eſt.

Secundum. *Nec referre videtur vſquequaque maieſtatem illam & grauitatem Apoſtolicam.* Vappis ergo, lippis, & in tenui farragine mendacibus, vt ait quidam, videtur: at, illis, qui clariſſimo catholicæ fidei lumine colluſtrantur, pectus apoſtolicum omnino reſipit, nihilque ad mores piorum ſecundum Chriſtum formandos & componendos cõmodius, nihil aptius, nihil efficacius à Petro & Paulo ſummis Apoſtolis edi potuiſſet, vt ſuis locis fuſius dicetur.

Tertium, *nec Hebraiſmi tantum relucet in ea, quantum à Jacobo, qui fuit Epiſcopus Jeroſolymitanus, expectaretur.* Nequaquam expediens aut neceſſe fuit, vt gente & lingua quidem Hebræus, græcè tamen ſcribens, tropos Hebraici idiomatis conſectaretur, aut ſtudioſius ſeruaret. Deinde, cùm in Pentecoſte donum omnium
Act. 2. linguarum à Spiritu ſancto accepiſſet, non difficile fuit illi ab obſcuris hebraiſmis abſtinere, & apertioribus vti Græcorum phraſibus & verbis. Poſtremò, falſum eſt nullos illam hebraiſmos retinere. Nam *gignere verbo veritatis*, hebraiſmus eſt, pro vera doctrina: vt filius perditionis, pro filio perdito, vas electionis, pro ſelecto vaſe: filius dilectionis, pro filio vnicè dilecto. Inſuper, *generare mortem*, forma dicitur hebraica, pro certam præſentemque perniciem adferre. Denique, *lex* dicitur *libertatis*, Hebraico more, pro lege perfecta, quæ

in libertatem obſeruatores ſuos aſſerit.

Quartum, *Diuus Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium ex authoritate Hegeſippi, indicat multos huius nominis fuiſſe diſcipulos. Et ipſe in titulo epiſtolæ non appellat ſeſe Apoſtolum.* Quid tum? Nec Matthæus, nec Ioannes, nec Paulus ad Hebræos, ad Philippenſes, ad Theſſal. ad Philemon. initiis ſcriptorum ſeipſos Apoſtolos nominant: quod eorum dignitati non detrahit. Deinde, liberum fuit Apoſtolis pro re nata huiuſmodi honorificis titulis aut vti, aut ab his abſtinere. Duos autem ſolummodo Apoſtolos Iacobi nomen ſortitos eſſe, apertè docet eorum frequens in ſacris enumeratio: ergo alterutrius eſt, ſicque Apoſtolum Chriſti ſemper habebit authorem. Atque hæc ad Eraſmicas obiectiones. Caietani nunc ſubiicimus.

Quintum. *Non eſt certum quod hæc epiſtola ſit Iacobi fratris Domini, dicente Hieronymo in Catalogo, Iacobus frater Domini vnam tantùm ſcripſit epiſtolam, quæ de ſeptem catholicis eſt: quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine eius edita aſſeritur, licet paulatim procedente tempore obtinuerit authoritatem.* Non eſt profectò pij & prudentis viri ex his Hieronymi verbis hanc epiſtolam velle ſuſpectam reddere, cùm tam diſertè profiteatur, authorem illius eſſe Iacobum fratrem Domini: eandemque in numero ſeptem Catholicarum reponat. Deinde, ſcribit idem Hieronymus alibi: Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, ſeptem ſcripſerunt epiſtolas tam myſticas quàm ſuc- *Ep. ad Paulin.*

cinctas,breues & longas:breues in verbis, longas in ſententiis.

Sextum. *Salutatio eiuſdem epiſtolæ nihil Dei, nihil* IESV CHRISTI, *nihil gratiæ, nihil pacis ſonat: ſed prophano more, Salutem.* Quid his magis à vero alienum? Prima enim verba eius ſunt *Iacobus Dei, & domini noſtri* IESV CHRISTI *ſeruus*:

Luc. 1. quibus nihil magis piũ, magis ſanctum, magis

Matth. 28. deſiderabile, gratioſumque dici poteſt. Deinde, Salutem precari non eſt prophanum, niſi & angelum Gabrielem *Aue* dicentem, & Chriſtũ ipſum *Auete* mulieribus pronunciantem, & Apoſtolos omnes Frattibus qui ex Gentibus

Act. 15. crediderant, *Salutem*, initio epiſtolarum ſuam comprecantes, prophanos quis appellare non horruerit. Ad hæc, *Salutis* vox in Apoſtolorum ſcriptis omnia per Chriſtũ comparata & collata beneficia, omnia quæ ad benè recteque viuendum conducunt, omnia quæ ad æternam hominum ſalutem neceſſaria ſunt facilè comprehendit. Sed miſſo Caietano, Lutheranos verba ſua reſonantes audiamus.

Septimum. *Euſebius hanc epiſtolam adulterinam eſſe ex eo affirmat, quòd non multi ex veteribus mentionem eius faciunt.* Faciunt tamen alij, iique Apoſtolorum auditores & ſucceſſores, quod prudentibus & cordatis viris ſatis feciſſe neceſſe eſt. Faciunt inquam, mentionem eius Græci, Latini, Africani, Aſiatici, Europei, iique vt oſtendimus, magno numero. Nec vnquam Euſebius dixit, *illam adulterinam eſſe*, quinimò apertè diſerteque teſtificatur eandem eſſe d.

Iacobi fratris Domini, primam epiſtolarum *L. 2. hiſt. c.*
catholicarum, receptam denique ab omnibus *23.*
eccleſiis: licet à quibuſdam non ita facilè citóque admitteretur.

Octauum. *Non mediocriter aberrat à doctrina Apoſtolica, dum hominis iuſtificationem non ſoli fidei, ſed operibus adſcribit.* Sola fide hominem iuſtificari & ſeruari non eſt apoſtolicum dogma: ſed Simonis magi, Baſilidis, Eunomij, Iouiniani, Aëtij, pſeudoapoſtolorúmque hæreſis teterrima, quam ex inferis nunc conantur reuocare Sectarij. Adfirmat porrò Auguſtinus Iacobum, Petrum, Ioannem & Iudam, aduerſus hunc errorem, ex praua Epiſtolarum b. Pauli interpretatione iam exortum, Spiritus ſancti conſilio haſce Epiſtolas, vt illum refellerent, ediſiſſe.

Iren. l. c. 1. & 20.
Hieron. l. 2. adu. Iouin.
Aug. l. de hæreſ. c. 54. & l. de fide & oper. c. 14.

Nonum. *Pugnat cum doctrina Pauli ſcribentis, Legem Moſis, ſeruitutis eſſe: vocat verò huius Author, eam perfectæ libertatis.* Reapſe, miniſtratio mortis, & iugum quod patres portare non potuerunt, fuit lex ſine fide & ſpe in Meſſiam futurum: populo duræ ceruicis, domus exaſperantis, & indomabilis cordis, vt Spiritus ſanctus loquitur, data ne difflueret ad cultũ idolorum, tantiſper dum veniret Chriſtus: quatenus autem illum repromittit, cõprehendit & digito monſtrat Mediatorẽ Dei & hominum, ad eundémque perducit, verè perfecta, & ſpiritalis *libertatis lex* eſt, vt hic frater Domini cóncionatur.

Gal. 4.
2. Cor. 3.
Act. 15.
Exod. 33.
Ezech. 2.

Decimum. *Bis tantùm in quinque capitibus ne-*

minis Chriſti mentionem facit: neque de ipſius beneficiis, paſſione, & merito quicquam docet. Quid? Num
Iac. 5. & tertio Chriſti meminit, dicens: *Occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis?* Et quartò, cùm ſcribit: *Patientes eſtote fratres, vſque ad aduentum Domini?* Et quinto, cùm ait: *Aduentus Domini appropinquabit?* Et ſexto, inquiens: *Ecce iudex ante ianuam aſsiſtit?* Et ſeptimo, cùm loquitur: *Finem Domini vidiſtis?* Et octauo, *Quando ſtatuit infirmum vngendum in nomine Domini?* An non hæc de ipſo Domino noſtro IESV CHRISTO Iacobum dixiſſe & ſcripſiſſe, etiam tu Luca Oſiander, confiteris in Commentariolis? Qua igitur fronte, quo ore audes ibidem aſſerere, Iacobum bis tantùm in quinque capitibus Chriſti mentionem feciſſe? Nihil enim refert an Chriſti, an Domini, an Iuſti, an Iudicis vtatur nomine: modo ipſum IESVM intelligat. Pari candore & ſynceritate, id eſt, turpiſſima fraude, ſcribis, *eundem Authorem de beneficiis, paßione, & merito Chriſti nihil docere.* Quaſi verò ſine illis, his ad quos ſcribit, Salutem optaret. Aut fidem, patiétiam, inuocationem, religionem, opera bona, & cætera quæ vrget tantopere, ſine Chriſti gratia & meritis haberi poſſe exiſtimaſſet.

Vndecimum. *Eccleſiam Chriſti vocat Synagogam: quod ab Apoſtolorum conſuetudine valde eſt alienum.* Ah, Oſiander, quò te Lutherana dementia rapit? Tantula inter duas voces differentia (ſi tamen aliquam moroſuli conſtituunt) cùm vtraque cœtum, conuentum, & congregationem ſignificet, adeò te offendit? Et qui paulò ſupra

Hebraiſmos ab hoc Authore requirebatis, nunc more Hebræorum ad quos ſcribit, ſacrum cœtum appellantem, ferre non poteſtis? Certè germanum animum non decet tam inutilis & odioſa moroſitas: præſertim cùm apertum ſit & Paulum frequenter, & Chriſtum ſemper euangelium prædicaſſe in Synagogis. Quid, quod & Sapientiſſimus Hebræorum ipſam veterem Synagogam, Eccleſiam nuncupat? Num ideo librum Prouerbiorum eius ſtramineum cenſebis, ſicut Lutherus tuus hác Epiſtolam probroſè nimis appellauit? Sed eadem opera Deutèronomium Moſis, ſecundũ Eſræ librum, & Threnos Ieremiæ, exploderetis è medio. Apageſis tã abſurdas opinationes. *Act. 13. 14. 15. 17. 18. &c. Io. 18. Prou. 15. Deut. 23. 2. Eſr. 8. Thren. 1.*

Duodecimum. *Ac videntur quædam particulæ huius Epiſtolæ, ex Apoſtolorum ſcriptis & concionibus (ſed non optimo iudicio) decerptæ.* Et Chriſtus in Euangeliis, & alij Apoſtoli in Epiſtolis leguntur plurima ex Prophetarum ſcriptis & concionibus decerpſiſſe: ergo propterea ſunt ex canonicorum librorum albo tabulíſque delenda, quæ ab his ſcripta ſunt? Quid abſurdius exiſtimari aut colligi poteſt? Ad hæc, legerat b. Iacobus Petri & Pauli Epiſtolas, eaſque ſuſpiciens & commendans, quædam illis ſuæ coaptat congruenter ac fructuoſè, oſtendens ſe eiuſdem Diuini Spiritus inſtinctu afflatuque cùm ſcriberet concitatum fuiſſe. Quod addis, *ſed non optimo iudicio*, contumelia eſt in Spiritum ſanctum, & Apoſtolũ fratrem Domini petulantius iactata. Et de his hactenus.

QVIBVS, ET QVA DE re ſcripta ſit Epiſtola.

Scribit in primis Apoſtolus ad Iudæos, iam in Chriſtum IESVM credentes, per totũ orbem diſperſos. Superioribus enim Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum aduerſus Iſraelem bellis, toto ferè mundo vagè diiiecti fuerant: quo factum eſt, vt non modò Paulus in Aſia & Europa, verùm & Petrus in Ponto & Cappadocia, & Matthæus in Africa, Æthiopiaque, & alij vbique terrarum Euangelium nunciãtes, ſynagogas inuenerint Iudæorum, aduentus veri Meſſiæ incredibili deſiderio flagrantes. Illa etenim imperia velut quatuor cornua quæ ventilabant Iudam, *Zach.1.* & Iſraelem, & Ieruſalem oſtenſa fuerant Za- *Dan.7.* chariæ: Danieli verò ſignificata per quatuor belluas, & per quatuor cœli ventos tumultuoſiſſimè pugnantes in mari magno.

Nec ad illos modò, verùm & ad vniuerſos Chriſtianæ fidei profeſſores, qui verè ſunt Iſraelitæ ſecundum Spiritum, & filij promiſſionis, pro certo ſcribit, cùm præcepta eius de moribus communia ſint, & ad nos omnes æquè pertineant. Quid ſi Catholica, id eſt, vniuerſalis, ea de re dicta fuerit? Vt igitur Epiſtola Pauli ad Romanos, etiam Græcis vtilis & commoda eſt: & hæc quæ ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem datæ ſunt, cunctis ſunt ſaluti: ſic & hæc Iudæis primùm dicata,

vniuerſos ex conſequenti Chriſtianos docet, inſtruit, & ſuis regulis ac legibus aſtringit.

Cauſam ſcribendi præbuerunt deprauati mores plurimorum, qui aliquid de veteri Phariſæorũ retinentes fermẽto, multa de Legibus diuinis garriebant & iactabant, ſed vitã ſuam ad earum regulam nón dirigebant. Mundabãt quod deforis erat, intus verò pleni erant rapina, immunditia, hypocriſi. Linguis erant Chriſtiani, non moribus. Nouerat Paulum plurima de fide, Ioannem de caritate tradidiſſe: ſuum ergo duxit eſſe in vniuerſum locos communes de moribus pertractare. Audierat pſeudoapoſtolos de ſola fide iuſtificante clamitare: hinc patientiam, obeditionem, opera bona, inuocationem, Sacramenta, cætera docet coniungenda, vt viua ſit, & aliquid habeat efficacitatis. Nec ſatis eſſe verbis magnificis profeſſionem euangelicam iactare, niſi præclaris factis & affectibus eam exprimamus.

GENVS.

Præcipuum eſt exhortatorium. Suadet enim profeſſionem fidei ſanctis moribus exornare: ideo vbique ferè de moribus fiunt adhortationes, dantur præcepta vitæ, & conſilia quæ ſequamur. Accedit dogmaticum, quo ſuis locis docet, quod ſit officium pietatis, quæ fidei natura, quomodo ſit orandum, vitanda perſonarum acceptio, benefaciendum proximis, quidque in conuẽtibus eccleſiaſticis ab omnibus

præſtandum. Denique quod ſit pauperum, diuitum, triſtium, lætantium, infirmorum officium. Neque deſideratur obiurgatorium, quãdo hæſitantes in fide, duplices animo, dicaces, perſonarum acceptores, diuites pauperum cõtemptores, ſolius fidei prædicatores, contentioſos, auaros, &c. congruis locis redarguit.

PARTES.

Duæ ſunt partes principales, nimirum, Titulus quo Author, ij quibus inſcribitur, & ſalutatio continentur: & Narratio.

INDEX SCRIPTVRARVM, QVÆ HOC OPERE OBITER EXplicantur.

LEuit.19.*Non maledices ſurdo.* pagina 154.
Deut.8.Vt in deſerto affligeret & tentaret te Deus.pag. 120.
Pſ.2.Apprehendite diſciplinā. &c. 348.
Pſ.5.Sepulchrum patens eſt gutur eorum. 13.
*Pſ.9.Vide humilitatē meā de inimicis meis.*85.
Pſ.11. Labia doloſa in corde & corde loquuti ſunt. 82.
Pſ.36.Manſueti hæreditabunt terram. 348.
Pſ.37.Quoniam tacui inueterauerūt oſſa mea. 308.
Pſ.38.Dixi,cuſtodiam vias meas, &c. 309.
Pſ.51.Sicut nouacula acuta feciſti dolum. 333.
Pſ.72.Velut ſomnium ſurgentium in ciuitate tua,&c. 95.
Pſ.135.Fecit cælos in intellectu. 147.
Iſa.6.Væ mihi,quia tacui. 309.
Iſa.23.Vlulate naues maris. 314.
3.Reg.10.Regina Sabá venit tentare Salomonem,&c. 114.

Amos.3.Si eſt malum in ciuitate, &c. 112.
Matth.6.Et ne nos inducas in tẽtationem. 116.
Matth.11.Pauperes euangelizantur. 227.
Matth. 23. Non reſpicis perſonas hominum. 99.
Luc. 22. Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus. 31.
Io. 12. Qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo. 86.
Rom.8.Si ſecundũ carnem vixeritis, &c. 123.
Rom. Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus, &c. 70.
1.Cor.10.Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. 121.
1.Cor.13.Videmus nunc per ſpeculũ, &c. 157.
Eph.5.Vt filij lucis ambulate. 7.
Heb.1.Qui cum ſit ſplendor gloriæ. 201.
Heb. 11. Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis. 25.
Heb.12.In diſciplina perſeuerãte. 49.
1.Petri 4.Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. 317.
2. Petr. 2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere. 129.

1. IACOBVS DEI ET DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ſeruus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, Salutem.

HIc eſt titulus ſiue inſcriptio Epiſtolæ, qua nomen & officium ſuum Author primo recitat loco: deinde, illos deſignat ad quos ſcribit: poſtremò, iis omnẽ comprecatur ſalutem.

Quantus porrò & quanta dignitate fuerit hic IACOBVS, commentariis noſtris in Epiſtolam diui Iudæ, qui eius fratrem ſe fuiſſe gloriatur, aliqua ex parte expediuimus: hoc loco *Pagina 27. & 28.* tantùm adiiciemus, aliquot antiquorum ac primæ notæ Authorum ſententiâ, tres fuiſſe Iacobos viros Apoſtolicos, ac incertum cui horum aſcribenda ſit hæc Epiſtola. Primum aiunt filium Zebedæi, fratrémque Ioannis, quem Herodes occiderit gladio. *Act. 12.* Secundum volunt Alphæi filium, qui fratres habuerit Simonem & Iudam Apoſtolos. Tertium putant quendam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ex 72. diſcipulis, & hunc fratrem Domini co-
Conſtit. l. 2. gnominatum. Atque in hanc ſentẽtiam viden-
c.59. & l.8.c. tur deſcendere Clemens Ro. ac Euſebius Cæſa-
41. lib. 2 hiſt. rienſis: qui etiam in huius ad probationem ci-
c.1.& 23. tat Clementẽ Alex. Ioſephum, ac Hegeſippum.
Eandem etiam amplexantur Epiphanius contra hæreſim 78. quæ eſt Antidicomarianitarum, Dorotheus in Synopſi, Metaphraſtes comment. rerum geſtarum D. Iacobi, Nicephorus lib. 2. hiſt. c. 44. Glycas, Oecumenius: quibus conſentiunt Ambroſius, & ex Neotericis Follengius, Sasbontius, Bouius, & alij plerique Latini.

Verùm, his nihil obſtantibus, Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ conſtanti ſententiæ adhæ-
Matth. 10. reſcendum, quæ duos tantùm Iacobos, de nu-
Mar. 3. mero Apoſtolorum & diſcipulorum agnoſcit,
Luc. 6. & ex horũ euangelicis enumerationibus com-
Act. 1. probat. Huic conſentiunt ſanctiſſimæ Miſſæ canon, calendaria, dies feſti, officia denique ſacra, in quibus nunquam tres Iacobi, ſed duo ſolùm commemorantur. Hieronymus item libro aduerſus Heluidium, & in Catalógo, & venerabilis Beda in c. 1. Actorum. Ad hoc etiam ſpectat Pauli teſtimonium, quo Iacobum fratrem
Gal. 1. Domini Petro & Ioanni ſummis Apoſtolis annumerat, & columnam appellat: nunquam id facturus, ſi extra numerum 12. Apoſtolorum iſte Iacobus cenſeretur, quod contrariæ ſententiæ faciunt aſſertores.

Hunc Iacobum Alphæi filium, primum authorem faciunt eius Liturgiæ, qua vniuerſæ per

Orientem Eccleſiæ in hunc vſque diem vtuntur. Nam Proclus Conſtantinopolitanus, Nicolaus Methonenſis, Marcus Epheſinus, Beſſario Cardinalis, & alij 227. Epiſcopi & patres Græci in 6. ſynodo vniuerſali, circa annum Domini 684. coacta, id vno velut ore teſtificantur: & probant Eccleſiæ Occidentis, in tertia parte Decret. *De conſ. diſt. 1. c. Iacobus.*

Huic porrò conueniunt optimè inſignes & pulchri tituli, qui tum in Euangeliis, tum in veterum monumentis reperiuntur: non ficticio illi quem ex numero 72. comminiſcitur opinio contraria. *Matth. 10. Mar. 2. Luc. 6.*

Primò enim vocatur Iacobus Alphæi. Huius enim ſanctiſſimi viri, & Mariæ quæ fuit filia Cleophæ, Deiparæ virginis conſobrinæ filius fuit, vt aliquot locis obſeruat D. Hieronymus. Illorum ergo refellenda eſt opinio, qui autumant Ioſepho Deiparæ ſponſo, ex alia quadam præcedente vxore, patre ortum & natum eſſe: quandoquidem etiam certius ſit eundem Ioſephum caſtiſſimum, & continentiæ voto perpetuo ſemetipſum Deo dicaſſe & conſecraſſe, vt idem tradit Hieronymus. *Com. in c. 1. ad Gal. in c. 12. Matt. & l. 16. adu. Heluid.* *l. adu. Iouin.*

Secundò dicitur Iacobus minor, ſeu vt in poſitiuo gradu efferunt Græci, paruus ac exiguus, non quòd pietate vel authoritate coapoſtolis minor fuerit: ſed quòd altero Iacobo, Ioannis fratre, tam corpore minor ac breuior, quàm ad Apoſtolatum vocatione poſterior extiterit. *Mar. 15.*

Tertiò, vocatur frater Domini, cuius tituli

multi multas adferunt rationes: Græci in primis quòd Ioſephi Deiparæ virginis ſponſi ex altera vxore filius fuerit. Sed meliùs Latini poſt D. Hieronymum, quòd ex Maria Cleophæ matris Chriſti conſobrina ortus eſſet: ſicque Chriſti conſanguineus, ac proinde frater nuncupatus Hebræorum more, proximo ſanguine cretos fratrũ nomine compellantium, vt ex Abrahæ, Loti, & Saræ geſtis cuique manifeſtum eſt. Rurſum, frater Domini nuncupatur, ait idem Hieron. propter egregios mores, incomparabilem fidem, ſapientiámque immodicam, in quibus Chriſtum eſt imitatus. Deinde, primus eidem Eccleſiæ præfuit, quæ ante omnes alias Chriſtum audiuit, credidit, & ſuſcepit. Id demum addi poteſt, quod martyr Ignatius ſcribit, hunc Iacobum homini Chriſto facie formâque adeo ſimillimum fuiſſe, ac ſi eiſdem parentibus ortus eſſet.

l. 1. adu. Iouin.

Epiſt. 2. ad Ioan.

Quartò, Iuſtus paſſim cognominatur ob eximia dona Spiritus ſancti, & præcellentiſſimas virtutes, quæ in eo præfulgebãt. Teſtatur enim de illo apud Euſebium Egeſippus, quòd ex vtero matris, ſingulari gratia Dei ſanctus fuerit, vinum & ſiceram, Nazareorum inſtar, nunquam biberit, nouacula ſuper caput eius non aſcenderit, ab oleo & balneis penitus abſtinuerit, nunquam laneam, ſed lineam veſtem induerit, denique orandi aſſiduitate genua illius in camelorum duritiem euaſerint. Chryſoſtomus addit, quòd etiam frontis cutis occaluerit, frequentiſſima in terram faciei proſtratione. Hie-

l. 2. hiſt. c. 23.

Hom. 5. in Matth.

ronymus denique ſcribit: eiuſdem ſanctitatis famam tantam in populo fuiſſe, vt vel fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere. *Com. in c. 1. ad Gal.*

Quintò, pro incredibili continentia & ſumma iuſtitia eius, aut apud Euſebium Egeſippus, paſſim appellatus eſt Oblias, ſeu Ophlias, quod ſonat munimentum ſeu propugnaculum: quaſi iuſtitia & ſanctitate ſua vrbem & populum Ieroſolymorum ſeruaret & circuiret, veluti quondam Dauid, de quo dicit Dominus: *Protegam vrbem hãc propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Hinc etiam Ioſephus à ſacris noſtris alienus, indigniſſimę neci eius tribuit, vt ſexennio poſtquam Phariſæi eundem de templi faſtigiis præcipitem egerunt, Ieroſolyma expugnata euerſaque fuerit à Romanis. *Euſeb. l. 2. c. 23. Niceph. l. 2. c. 38. 4. Reg. 19. & 20. l. 20. antiqui. c. 16.*

Sextò, primus Ieroſolymæ Epiſcopus ab ipſo Domino, ait Clemens, coapoſtolorum autem miniſterio, conſtitutus eſt: vbi ſacrorum puro & inculpábili miniſtro (ſcribit Ignatius martyr) vſus eſt Stephano protomartyre. Illi etiam propter eximiam vitæ ſanctimoniam permittebant Iudæi intrare Sancta Sanctorum, portare in capite Petalon, id eſt, Epiſcopi inſigne, vt poſt Egeſippum, Clemẽtem Alex. ac Euſebium refert Epiphanius contra hæreſ. 25. & 78. Præfuit autem ſumma cum laude huic Eccleſiæ annos fermè triginta, vt ex Euſebij, Sophronij ac Nicephori apparet ſupputatione. *l. 8. Conſt. c. 41. Epiſt. ad Hieron. Item ad Trallian.*

Neque ſilentio præterire libet quod teſtantur Euſebius & Nicephorus, Thronum, ſeu *l. 7. hiſt. c. 15. l. 6. c. 16.*

Cathedram, de qua docebat, ligneam, ad ætatem ſuam vſque ingenti piorum ſtudio ſeruatam fuiſſe, & in veneratione habitam, vel antiquitatis, vel primæ Sacerdotij ſanctificationis obtentu. Interfectũ verò à furentibus in Chriſtum & Chriſtianos Iudæis, poſt conſtantem & præclaram de illo confeſſionem, anno poſt aſcenſionem illius 24. Neronis imperij 7. ætatis autem ſuæ 96. indicat Epiphanius. Supplicij ſpecies fuit de templi pinna præcipitatio, crurium confractio, & fuſte fullonis in caput percuſſio, vt eſt apud Egeſippum, Clemẽtem Alex. Euſebium, & Nicephorum.

Hæc porrò D. Iacobi elogia non exiguam apud lectores & auditores huius epiſtolæ conciliant authoritatem, attentionem, & beneuolentiam. Quis enim tam ſtupidus & bardus, qui tanto viro non aſſurgeret? Quis vnum ex præſtantiſſimis Apoſtolis, id eſt, æterni filij Dei legatis, non benignè & attentè exaudiret? Aut virum etiam Iudæorum teſtimonio, ſanctiſſimum, primum primæ Eccleſię paſtorem & doctorem, à Chriſto mundi redemptore ac iudice ordinatum, pro concione dicentem, & verba ſalutis cuique depromentem, non erectis auribus & animis attenderet? Et de D. Iacobi honorificis titulis hactenus: nũc cur proprium nomen huius epiſtolæ initio tam ſtudiosè præfigat, inquirendum.

A proprio nomine ſcriptum ſuum aggreditur, vt vniuerſæ Eccleſiæ notus & certus eſſet illius Author, nullúſq; detrectaret illud ipſum

excipere tanquam Apoſtolicam diuinámque ſcripturam. Eadem intentione nomina ſua prophetiarum initiis prodiderunt Iſaias, Ieremias, Ezechiel, & reliqui prophetæ. Pari modo epiſtolas ſuas inceperũt Petrus & Paulus. Principiis quoque Euangeliorũ ſcriptum eſt, Euangelium ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam; ſecundùm Ioannem: ne quis ſibi fucum fieri putet, aut de fide ſcriptoris vel ſcripturæ addubitet. Nam & Chriſtus de ſeipſo interrogatus, apertè palámque dixit: *Ego ſum. Ego ſum IESVS Nazarenus, quem tu perſequeris.* Et ab eius Apoſtolo iubemur ambulare vt filij lucis, non tenebrarum: id eſt nihil veteratoriè aut doloſè cogitare, dicere, facere. Hoc enim eſt hæreticorum & seductorum, vt incautis imponant, & errores ſuos callidius ſpargant, & ſimplicis vulgi inſtillent animis. Deinde, cùm innumerabilium mendaciorum, calumniarum, ſeditionum, & blaſphemiarum conſcij ſibi ſint, his artificiis vtuntur, ne deprehenſi compellantur vel ad turpiculam palinodiam, vel pœnas exoluendas. Hos eleganti epitheto Beſtias lucifugas appellant Tertullianus & Athanaſius. Quoniam verò inter & ſuper omnes huius æui ſectarios, huius fraudis peritiſſimi artifices ſunt Caluiniani aliique Sacramentarij miniſtri, præſtat vt paulò diligentiùs & copioſiùs iſtud hoc loco pertractemus.

Ioan. 19. *Act. 9.* *Eph. 5.* *l. de Reſurrect. carnis.* *Epiſt. ad Epictetum.*

DE CALVINIANORVM SCRIPTIS *anonymis, & pſeudepigraphis libellus.*

1. IOannes Caluinus, vt ab ipſo draconis capite ordiamur, Inſtitutionis, quam appellat, Chriſtianæ religionis librum emiſſurus, venerandæ memoriȩ viri, Alcuini, Caroli magni præceptoris nomen, ingenti vſurpās perfidia, propriúmque diſſimulans, ipſo initio ſcripſit: *Inſtitutio Chriſtianæ religionis, nunc verè nominis ſui titulo correſpōdens, authore Alcuino. Argentorati, apud VVendelinum Rihelium, menſe Auguſto, M. D. XXXIX.* Et initio præfationis rurſum ſe Alcuinum appellans, ait: *Potentiſsimo, illuſtriſsimóque Monarchæ, magno Francorum Regi, principi ac domino ſuo, Alcuinus.*

2. Fraudum huius particeps ac ſocius Martinus Bucerus, vt nomen diſſimularet ſe Aretiū Felinum nuncupauit, initio commentariorum ſuorum in Pſ. ſcribens: *Pſalmorum libri quinque ad Hebraïcam veritatem verſi, & familiari explanatione elucidati, per Aretium Felinum Theologum. Lugduni. iij. Idus Iulias, anno xxix.*

3. Huldricus Zuinglius alter Sacramentariorum anteſignanus, Ioannem Pomeranum Lutheri diſcipulum & ſectatorem oppugnaturus, libellum ſuum ſub nomine fictitio Conradi Riſs publicari curauit, anno 1525.

4. Huius aſſecla Leo Iudæ Tigurinus, ſub adulterino nomine Ludouici Leopoldi, ſcriptis Lutherum pȩtiit anno 1526.

5. Sic ψευδώνυμος quidam contra Lutheri li-

brum, cui titulus eſt, De vero & gemino ſenſu verborum Cœnæ, Hoc eſt corpus meum, pro hæreſi ſacramentaria, anno 1529.

Ita anno 1557. Ioannes Anaſtaſius libellum quendam impium, ſub nomine *Adami Chriſtiani*, Tiguri impreſſum, ad principes & ordines Auguſtanæ confeſſioni addictos, contra veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, publicauit. 6.

Anno 1566. Caluiniſtæ fidei ſuæ confeſſionem Gallicam, nullo nomine præmiſſo ediderunt. 7.

Eodem anno Heidelbergenſes ſacramentiperdæ confeſſionem ſuam de cœna Domini, nullius miniſtri nomine addito, publicis typis euulgarunt. 8.

Zuingliani anno 1569. ſub nomine putatiuo *Eliæ Palingenij*, Tragœdiam de cœna Domini ediderunt. 9.

Anno 1571. Theodorus Beza ſub falſo nomine *Chriſtiani Heſsiandri*, librum blaſphemum de negotio Euchariſtico publicandum curauit. Idem artifex anno 1575. excudi fecit duas Homilias, quibus iſtum titulum præfixit: *Aduerſus ſacramentariorum errorem, pro vera Chriſti præſentia in cœna Domini*: quibus tamen ex profeſſo, & quidem apertiſſimè & peruicaciſſimè errorem Sacramentarium propugnat, & Chriſtum ab Euchariſtia tantum relegat, quantum cœlorum ſummum faſtigium à terra diſtat. Sed bene habet, quòd ementito nomine, illic ſe appellat *Nathanaëlem Neſekium*: ſiquidem *Neſek* Hebræis 10.

Serpens eſt, omnis fraudis, peccati, & mortis author, quæ in hunc pietatis Chriſtianæ irriſorem & proditorem quadrant conuenientiſſimè.

11. Pergunt hi tenebriones anno 1577. edere *Aſſertionem Catholicam Teſtamenti filij Dei*, ſub nomine peregrino, *Theophili Alymantij Franci Theologi*: cum nihil minus ſit, quàm Catholica vel ortodoxa; & illius nominis author nullibi compareat.

12. Anno 1579. Ioannes Lagus, profugus & clandeſtinus Dantiſci ſacramentarius, librum edidit contra Selneccerum Lutheranum, ſub nomine *Germani Bauari Hallenſis.*

13. Anno 1580. Chriſtophorus Hardeſianus, ſyndicus Norimbergenſis, ſub nomine *Ambroſij VVolphij*, duo ſcripta venenata planè & maledica euulgauit. Appoſitè ſanè, quoniam Germanis *VVolff* Lupus eſt: hic autem vt Lupus veſpertinus ſub alieno nomine fraudes ſuas occultat.

14. Ita Franciſcus Hottomannus ſub perſona *Franciſci Aſpaſtis* virulentiſſimũ baſilicum contra ſanctiſſimam Euchariſtiam extulit.

15. Anno 1581. ſynodum Epheſinam Caluiniſticis erroribus contaminatam, ſub ſpecioſo nomine *Hermanni Pacifici*, in lucem emiſerunt.

16. Anno 1582. Neoſtadiani *Epiſtolam monitoriam* ediderunt ſub nomine *Angeli Maſarelli*, adfirmantes Romæ excuſam, per typographum Apoſtolicum, tametſi nunquam Alpes tranſierit, nedum Romam viderit, &c.

In immenſum pergeret oratio, ſi omnes falſis nominibus ac titulis per ſacramentarios in hunc orbem Neapoli, Heidelbergæ, Geneuæ, Bremæ, Tubingæ, Lugduni, Rupellæ, ſequentibus annis euulgatos libellos percenſere vellem. Non me latet ſacramentarios aliquot fucis, & verborum præſtigiis, eiuſmodi Neminiſtica ſcripta excuſare, & laceram ac fœtidam ollam ſuam ſacramentariam cum foraminibus incruſtare: ſed pij omnes norunt hac ratione laruas iſtas non poſſe occultari, vt ſe ſe in angelos lucis transforment. Honeſti & ingenui viri hanc ſine nomine diſputandi, & ſcripta ſpargendi, paſquillorum, & famoſorum libellorum inſtar, ſemper ſunt auerſati. Profectò enim Apoſtoli & Prophetæ nomina ſua (vt initio dicebamus) libris & concionibus ſuis præmiſerunt. Iuriſconſultorum etiam præcepta vetant ſuppreſſionem & mutationem nominum, quæ fit in fraudem aliorum: & Spiritus Dei per ſacrorum Conciliorum decreta, idem ſeueriſſimè prohibet. *C. l. 2. tit. 25. de mutatione nominis.*

Quinetiam Eraſmus, quem huiuſmodi libellorum præcipui authores Sacramentarij, omnium eruditorum clariſſimum in publicis ſcriptis appellant, de anonymis eorumdem libris in hunc modum ſcripſit: Zuingliani obiiciunt mihi timiditatem, cum ipſi non audeant ſuis libellis nomen ſuum adſcribere: & fortes ſibi videntur, quòd famoſis furioſiſque libellis, ac ſubinde nouis opinionibus miſcent orbem diſſidiis, &c. Qui tales emittunt libellos ſine *5. q. 1. c. Hi qui inuenti. Anno 1526.*

loci, typographi, authoríſque titulo, etiam apud Ethnicos puniebantur capitis ſupplicio. Et quod apud illos erat capitale facinus, nũc Zuinglianorum quorundam ludus eſt. Huic addo Henrici Bullingeri Sacramẽtarij hæretici contra iſtiuſmodi tenebriones iudicium; *Eiuſmodi obſcuri ſcriptores ſolent libros ſuos, non vti decebat, propriis nominibus ſuis præfixis, ad nos mittere, ſed* ἀνωνύμως *ſpargere per Eccleſiam: & rerum atrociſſimarum nos accuſare, vt licentius ceu ex plauſtro calumniarum & conuitiorum nimbos profundant in innoxios, &c.* Suos proprio iudicio damnans atque iugulans.

Contra Antitrinitarium quendam.

Subiicio denique Ioannis VVigandi, etiam hæretici, aduerſus iſtas lucifugas beſtias non mala pronuntiata: vt non ſolùm à noſtris, ſed & à ſuis comminiſtris impietatis accuſentur & damnentur. 1. libri ſine authorum nominibus editi, non ſunt ex Spiritu ſancto, ſed ex ſpiritu impuro inſtigante homines ad mendacia, excuſanda peccata, ac effundẽda conuitia. 2. Oriuntur ex corde liuido, exulcerato, ſibi malè conſcio, ardente cupiditate vindictæ, refutationem extimeſcẽte: ideo ex illis velut ex fœtido ſtagno regurgitant, atque exundant mendacia, calumniæ, maledicta, conuicia, &c. 3. In his omni fræno & pudore carent, modúmque non ſeruant: ſed ſunt apertæ inuectiuæ, audéntque ea proferre quæ aliàs nunquam nomine ſuo adiecto pronuntiarent. Inſuper, nulla in iiſdem ingenuitas, nulla dexteritas, nulla ſinceritas, nullus candor: ſed fraudulenter, doloſè, ſceleratè

Schluſſelburgius l. Theol. cal. art. 7.

pleraque ſubuertuntur falſis narrationibus & interpretationibus. 4. Omnibus meritò ſuſpecta ſunt, & omni fide carent: quoniam nomina diſſimulantur, ne authores de ſingulis rationem reddere compellantur. 5. Suis calumniis multos lædunt, & vt alij audeant ſimilia, eis peſſimo ſunt exemplo. Impio etiam huic dicto parent: calumniare audacter, ſemper aliquid hæret. 6. Æternus filius Dei hos ſeueriter damnat in Euangelio: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim opera eorum mala.* Io. 3. 7. Eſt in illis aperta ſpecies mali, quam iuxta Apoſtolum omnes boni cauere debent. 8. Mentiuntur, calumniantur, melioréſque probris & maledictis proſcindunt, quod caritati virtutum præſtantiſſimæ, & præcepto de proximi ſicut ſeipſum dilectioni palàm aduerſatur. 9. Piis ac nimis credulis imponunt, & tanquam planè improbiſſimi ad falſa quæquæ de proximis ac inſontibus iudicandum inducunt. 10. Has proculdubio fraudes Deus tandem aliquando grauiter iudicabit & puniet: quippe qui *de omni verbo otioſo in die iudicij de vnoquoque noſtrum rationem repoſcet.* Matth. 12. Poſtremò, huiuſmodi Neminiſtarum imaginem Dauid execratur, nedum deſcribit. *Sepulchrum patens* (ac proinde horrendum exhalans) *eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Iudica illos, Deus. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes. Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua* Pſal. 5. Pſal. 13. Pſal. 139. Pſal. 56.

Pſ. 63. *eorum gladius acutus. Acuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, &c.*

Sed neque his plurimum abſimiles ſunt nunc multi, quibus à principibus ſæculi Epiſcopatus, Abbatię, opima Sacerdotia committuntur: quippe qui tantùm laici, aulici, omnium penè literarum expertes, & quod pudendum magis, aulicę fœminæ, in publicis litteris nomina propria cùm prodere vereantur, quorundam abiectorum & pauperculorum Sacerdotum titulos viliſſimo pretio comparant, quibus ſummo Pontifici ac Eccleſiæ illudant. At bene habet, Gal. 6. quod *Deus non irridetur*. Illuſores iſtos tandem aliquando pro ſuo ſiſtet æquiſſimo tribunali, rationem diſtrictam de ſingulis repoſcet, & iſtiuſmodi latrones cum ſuis ſpeluncis, id eſt, fiduciariis, iuſtiſſimis ſuppliciis ſubiiciet. Et de his hactenus: ad Apoſtolum redeo.

IACOBVS DEI ET DOMINI noſtri IESV CHRISTI *ſeruus.*

HIs officium, conditionem, ac præcipuam publicamque in Eccleſia functionē ſuam indicat: nimirum quòd æterno Dei filio, eidémque vero Deo IESV CHRISTO, in euangelica procuratione deſeruiat. Verùm, cur Apoſtoli aut Euangeliſtæ appellatione prætermiſſa, *ſeruum Dei & Domini noſtri*, ſolùm ſe nominat? Sixtus Sen. l. 7. Biblioth. Reſpondent quidam ſe in vetuſtiſſimis Latinis, & quibuſdam Græcis codicibus Apoſtoli nomenclaturam comperiſſe, quam ſuſpicantur

Pſeudapoſtolorum, (quorum de ſola fide iuſtificante & ſeruante fœdiſſimum errorem coarguit) fraudibus ſublatam: vt totius Epiſtolæ authoritatem & fidem vel labefactarent, vel ſaltem eleuarent. Atque inde colligitur, quanta ſit Diaboli in cordibus ſeductorum ac hæreſiarcharum efficacia, quando ad in eum modum truncandas & deprauandas diuinas Scripturas eos inducit. *Verbum Dei* (ait Chriſtus) *de cordibus hominum tollit, ne credentes ſalui fiant.* Teſtis eſt Epiphanius Marcionem duo priora Euangelij ſecundùm Lucam capita prorſus reſecuiſſe & abieciſſe. Rurſum, ex capite vndecimo, omnia quæ de Iona, Niniue, regina Saba, & Salomone referuntnr. Ex capite 13. quæcumque de Abraham, Iſaac, & Iacob dicuntur. Ex 15. parabolam de filio prodigo. Ex 18. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, &c. Ex 19. quicquid refertur de aſino, Bethphage, & ingreſſu Domini, amputauit. Ex 20. de vinea locata colonis. Ex 23. dulciſſima Chriſti ad latronem verba, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ex 24. *Quæ locuti ſunt Prophetæ.* Grauiſſimæ & plurimæ ſunt quoque Tertulliani de eodem *hæreſiarcha* querelæ, quòd nullum noui Teſtamenti prætermiſerit librum, quem non mutilarit & corroſerit: ac ideo vocat illum Murem Ponticum. Et de cunctis aliis ſeductoribus ait: hæreſis aut non recipit Scripturas: aut ſi quas recipit, adiectionibus & decurtationibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit, &c. Quis ergo non mirabitur, imò & deprecabitur eandem Satanæ

Matth. 13.
Contra hæreſ. 42.
11.
l. 5. *adu. Marc.* 12.
Lib. præſcrip.

in Lutheranis & Caluinianis efficaciam, quâ ſeptem ex veteris Teſtamenti corpore libros proteruè ſeparant, & totidem ex Noui ſerie ſuſpectos reddunt? Sed de his copioſiùs diximus ad finem Commentariorum in epiſtolam D. Pauli ad Philemonem.

Com. rerum geſtarum D. Iacobi. Altera quoque eſt Simeonis Metaphraſtis ad propoſitam quæſtionem reſponſio. Nimirum, quòd cùm liceret huic ſanctiſſimo viro, ſe Apoſtolum, Dei ſummi legatum, Epiſcopum, Patriarcham, aut quod præſtantius eſt, fratrem Domini ſeſe vocitare, conſultò huiuſmodi magnificis titulis abſtinuerit, tum quòd rebus humilioribus delectaretur exemplo Chriſti, *Philip 2. Matth. 11.* qui pro nobis *ſemetipſum exinaniuit*, & humilitatem à ſe diſcendam præcepit: tum vt Scribarum & Phariſæorum, qui ſplendidos iſtiuſmodi titulos ſupra modum ambiebant, faſtum *Matth. 23.* corrigeret, & arrogantiam coargueret: cunctorum denique animos hac animi moderatione ſibi cōciliaret. Modeſtia etenim, vt ait Tullius, claram & ſtabilem comparat authoritatem. Et iterum: Si ineſt in oratione mixta modeſtiæ grauitas, nihil admirabilius fieri poteſt. Arrogantes, ſuperbos, inſolentes nemo libenter audit: nemo æquo animo illis obtemperat. Hinc *l. 7. Moral. c. 12.* Gregorius: Superbia odium generat, humilitas amorem.

Hinc igitur diſcendum, quàm humiliter de nobis ipſis ſentiendum, ſimúlque moderatè prudentérque loquendum ſit. Enimuero vt ab animis omnis ſuperbia & arrogantia, ſic à verbis,

bis, concionibus, ac ſcriptionibus omnis petulantia ac iactantia procul abeſſe debet. Damnantur in Euangelio Phariſæi, quòd *ſalutationes amarent in foro, primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi.* An non quoque parem cum illis cenſuram nunc merentur, qui potius duces, comites, barones, pares, domini, nuncupari cupiunt, quàm Epiſcopi, paſtores, vel patres? Quíque in ſplendore auri, argenti, veſtium, vtenſilium, equorum, ac ſtrepitu copíaque famulorum & ſatellitum, gloriantur, quàm in Domino? Qui furiunt, crepant, inſaniunt, niſi Diuinis propè titulis exornentur? Chriſtus omnino contrà docuit: *Qui vult inter vos eſſe maior, ſit omnium ſeruus.* Et Paulus gloriatur in infirmitatibus, in plagis, in carceribus, in vinculis, in ſtigmatibus, in cruce Chriſti, propter quem mundus illi crucifixus erat, & ille mundo. Deipara omnium fœminarum beatiſſima, ſeipſam humilem ancillam Domini nuncupat, feliciſſimi angeli conſeruos noſtros ſe ſe profitentur: & terræ vermiculi diuinos honores ambient?

Matth. 23. *Matth. 18. & 20.* *2. Cor. 11.* *Gal. 6.* *Luc 1.* *Apoc. 19.*

Obſeruandum rurſum, æquiſſimum & iuſtiſſimum eſſe nos omnes ſeruos Chriſti palàm agnoſcere atque fateri, ſimúlque ſeruilis noſtræ conditionis officia cum omni fide præſtare. Tales etenim reapſe ſumus iure creationis, quandoquidem *per ipſum omnia facta ſunt.* Iure conſeruationis, quoniam *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Iure redemptionis, quando nos emit pretio magno. Iure imperij, cùm

Io. 1. *Act. 17.* *1. Cor. 6.*

Matth. 28. data ſit ei omnis poteſtas in cœlo & in terra. Iure denique iudiciariæ poteſtatis atque finalis
Io. 5. retributionis. *Pater namque non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.*

Cùm itaque tam multiplici iure Chriſti ſerui dicamur & ſimus, ſic in omnibus illi obtemperandum eſt, vt nunquam inter refractarios & contemptores counumeremur: de quorùm
Matth. 25. vno dicitur: *Inutilem ſeruum proiicite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* His adde, quòd vtiles ſerui maiori temporis parte dominorum ſuorum negotia tractant, non ſua. Nunc verò toto vitæ curriculo res huius ſæculi, nō diuinę, curæ ſunt ac ſolicitudini. Serui aut nihil aut parum admodum poſſident: nunc inſatiabili cupiditate homines quæcumque poſſunt, rapiunt, & cumulant, cætera concupiſcunt. Serui verberibus affecti ad ſupplices & precarias voces confugiunt: hoc autem ſæculo id aduerſis murmurant, contra omnipotentem contumelioſè inſurgunt, aliquando blaſphemantes deſperant. Serui auditis dominorum minis à vertice ad pedes contremiſcunt: hac ætate diuinæ comminationes à multis irridentur. Serui cum hoſtibus dominorum nec verbo nec familiaritate vlla conueniunt: his moribus cum carne, mundo, & diabolo (qui Deo continuò aduerſantur,) arctiſſima eſt copulatio: & quod propheta deteſtatur, paciſcitur
Iſa. 28. cum morte, & cùm inferno fit paruum. Serui propriæ voluntatis non habent poteſtatem, ſed dominorum mandatis ſeſe ſubiiciunt: hoc

tempore aduerſus ſingula Dei Chriſtique præcepta frequenter inſurgitur, &c. Auari certè non ſeruiunt Chriſto: ſed Mammonæ. Gulæ ac ebrietatibus dediti, non Deo, ſed ſuo ventri deſeruiũt. Scortatores & impuri, ſpiritui immundo famulantur. Ambitioſi, cadentes coram Satana, illum venerantur. Turcæ, Iudæi, hæretici, fœdiſſimis erroribus & hominum inſanis opinionibus obſequuntur. Sed quibus præmiis aut ſtipendiis? Diuus Bernardus exponit. Quatuor ſunt, inquit, quorum in hac vita obſequiis deſeruimus, caro, mundus, diabolus, Deus. Habent ſinguli principes iſti dona propria. Caro, tyronibus ſuis largitur momentaneam voluptatem: mũdus, tranſitoria: Diabolus, perpetuam captiuitatem: Deus æternam felicitatem. Quibus ergo potiùs & impenſiùs ſeruiendum? Matth.6. Luc 16. Rom.16: Matt.4: l.ſententiarum.

Tertiò notandum ex D. Dydimo Alexandrino, quòd ſicut homines mortalem gloriam appetentes, in ſuis conſcriptionibus, Dignitates quas habere putantur, præponunt: ita ſancti viri in Epiſtolis potiſſimùm ſe ſeruos eſſe domini noſtri IESV CHRISTI proferunt, æſtimantes hanc appellationem ſupra regna totius mundi conſiſtere. Maximi ducunt ſi Regũm Secretarij, Cubicularij, Satellites, aut Officiarij dicantur: Sancti verò nihil præſtantius, nihil vtilius ducunt, quàm Chriſto regi ſuo deſeruire. Dauid regum & prophetarum maximus ait: *Ego ſeruus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ. Elegit Dauid ſeruum ſuum.* Paulus vbique inculcat Chriſtum eſſe Dominum ſuum: ſe verò Apoſtolum Com. in hanc ep. Pſal.115. Pſal.77.

Art.4. eius & ſeruum Apoſtoli omnes vna voce precantur, *Da ſeruis tuis conſtantiam, &c.* Qui ampliora deſiderarit, conſulat. D.Gregorium li.7. Moral.c.15.& D.Hieronymum in Pſal.133.

Dei & domini noſtri IESV CHRISTI *ſeruus.* Horum verborum duplex eſt interpretatio, vtraque pia & recta. Prima eſt, vt Apoſtolus coniunctim dicat ſe ſeruum Chriſti, qui reipſa ſimûlque & Deus & Dominus eſt tam Apoſtolorum, quàm omnium noſtrum. Iam enim inſurrexerant Ebionitę, Cerinthiani, Carpocra-
Lib.1. tiani,& alij hæreſiarchæ, vt ex Irenæo & Ter-
præſcriptionum. tulliano colligitur, qui cum Iudæis Chriſtum ſolum hominem, & dumtaxat filium Ioſeph, non autem naturâ Deum ac Dominum eſſe dicebant: quorum blaſphemiis paucis quidem, ſed efficaciſſimis verbis hîc occurrit Apoſtolus. Quaſi dicat, Inſurgant quantum voluerint peruicaces Iudæi contra Diuinam Chriſti maieſtatem: omne obſequium illi denegent, vt Moſaïcis inſeruiant inſtitutis. Inſaniant quoque excæcati hæretici, gloriam eius pro viribus imminuant,& conſubſtantialem Dei Patris filium negent: ego Apoſtolus & ſeruus illius ex Prophetarum oraculis, ex mirandis eius prodigiis, ex redemptione generis humani, & innumeris aliis argumentis eum verè ſcio, ego credo, ego palàm profiteor eum verum Deum & Dominum eſſe. Ille mihi Deus & Dominus, ille verè IESVS & ſaluator totius generis hu-
Iſa.11. mani. Ille quatenus homo, omnibus donis Spi-
Io.1. & 3. Heb.1. ritus ſancti plenus, totius mundi potentiſſimus

eſt monarcha: & quatenus Deus, eiuſdem admirabilis opifex & rector ſapientiſſimus, &c.

Ex his autem apparet, Veteres rectè & appoſitè hanc ſententiam quaſi murum aheneum oppoſuiſſe furoribus Arrianorum dicentium Chriſtum meram eſſe creaturam, ex non exiſtentibus productam: non autem ex ipſa Dei Patris ſubſtantia ab æterno genitum. Enimuero, vt teſtis eſt Cyrillus Alex. IESVM CHRISTVM natura Deum & Dominum eſſe non ignorabat hic prædicator veritatis. Quomodo igitur audent Arriani eum creaturam prædicare? Num fortè Patrem, qui etiam Deus & Dominus eſt, creaturam eſſe opinantur? Sed creatura non poteſt eſſe is, qui naturâ Deus & Dominus eſt. Credant igitur filium Dei, qui ſecundùm naturam Deus & Dominus eſt, creaturam eſſe non poſſe. *l. 12. Theſ. c. 13*

Et quoniam hunc teterrimum errorem plurimi eheu! nunc ab inferis reuocare conantur noui Ebionitæ, Arriani, Trinitarij, & Anabaptiſtæ, per Tranſiluaniam, Hungariam, & Poloniam, non abs re puto eſſe, ſi eandem Chriſti Deitatem aliis rurſum teſtimoniis comprobauero. Stat in primis clariſſima Patris è cœlo vox: *Hic eſt filius meus dilectus.* Non adoptiuus, vt Moſes, Elias, Petrus, pij omnes: naturâ igitur coëqualis & coæternus. Interrogatus vertex Apoſtolorum, quid cum collegis Chriſtum eſſe ſentiret; apertè & ingenuè confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Eadem fuit D. Marthæ, & beati Centurionis confeſſio. Imò & dæmo- *Matth. 3. & 17.* *Matth. 18.* *Io. 11.* *Matt. 27.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Luc 4. nes veritatis adacti virtute clamauerint: *Scimus te ſanctum Dei, te Chriſtum eſſe.* An non ergo his deteriores noui veteréſque Arriani dicentes eum ſolius Ioſeph fabri filium, & non Dei conſubſtantialem eſſe? Ne verò per aliquas rimas euadere poſſint, concedendo quidem filium Dei, ſed ſola gratia & adoptione, illum & dici & eſſe: agite, & iſtud comprobemus. Ioannes

Ioan. 1. ipſo Euangelij ſui limine Verbi æternitatem, à Patre perſonalem diſtinctionem, & ſummam eandémque cum Patre eſſentiam, & naturam Diuinam prædicans ait: *In principio erat Verbum, Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Potentiſſimum deinde creatorem eundem profitetur cùm illico ſubiicit: *Omnia per ipſum facta ſunt, &c.* Omni ergo æternitate, omni poteſtate, omni Diuinitate Patri æqualis eſt: quod ipſe poſtea confirmat dicens: *Antequam fuerit*

Ioan. 8. *Abraham, ego ſum. Ego & Pater vnum ſumus. Cla-*

Ioan. 10. *rifica me Pater, claritate quam habui apud te priuſ-*

Ioan. 17. *quam mundus fieret.* Denique in Epiſtola diſertè

1. Ioan. 5. pronunciat: *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, hi tres vnum ſunt.* Itaque non gratuita adrogatione vel adoptione Chriſtus eſt filius Dei: ſed ipſa æterna generatione.

Altera huius loci interpretatio eſt recentiorum, videlicet Oecumenij, Lyrani, D. Thomæ, Hugonis, Rikolij, &c. vt diſiunctim legatur, *Seruus Dei, & Domini noſtri,* duarum perſonarum diuinarum ratione, quarum ſeruum ſeſe profiteatur Apoſtolus. Sed hæc quoque interpretatio Diuinam Chriſti maieſtatem comprobat:

quandoquidem ex æquo Dei Patris & Filij eius ſeruus eſt hic Apoſtolus, vtrumque Deum & Dominum ſuum eſſe profitetur.

Deinde, Noëti, Sabbellij, & Priſcilliani refellitur error, quo Patrem miſerè cum Filio in vnam confundebant perſonam. Dicens enim ſeruum ſe eſſe Dei Patris, deinde Filij eius Domini noſtri IESV, diſtinctas docet eſſe hypoſtaſes, quibus eodem iure famuletur.

Accedit etiam, quòd his perſonis quædam tribuantur, quæ harum diſtinctionem arguunt: vt quod Pater tantum Deus & pater ſit, Filius autem & Deus, & homo, vniuerſis Spiritus ſancti donis vnctus, vt idoneus Meſſias, redemptor & ſaluator mundi. Atque ſic paucis verbis præcipua Chriſtianæ doctrinæ & fidei capita communit, & aduerſas hæreſes hîc refellit Apoſtolus. Sequitur, quibus ſalutem exoptet.

Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.

Hoc loco primò dicendum de variis Iudæorum per orbem diſtractionibus: ſecũdò, cur ad illos præſertim ſcribat: demum, quæ ex hac ſalutatione ſint obſeruanda.

Conſtat porrò vniuerſos Iſraëlitas in duodecim tribus, iuxta numerum filiorum Iacob fuiſſe diſtributos, ex quibus velut fontibus emanarunt, ſicut arena maris & ſtellæ cœli innumerabiles. Illi autem cum patre ſuo Iacob primùm Chanaam, deinde Ægyptum, poſtea

Gen. 32. 42. 49. Ioſue 4. Act. 7. & 26. Apoc. 7. & 22.

Arabiæ deſerta, hinc Palæſtinam incoluerunt vbi accepta diuina lege & religione, in vnius regni atque Synagogæ corpus coaluerunt, tandiúque iuncti permanſerunt, quandiu Deo vero adhæſerunt. Cùm verò à Dei ſummi cul-
Pſal 95. tura ad vitulorũ, & aliorum ethnicorum idolorum (quæ impura dæmonia erant) adoratio-
Pſal. 105. nem defeciſſent, *abominatus eſt Dominus hæreditatem ſuam, tradidit eos in manus Gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos.* Sic enim quondam
Leuit. 26. comminatus fuerat. *Diſpergam vos in omnes gentes, & euaginabo poſt vos gladium meum, eritq́ terra*
Deut. 4. & 28. *veſtra deſerta, & ciuitates deſolatæ.* Et rurſum: *Diſperdet vos in omnes gentes.* Rurſúmque: *Diſpergeris per omnia regna terræ, &c.*

Ne verò quis putaret huiuſmodi comminationes vanas eſſe vel inania verba, conſpiciamus quot, quámque horrendis exemplis Deus illas cõfirmauerit. Primò regnante Oziâ ſuper
4. Reg. 17. decem tribus, Salmanaſar rex Aſſyriorum poſt
Tob. 1. triennalem obſidionem Samariæ (quæ Iſraëlitici regni metropolis & regia erat) eam tandem expugnauit, regnum vaſtauit, & vniuerſum populum, qui bello ſuperērat, trãſtulit in duriſſimam Aſſyriorum captiuitatem & ſeruitutem vſque in præſentem diem.

Secundò, diſperſæ ſunt duæ aliæ tribus, Iuda ſcilicet & Ben-iamin, captis Ieroſolymis cum
4. Reg. 25. perfido rege ſuo Sedechia, vxoribus, liberis,
Ierem. 27. aliíſque principibus viris, vaticinante beato
Lament. 1. 2. 3. Ieremiâ. Túncque funditus euerſa eſt ſancta ciuitas, templum flammis abſumptum: & qui

gladium, famem, flammam, peſtilentiam euaſerant, velut pecorũ greges in ſeruitutem Chaldæorum ſunt abacti.

Tertiò miſerè diſſipatæ & oppreſſæ fuerunt Iſraëlis reliquiæ, nũc per Syræ, mox per Ægyptiorum reges, tum mutuis bellis, tum aduerſus eundem Iſraëlem confligentes. Enimuerò miſera Iudæa inter vtróſque conſtituta, & nũc huic parti, mox alteri addicta, ab vtriſque conculcabatur, & omni crudelitate diripiebatur. Hanc cariſſimæ patriæ atque ſacrorum eius profanationem non ferentes pij viri, longè latéque fugiebant & vagabantur, adeo vt etiam deſerta peterent, & cum feris tutiùs quàm cum illiusmodi & ſæculi hominibus vitam agerent, quemadmodum ex ſacra Machabæorum hiſtoria, & ad Hebræos ſcripta Epiſtola colligitur. *1. Mach. 1. 2. Mac. c. 5. Heb. 11.* Multi circuibãt in melotis, & in pellibus caprinis, cùm aliæ veſtes à prædonibus & militibus raptæ deeſſent, egentes, anguſtiati, afflicti. Et propriis ædibus atque ſedibus eiecti, in ſolitudinibus errabant, lateréque ſtudebant in ſpeluncis, in montibus, & in cauernis terræ. Ad hæc etiam ſpectant, quæ referũtur in Actis, nimirũ, temporibus Pentecoſtes, quibus in Apoſtolos effuſus eſt Spiritus ſanctus, fuiſſe Ieroſolymis Iudæos ex omni natione quæ ſub cælo eſt. *Act. 2.* Certè Ioſippus Compendio hiſtor. de bello Iudaïco, decem captiuitates Iſraëlitarum enumerat, quatuor à Sennacherib, quatuor à Nabuchodonoſor, vnam à Veſpaſiano, & vnam ab Adriano ſuperſtitioſo: qui Bitter ciuitatem

munitiſſimam deſtruxit, & Iudæos tranſtulit in Hiſpaniam. Hæc eſt captiuitas decima. Accedit Rabbi Beniamin, ſcribens in Itinerario ſuo, ſe Iudæos diſperſos inueniſſe in Gallia, Hiſpania, Italia, Germania, Macedonia, Phrygia, Cappadocia, Pāphylia, inſulis Cycladibus, Bythynia, Galatia, Armenia, vtráq; Syria, Arabia, Chaldæa, Perſide, India, & ad Sinas vſque. Rurſus, in Ægypto, Africa, Lybia, Æthiopia, & omnibus finibus terrę, quos laborioſè peregrinando peragrauit. Rabbi Aben Eſra, & Rabbi Eldad Danius ſcribūt, innumerabilem Iudæorum multitudinem aliquando è Palæſtina fugiſſe in Æthiopiam, ibidémque ſedes ad ſua vſque tempora fixiſſe. Rabbi Elias in Tiſbi, & Rabbi Moſes quem citat, alios quoque conſtituūt in Meſopotamia & Media. Ioſephus multos etiam collocat inter Arcas & Raphaneas regni Agrippæ ciuitates. Orontius Delphinas alios ſubiicit circulo Arctico vltra pelagus glaciale. Ab aliis dicuntur etiam inhabitare mare Caſpium, Seras, & Indos. Nec deſunt qui Tartarorum innumerabiles hordas Iudæos exiſtimēt, qui lapſu temporū, Legis obliti, ad Mahumetanos ritus facilè declinarunt, &c. Tam miſerè fœdéque direptum & per vniuerſum orbem diſſipatum eſt Iudæorum miſerabile genus.

Com. in cap. 8. Cantic. *Hiſt. de Iudæis clauſis.* *l. 7. de bello Iud. c. 24.* *In corde geographico.* *Genebr.*

Quartò deniq;, plurimi ex omnibus duodecim tribubus Iudæi qui in Chriſtum crediderunt, obruto lapidibus Stephano, Phariſaïcam rabiem fugientes, in varias regiones ſeſe rece-

perunt. *Facta eſt* (ait S. Lucas) *in illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt præter Apoſtolos.* Hoc autem modo diſperſi nihilominus euangelizabant verbum Dei, & vbique locorum ac gentium nouos tum ex Iudæis tum ex gentibus diſcipulos Chriſto acquirebant & conſecrabant, &c. Atque hæc de multis diſperſionibus duodecim tribuum Iſraëlitarum, quos beatus Iacobus tam officioſè ſalutat. *Act. 8.*

Quoniam verò periculum erat, ne hi noui Chriſtiani & diſcipuli tam duris exiliis pulſi, tot caſibus iactati, tot ærumnis afflicti, tot dénique hoſtibus & mortibus expoſiti deficerent animis, fidemque & religionem Chriſti desererẽt: plurimis exhortationibus & conſolationibus fuerunt muniendi ac confirmandi. Itaque Spiritus ſanctus Eccleſiæ ſanctificator & rector, non ſolùm D. Iacobi, ſed & ſummorum Apoſtolorum Petri & Ioannis animos ad ſcribendum ad illos Epiſtolas impulit: quæ incredibiliter eoſdem delectarunt, recrearunt, & ſuſtentarunt. Petrus namque ſcribit diſperſis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bythinia: & Ioannis prima Catholica (vt Tertullianus obſeruat) directa & inſcripta eſt ad Parthos. His enim præſertim Apoſtolis cõmiſſum fuit Euangelium in Circuncisione, ſicut Paulo in præputio. Quocirca D. Iacobus hinc inde diſperſos duodecim tribuum Iudęos hac ſua Epiſtola ſtudioſè hortatur (ait ven. Beda) ne in tentationibus à fide Chriſti deficiant: deinde, peccantes *1. Petr. 1.* *Hyginus ep. 1. Aug. q. 39. Euang.* *Gal. 1.*

caſtigat: bonos hortatur, vt in virtutibus proficiant: & incredulos admonet, vt pœnitentiam de nece Saluatoris, cæteriſque quibus implicabantur ſceleribus agant, antequam eos cœleſtis vltio percellat. Iacobus (inquit Dydimus Alex.) Circuncifionis Apoſtolus, his qui ex Circunciſione ſunt, ſuo iure ſcribit, ſicut & Petrus.

Com. in hūc locum.

Omnibus autem *ſalutem* plurimam exoptat. Etenim χαίρειν eſt gaudere, lætari, bono animo eſſe, vtcunque res externæ huius mundi cadant. Precatur omnem *ſalutem*, quæ viatoribus contingere poteſt tum corporis tum animi. Illis itaque exoptat Fidem veram & conſtātem, qua Deum agnoſcant: Spem inconcuſſam, qua promiſſis illius innitantur: & Charitatem, qua diligant eundem ex toto corde ſuo, ex tota anima, & ex omni mente ſua. Exoptat rurſum eis Patientiam in aduerſis, moderationem in proſperis tebus, &c. demumque ſalutem ſempiternam cum perfecta corporis & animi glorificatione.

Obſeruandum porrò Apoſtolum non illis honores huius ſæculi, non plurimas opes, non denique (cuius tamen maximopere egere videbantur) libertatem carnis à Deo precari: ſed bona ſpiritalia, quibus & Deo grati, & tandem in cœlis perpetuò beati & felices eſſe poſſent. *Primùm quærite regnum Dei*, ait Chriſtus, *& cætera adiicientur vobis. Quid enim prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* Eodem ſpiritu afflatus Ioannnes, *Electæ dominæ, & natis eius*, ante omnia deſiderat gra-

Matth. 6.

Matth. 16.

2. Io. 5.

tiam, miſericordiam, & pacem à Deo Patre, & à Chriſto IESV. Et ſeptem Aſiæ Eccleſiis quibus Apocalypſim deſtinat, precatur *gratiam & pacem, ab eo qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Id eſt, non bona caduca, iuſtis & iniuſtis communia, quæque nobiſcum intereunt: ſed ſpiritus Sancti dona, quæ nec ab hominibus dari poſſunt, nec auferri. *Apoc.* I.

Hinc etiam notandum, Apoſtolos iuxta præſcriptum Domini, curam imprimis habuiſſe de Iudæis vocandis, & docendis. Tametſi enim hoſtes fuiſſent ſecundùm carnem, cariſſimi tamen propter patres. Horum enim erat adoptio *Rom.* II. filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & promiſſa: ex quorum patribus, Chriſtus *Rom.* 9. ſecundùm carnem. Idcirco præcipiebat, *Ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Primùm itaque *Matth.* 10. oportebat illis offerre verbum & regnum Dei. Sed quando ſe vtroque indignos reddiderunt, tum Apoſtoli conuerſi ſunt ad Gentes. Exciſi *Act.* 13. ſunt à radice oliuæ, id eſt ſanctiſſimorum patriarcharum, vt nos inſereremur. Cæcitas contigit ex parte in Iſraël, vt Gentium intraret plenitudo. *Rom.* II.

Inde conſiderandum, quanta cura & ſolicitudine primi Eccleſiæ paſtores Apoſtoli, & apoſtolici viri, officio ſuo docendi omnes gentes incubuerunt; quando non tantùm præſentes *Matth.* 28. verbis, exemplis, & ſacramentis pauerunt: ſed & abſentes, diſperſos, atque futuros ad omnem pietatem ſcriptis, miſſiſque Epiſtolis ſunt adhortati. Cunctis inuigilabant, tanquam de ani-

mabus eorum rationem aliquando reddituri. Nouerant dictum à Domino Ezechieli: *ſanguinem pereuntium de manu tua requiram*. Pari ſtudio & labore Paulus adſtantes ſibi docebat, & abſentium Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, &c. literis ad eos miſſis procurabat. Iuſtinus, Tertullianus, Clemens Alex. Cyprianus ſuis paræneſibus, apologiis, & conſolatoriis ad abſentes & vẽturos libellis; innumeris bene cõſuluerunt. Hodie maior pars eorum qui magnis ſacerdotiis præficiuntur, nec præſentibus, nec abſentibus prodeſt ad ſalutem: quandoquidem illiterati, nobiles, aulici, proiecti fiduciarij, magnos redditus ſolummodo rapere, & abſumere curant. Superi meliora velint.

Præterea, hîc ſuſpicienda proponitur Diuina in exules & diſperſos Chriſtianos bonitas & cura: quando illis de piis & ſedulis doctoribus prouidet, qui ſuis adhortationibus fidem eorũ confirment, & ſalutem promoueant; Apoſtolos ſua paſſione diſſipatos, nunc per mulieres, mox per ſeipſum variis apparitionibus & verbis
Iſa. 49. bis conſolatus eſt. *Si mulier poteſt obliuiſci infantem vteri ſui*, ait per Prophetam, *ego tamen non obliuiſcar tui*. Et Dauid in exiliis, in deſertis, in bellis, in grauiſſimis tentationibus hanc ſollicitudinem Diuinam expertus, dicit: *Secundùm*
Pſ. 39. *multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Nemo igitur pius in ærumnis & periculis ſuis deſperet, nemo de cœleſti erga ſe cura diffidat.

Apoſtolus denique, ſuo exemplo docet, offi-

cium ſalutandi planè euangelicum, apoſtolicum, & Charitatis opus eſſe, quo inuicem bene precamur. Illud autem non eſſe negligendum, vel ſuperbè aſpernãdum, ſuis grauiſſimis exemplis oſtenderunt beati Angeli plurimos homines ſalute impertientes: & rex Angelorum Chriſtus, qui miſeros alioqui Diſcipulos, & mulierculas frequenter ſalutauit, dicens: *Auete.* *Luc. 24.*
Pax vobis, &c. Et hæc de Titulo ſeu epigrapha *Io. 20.*
totius huius Epiſtolæ: ſequitur Narratio. *Matth. 27.*

Omne gaudium & conſolationem exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, &c. 2.

Hæc prima exhortatio paradoxon verè Apoſtolicum ac Euangelicum planè continet, cuius ſumma eſt: Afflictiones & calamitates pro Chriſti nomine toleratas, non eſſe materiam mœroris, ſed gaudij & lætitiæ. Tentationum enim nomine D. Iacobus intelligit improborum hominum odia, minas, calumnias, inſectationes; proborum autem, exilia, bonorum temporalium rapinas, vincula, carceres, mortes, & omne calamitatum genus, quod pro fide ac pietate inferri poteſt. Eodem ſenſu plagæ Ægypti vocantur magnæ tentationes. Cæcitas quoque *Deut. 29.*
oculorum ſancti Tobiæ, appellatur tentatio. Et *Tob. 2.*
Dauid perſecutionem ſuam nominat tentationem, *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Quinetiam Chriſtus dicens Apoſtolis, *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, id eſt, peregrinationibus, vigiliis, perſecutionibus. Nec ab hac phraſi abhorruit Tullius: Animi valen- *Pſ. 17.* *Luc. 22.* *In Tuſcul.*

tes morbo tentari non poſſunt: corpora poſſunt, &c.

Vult itaque Apoſtolus; Quandoquidem, Viri Chriſtiani, iidémque longè chariſſimi, hominis ratio, & quod longè præſtantius eſt, cõmunis fides, & baptiſmi religio nos fratres efficit; atque inter fratres oportet lætorum, & triſtium eſſe ſocietatem, vehementer diſcruciaret animum meum veſtra calamitas, niſi de veſtra pietate & conſtantia confiderem. Non me latet filiis huius ſæculi, qui omnem felicitatem ſuam terrenis bonis ac voluptatibus metiuntur, præter ius faſque pulſari in exilia, eſſe graue à chariſſimis diuelli, miſerum ab omnibus odio haberi, triſtiſſimum denique propter veritatem & iuſtitiam omnibus ſuppliciis ſubiici, diſcruciari, enecari. Sed vos qui ſummæ felicitatis veſtræ proram & puppim in Chriſto collocaſtis, quíque ad bona cæleſtia tantùm ſuſpiratis, animorum immortalitatem, corporum beatam reſurrectionem, & vitam venturi ſæculi æternam creditis & expectatis, ab illorum ſententia quàm longiſſimè oportet abeſſe. Etenim ſi propiùs expenderitis, quales quantíque fructus ex iſtis tentationibus oriuntur, ſentietis profectò plus ineſſe mellis, quàm fellis. Illæ ſiquidem non vobis accidunt caſu vel fortuna: ſed immittuntur à Deo omnium noſtrum parente indulgentiſſimo, & ſalutis veſtræ amantiſſimo: vt illis ſoporem veſtrum excutiat, patientiam probet, obedientiam exerceat, contractas ſordes expurget, ad feruentes preces impellat, mundi huius

huius contemptum doceat, & ad cæleſtis vitæ ſtudium atque deſiderium mentes veſtras excitet & accendat. Itaque non oportet vos animis conſternari, non tabeſcere mœroribus: ſed potius toto pectore gaudere, & pro ſummo lucro reputare, quãdo aduerſum vos pro Chriſti cauſa mundus ſæuierit. Nam hoc argumentum eſt, vos Deo caros eſſe, ac ſolicitudini: qui ſtatim vt liberator & conſolator aderit.

S. MAXIMVS exiſtimat Chriſtũ, docentem diſcipulos ſuos quomodo ſit orãdum, vt abſtinerent ab vltronea tentationum ſpecie, dicẽtes: *Et ne nos inducas in tẽtationem*, precarentur, ne deſererentur ad experiendas oblectãtes tentationes. Magnũ autem Iacobum, qui dicitur, frater Domini, ad ſpeciem tentationũ coactarũ, ſe retuliſſe, dũ docet, certãtes pro veritate nõ debere terreri, inquiens: *Omne gaudiũ exiſtimate, &c.* *Centur. 3. œconomic. c. 52.*

Ex his autem primò notandum, crucem, id eſt, multiplices perſecutiones & miſerias ſemper comites eſſe veræ fidei & pietatis Chriſtianæ, adeo vt iuxta Apoſtolum, *Quicunque voluerint piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* *2. Tim. 3.* Chriſtus quoque ait: *Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur. In mundo preſſuram habebitis. Mitto vos ſicut oues in medio luporum.* *Io. 15. Matth. 10.* Hinc Paulus non tam conquerens, quàm exultans animo exclamat: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* *Rom. 8.* *Nos qui viuimus, in mortem tradimur propter IESVM, vt & vita IESV manifeſtetur in carne noſtra mortali.* *2. Cor. 4.*

Sed quæ qualéſque rationes tantarum cala-

mitatum Seruorum Dei? Prima, odia furoréſq; Satanæ, & omnium diabolorum eius, & aduerſus vniuerſum genus humanum, quod euerſum & perditum eſſe cupiunt. Inde horrendas in ſacris literis nuncupationes illas cõſequuti ſunt, quas alibi enumerauimus. Deinde, improborum hominum eiuſdem Satanæ prauis deſideriis obſequentium malitia, qua de peccatis coargui & damnari ferre nolunt. *Me odit mundus*, inquit Christus, *quoniam teſtimonium perhibeo, quòd opera eius mala ſunt. Qui malum facit, odit lumen.* Poſtremò, ſecretum iudicium Dei, volentis per iſtiuſmodi cruces ſeruorum ſuorum patientiam explorare & coronare. *Caſtigabo te in iudicio*, ait ille, *ne videaris tibi innocens.*

Com. in Ep. b. Iudæ. *Io. 7.* *Io. 3.* *Ierem. 30.*

S. AMBROSIVS hinc etiam obſeruat, quòd quantumuis quis profecerit, eum tamen tentationes non deſerunt, Paulus vſq; ad tertiũ cœlũ raptus, audierat arcana ineffabilia: nihilominus prodigioſis adhuc tentationibus vrgebatur. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis.* Tentationes tamen huiuſmodi laudabiles eſſe, Iacobus Apoſtolus teſtatur, dicens: *Omne gaudium exiſtimate fratres, &c.* Hæ namque velut cuſtodia quædam homini adhibẽtur. Sicut enim caro quamuis præcipua ſit, niſi ſale aſpergatur, corrumpitur: ita & anima quantumuis perfecta, niſi aſſiduis ſaliatur tentationibus, relaxatur. Ad obſeruationes redeo.

Tract. de 42. manſ. manſ. 18. *2. Cor. 12.*

Secundo itaque loco notandum, has calamitates non niſi Deo volente, & eaſdem moderante Sanctis accidere. Ait enim Propheta:

Si eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus? *Amos. 3.*
Et per Iſaiam: *Ego Dominus formans lucem, & Iſa. 45.*
creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Ego
Dominus faciens omnia hæc. Beata quoque Anna *1. Reg. 2.*
in cantico dixit: *Dominus mortificat & viuificat:*
pauperem facit & ditat: humiliat & ſubleuat. Si-
quidem nec ipſe princeps inferorum Satanas
beati Iobi liberos, corpus, ſeruos, boues, oues, *Iob. 1. & 2.*
camelos, vnquam auſus fuiſſet contingere, niſi
Dominus permiſiſſet. Neque legio dæmonum
in porcos intrare niſi idem annuiſſet. Nulli er- *Matth. 8.*
go ſicarij, nulli homicidæ, nulli tyranni, nulli
diaboli aduerſus Dei ſeruos graſſari poterunt,
niſi quantum & quandiu conceſſerit Omnipo-
tens ille, cuius voluntas occulta eſſe poteſt,
iniuſta non poteſt. Refert Euſebius, Aurelia- *l. 7. hiſt. c.*
num imperatorem tum repentina morte per- *26.*
cuſſum, cùm edictis de Chriſtianorum perſecu-
tione ſubſcribere vellet: vt oſtenderet Deus,
quia non cùm voluerit tyrannus, cruciamur: ſed
cùm probauerit ipſe, corripimur.

Tertiò, nunquam ſub illis eſt deficiendum
animo, aut cõfugiendum ad ſortem impiorum,
aut in Dei prouidentiam inſurgendum vel ob-
murmurandum: ſed potius gaudendum; &
tanquam de rebus vtiliſſimis & ſaluberrimis
exultandum. Etenim filio Dei aſſerente, *Bea-* *Matth. 5.*
ti ſunt qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.
Idcirco ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu *Act. 5.*
concilij Iudæorum, quoniam digni habiti eſ-
ſent pro nomine IESV contumeliam pati. Et
Paulus de ſe & comitibus ſcribit: *Gloriamur in* *Rom. 5.*

Gal 6. *tribulationibus. Abſit mihi gloriari, niſi in cruce*
Apol.1. *Domini noſtri, &c.* Iuſtinus quoque Martyr teſtificatur, primos martyres ad ſupplicia damnatos & raptos dixiſſe Magiſtratibus: Gratias agimus, quòd à moleſtis dominis liberemur, & ad Patrem regemque cæleſté proficiſcimur:
L. ad Scapulam. Et Tertullianis ait: Magis damnati, quàm abſoluti gaudemus.

Sed quo pacto fragiles, & carne tam imbecillá & ſenſili circundati homunciones, ſub perſequutionum pődere gaudere poterűt; cùm Chriſtus totius conſtantiæ & virtutis exemplar perfectiſſimum, crucis & mortis apprehenſione, incredibili triſtitia & mœrore fuerit affe-
Matth. 26. ctus? Reſpondeo, Chriſtus pro peccatis totius mundi patiebatur, & ſatisfaciebat diuino iudicio: Martyres pro veritate & gloria Dei aſ-
1. Cor. 15. ſerenda paſſi ſunt. Deinde, Paulum duplicem hominem conſtituere, nouum ſcilicet atque veterem, cæleſtem & terrenum, ſpiritualem & animalem. Vetus, terrenus, & animalis certè non poteſt non triſtari, non horrere, non ingemiſcere crudelium ſuppliciorum & diræ mortis contemplatione ac ſenſu: ſed nouus, cæleſtis, ac ſpiritalis ſummopere lætari & exultare poteſt Diuinæ fruitionis ac cæleſtis gloriæ, quam ſibi præſto conſpicit, contemplatione. Accedunt internæ ac ſpiritales conſolationes Spiritus ſancti, quibus ſuis ſe adeſſe Dominus manifeſtat, vt eos adiuuet, & recreet, atque vel ad vtilitatem vel ad voluntatem citò li-
Pſ. 90. beret. *Cùm ipſo ſum in tribulatione*, ait, *eripiam eum, & glorificabo eum.* Et rurſum. *Si tranſieris per*

ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te. Hinc Paulus exclamat: *Benedictus Deus,* 2.Cor. 1.
& pater totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.

Aurea profectò D. Aurelij Auguſtini, & huic propoſito valdè accommoda verba prætermittere nec valeo nec debeo. Ait enim ad *Solilꝺq.* Dominum. Tu ſolus dulcis appareas animæ *c.*22. meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulceſunt. Tua enim dulcedo, *Act.*7. Stephano lapides torrentis dulcorauit. Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati. *Act.*5. Ibat Andreas ſecurus ad crucem, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipſos Apoſtolorum principes ſic repleuit, vt pro ipſa, crucis patibulum vnus eligeret, alter caput ferienti gladio ſupponeret. Pro hac emenda, Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque guſtanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc vt guſtauit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamauit quaſi ebrius: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* *Matth.* 17. Vnam ſtillam dulcedinis guſtauit, & omnem aliam faſtidiuit dulcedinem. Quid putas, dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis Diuinitatis tuæ guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te? Hanc illa guſtauerat virgo, *Agata.* de qua legimus, quòd lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem, quaſi ad epulas inuitata. Hæc

eſt illa Domine, beatitudo, quam expectamus daturum te nobis: pro qua tibi continuè militamus, pro qua mortificamur tota die, vt in tua die, vita tibi viuamus, &c. Hæc ille: quibus illa quæ de interna dulcedine, conſolatione que ſpiritualis hominis pro Chriſto patientis, dicebamus, grauiſſimis exemplis comprobantur: & ad perſecutiones afflictionéſque ſæculi alacriter perferendas omnes inuitantur.

Notandum quartò, longè diuerſum eſſe gaudium filiorum huius ſæculi, id eſt, hominum improborum & reproborum, à gaudio & conſolatione piorum atque filiorum Dei. Etenim
Iob. 21. illi (vt ait Iob) *gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*
Prou. 2. *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſ-*
Prou. 14. Matth. 8. *ſimis.* Ergo *extrema huius gaudij luctus occupat, & fletus, & ſtridor dentium, & tenebræ interiores ac*
Luc. 6. *exteriores. Væ vobis*, ait Iudex viuorum & mortuorum, *qui ridetis, quia plorabitis. Væ vobis, qui habetis hic conſolationem veſtram, &c.* Piorum autem gaudium eſt in bonæ conſcientiæ teſtimonio, & futuræ beatitatis æternæ expectatione certiſſima. *Triſtitia veſtra*, dicebat ſuis Chriſtus, *vertetur in gaudium. Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Poſtremò notanda eſt ſumma huius Apoſtoli charitas & modeſtia, qua ſubditos, exules, afflictos, & meritis ſuis longè impares, appellat *fratres ſuos.* Diſcant igitur maiores, ſubiectos ac inferiores non aſpernari, non inſtar luti aut

pulueris pedibus conculcare: ſed pro fratribus reputare. Habent ſiquidem eundem Deum factorem & patrem, eundem Chriſtum redemptorem & iudicem, eundem Spiritum ſanctificatorem & doctorem, eandem Eccleſiam matrem: eundem ſpirant aërem, &c. Hinc Syracides: *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli, eſto quaſi vnus ex eis.* Eccl. 33. Et de Rege Iſraëlis conſtituitur: *Non eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Deut. 17. Quilibet ergo de ſe ipſo ſubmiſsè & loquatur, & ſcribat, & ſentiat, ſi Apoſtolorum velit eſſe imitator. Sequitur.

3 *Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur.*

Quoniam non ignorabat Apoſtolus, homini carnali laborioſum eſſe ac difficile toto animo lætari in perſecutionibus & afflictionibus huius ſæculi, eleganti gradatione quaſdam earum vtilitates & fructus recitat: vt inde colligat probétque propter illas viro Chriſtiano lætandum eſſe, non mœrore tabeſcendum. Prima vtilitas eſt, quòd probant hominum fidem ac religionem in Deum. Secunda, patientiam exercent atque producunt. Tertia, bona Chriſtianorum opera perfecta reddunt. Quarta, pios Dei ſeruos coram Domino gratos & acceptos efficiunt. Nunc de prima dicamus.

Quia ſecundùm Auguſtinum, vires fidei tentatione diſcuntur: eadémque inexercitata langueſcit, Deus perſecutionibus tyrãnorũ & fraudibus hæreticorum illam examinat, explorátque vtrum ſolida, conſtánſque permaneat: In pſ. 36. & in pſ. 118.

necab illa deficiamus, etiam ſi de hac vita propter eam exeundum fuerit. Quando itaque ſub illarum pondere nobis ingemiſcendum, ac inſtar Iobi, multis annis corpore laborãdum pro doctrinæ catholicæ defenſione eſſet, conſtanter dicendum & profitendum eſt: *Etiam ſi occiderit me, ſperabo & credam in eum.* Et cum Paulo: *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principtus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* Si totus illabatur orbis, impauidùm ferient ruinæ. Etſi vniuerſus mundus à Chriſti doctrina deficeret, cum Petro dicẽdum: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Licet Paulus, licet Petrus, imò licet Angelus de cœlo nobis euangelizaret aliud, præterquam quod euangelizatum eſt nobis, anathema ſit, id eſt, à Deo maledictum, reprobatum, & damnatum. His ſubſcribit beatus martyr Ignatius: Quiſquis dixerit præter ea quæ ſtatuta ſunt, etiam ſi fide dignus ſit, etiam ſi ieiunet, etiam ſi virginitatem ſeruet, etiam ſi ſigna faciat, etiam ſi prophetet, lupus tibi cenſeatur, ſub ouis pelle omnium corruptionem moliens. Imminentibus perſecutionibus, cum eodem viro planè apoſtolico, ore & corde dicendum: Paratus ſum ad ignem, ad beſtias, ad gladium, ad crucem, dumtaxat vt Chriſtum videam Deum & Saluatorem meum, qui pro me mortuus eſt. Eadem ratione Irenæus & Euſebius meritò celebrant hoc ingentis conſtãtiæ

Iob.13. Rom.8. Io.6. Gal.1. Epiſt. ad Hieronem. Ep. ad Tarſenſes. Epiſt. ad Rom. l.4.c.14. l.4.hiſt.c.17.

Iuſtini martyris propoſitum: Nec ipſi quoque Domino credidiſſem, alterum Deum annunciante, præter fabricatorem & nutritorem noſtrum, &c.

Ex his porrò notandum, Deum multifariàm multíſque modis fidem ſuorum examinare & probare: non quòd ignoret qualis ſit, ſed vt imbecillitatis noſtræ conſcij ad eius opem nunquam non confugiamus, dicentes: *Domine, adauge nobis fidem.* Luc.17. Tentauit fidem Abrahæ, iubens vt exiret de terra & cognatione ſua. Gen.12. & 22. Tentauit, præcipiendo illi, vt immolaret Iſaac vnigenitum ſuum. Multis peregrinationibus ac ærumnis per quadraginta annos tentauit Iſraëlem in deſertis. Deut.8. Rurſum, ſinendo vt multi pſeudoprophetæ inſurgerent, multaque vaticinarentur & fingerent, dicerentque pro concionibus populo: *Eamus, ſequamur deos alienos quos ignorauerunt patres noſtri, & ſeruiamus eis.* Deut.13. *Nolite audire* (ait Moyſes) *verba illorum, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non.* Tentauit Apoſtolos exquirendo, *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Ioan.6. Et de omnibus iuſtis dicitur: *In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos, &c.* Sap.3.

Obſeruandum ſecundò, Deum explorare probareque fidem noſtram, non vt tum primùm innoteſcat ei quanta ſit: nouit enim ille abſcondita cordis, ſcrutatur renes & corda, nouit omnia antequam fiant; ſed vt purior & clarior euadat, ſicut aurum ex fornace. Deinde, vt

nobiſmetipſis penitius innoteſcamus:id eſt, vt noſtram imbecillitatem & inconſtantiam, (quippe qui ſine cæleſtis gratiæ adiutorio nihil poſſimus) apertiùs contemplemur. Poſtremò, vt fratribus atque proximis noſtris exemplo ſimus patientiæ ac conſtantiæ. Ita Chriſtus Apoſtolorum ſuorum, maximè Petri, fidem probauit in mari, in ablutione pedum, in paſſione, & poſt reſurrectionem ſuam, dum tertiò petiit ab illo, ſi plus aliis eum diligeret. Paulus quoque affirmat perſecutiones, vincula, carceres, & afflictiones, id eſt, tentationes ſuas, multum profuiſſe Euangelij promulgationi: quoniam fratres conſtantiam eius cernentes, abundantiùs audebant ſine timore loqui verbum Dei.

Matt.14. & 26. Io.13.& 21.

Philip.1.

Referunt etiã ex Clemente Alex. Euſebius & Nicephorus, Phariſæũ qui Diuo Iacobo cauſa necis fuit, videntem illius conſtantiam, conuerſum ad Chriſtum, ſimúlque cum illo Herodis gladio cæſum. Et Iuſtinus martyr conteſtatur, ſe ad fidem Chriſtianorum amplexandam perductum eſſe, cùm cerneret illos nulla tormenta pro illius profeſſione horrere. Hinc grauis iſta ad Tyrannos & perſecutores Chriſtianorum Tertulliani exclamatio: Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio innocentiæ noſtræ eſt iniquitas veſtra. Ideo nos hæc pati Deus noſter patitur. Et poſt pauca: Exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum. Et rurſum paulò poſt, Quis enim non contemplatione

l.7.Hypot. l.2.hiſt.c. 9.

Apolog. 1.

Apologet. c.vlt.

conſtantiæ noſtræ conuertitur ad requirendum, quid intus in re ſit? Quis non vbi requiſiuit, accedit? Vbi acceſſit, pati exoptat, vt gratiam Dei redimat, vt omnẽ veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expendat? Et D. Hieronymus: Perſecutionibus creuit Eccleſia, martyriis coronata eſt. Et idem alibi: Triumphus Dei eſt paſſio martyrum pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tanta perſeuerantia ſtare martyres atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei diſſeminatur in Gentes, & ſubit tanta cogitatio, quòd niſi verũ eſſet Euangelium, nunquam ſanguine defenderetur, &c. An non ergo appoſitè ſcribitur à D. Iacobo, probationem fidei noſtræ variis fieri tentationibus & anguſtiis? *In vita Malchi.* *Ep. ad Hedibiam.*

Notandum tertiò, vero perfectoque Chriſtiano neceſſarium eſſe, non frigidè aut perfunctoriè credere: ſed conſtanter, feruidè, & animosè, vt nulla vi, nulla ſuaſione, nullis artificiis abduci valeat. Nam fides Chriſtiana eſt aſſenſus animi firmus & inconcuſſus, veluti verbis Dei (qui nec fallere, nec mentiri poteſt) penitus innixus: alioqui fides non eſt, ſed duntaxat incerta opinatio. Hinc rectè veréque à Theologis dicitur, præcipuum obiectum fidei eſſe primam ac eſſentialem veritatem, id eſt, Deum: ſecundùm quod ſcribit D. Dionyſius, Fidem circa ſimplicem, veréque ſubſiſtentem veritatem, & nunquam aberrantem ſcientiam verſari. Et hactenus de prima tentationum Chri- *l. de Diu. nom. c. 7.*

ſtianarum vtilitate.

Sequitur: *Probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Hæc eſt ſecunda tentationum, id eſt, afflictionum Christianarum vtilitas: nimirum, omnium virtutum decus, fundamentum & corona, Patientia. Illa enim, vt ſcribit Tertullianus, (*l. de patientia.*) ita propoſita Dei rebus eſt, vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare, expers patientiæ poſſit. Sicut è contrario, impatientia eſt matrix omnium delictorum: & omne peccatum impatientiæ adſcribendum. Potiſſimùm autem patientiæ exemplar Deus eſt, (*Matt. 6.*) qui quotidie Solem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos innumeráque beneficia, ingratis, perduellibus, & blaſpemis confert hominibus, (*Sap. 11.*) *diſſimulans peccata eorum propter pœnitentiam.* Eiuſdem Dei Filius mirabilem etiam patientiam oſtendit in conceptione, natiuitate, conuerſatione, morte & paſſione. Ingratos curauit, inſidiatoribus ceſſit, proditoris pedes lauit, eidémque & corpus & oſculum porrexit. (*Iſa. 53.*) *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* (*1. Petr. 2.*) *Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur, &c.* Rurſum, Abrahæ fides explorata fuit multis & duris peregrinationibus, domeſticis iurgiis, vnici filij immolatione, pace, bello, &c. Iſaias ſerræ diſſecatione; Ieremias carceribus, venenis, luto, captiuitate, lapidibus; Ionas maris fluctibus, belluis; Michæas colaphis: Elias grauiſſimis Regum minis, deſertis, fame; & vt Pauli verbis concludamus, (*Heb. 11.*) *hi omnes teſtimonio fidei, pro-*

bati inuenti ſunt. Quis igitur de tantis Patientiæ commodis non lætaretur? Ad tantas diuitias non adſpiraret?

E contrario verò, Impatientiæ ſuaſor & author eſt diabolus. Nam impatienter ferens Deű omnia ſubieciſſe homini, inuidus primos parentes ſuæ ſortis impatientes decepit, occîdit, perdidit. Cain Abelis felicitatem non ferens patienter, eum neci tradidit. Iſraël per impatientiam ſemper deliquit. Aduerſus Moyſem, Aaronem, Prophetas Dei nuncios, ipſum denique Dominum impatientiâ peccauit. Iudæi & Gentes Apoſtolis & martyribus hanc vitam eripuerunt, quòd eorum prædicationes & correptiones nollent ferre patiẽter. Ergo vt iſthęc, & alia innumera impatientis animi pericula & incõmoda fugiamus, patientis autem fructibus gaudeamus, hîc prædicat Apoſtolus, *Probationem fidei noſtræ patientiam operari*. Quaſi diceret, In iſtis exiliis, diſſipationibus, & calamitatibus veſtris, fratres cariſſimi, nolite animos deiicere: ſed potius eos in cœlum attollentes ad Deum cœleſtem patrem veſtrum, cogitate, eum vt hęc pro gloria ſua patiamini, ſapienter conſtituiſſe. His erga ſe fidem, pietatem, reuerentiam, veſtram explorat: his obedientiam & patientiam veſtram examinat: his omnibus mortalibus palàm vult facere, quàm ſponte, quamque ſedatè & moderatè diſciplinam ſuam feratis. fides autem tot probata tentationibus, incredibilem animi tranquillitatem operatur; facítque vt indiuulsè adhæreatis promiſſionib⁹ Chriſti:

Gen. 3.
Gen. 4.

vos eidem paternè tractandos omninò committatis; & ſempiternę gloriæ coronam de manibus eius læti & gaudentes expectetis.

Ex his autem primò apparet, Patientiam ac tolerantiam aduerſorum viro Chriſtiano adeò neceſſariam eſſe, vt ſi defuerit, perfectus & conſummatus Chriſtianus non ſit. Nam aduerſus ignita diaboli tela, per innumerabiles inſidias, per infinitas aggreſſiones & oppugnationes, in finem vſque nobis tranſeundum & perdurandum eſt. Ideò niſi grandi & conſtanti patientiâ inſtructi fuerimus, millies frangemur antequã ad dimidium ſpatium curſus noſtri veniamus.

Heb.10. Ideo ſcribit alius Apoſtolus: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſsionem.* Et iterum. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei noſtræ* I E S V M: *qui prapoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta atque in dextera Dei ſedet.*

Heb.12.

Deinde, manifeſtum eſt Patientiam rectè finiri à ſapientibus ſæculi: Eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio. Rectiùs verò à Theologis: Patientia eſt virtus, qua quis pro pietate, & pro Deo quicquid accidit aduerſi fert conſtanti animo, nec frangitur.

Poſtea, eandem præclarum eſſe Spiritus ſancti donum, quod continuis ad eundem preci-

Pſal.60. bus fuſis poſtulandum eſt. *Ab ipſo patientia mea,* inquit. Dauid. Et iterum: *Quoniam tu es patientia*

Pſal.70. *mea Domine, & ſpes mea.* Paulus inter fructus

Spiritus pacem, patientiam, longanimitatem recenſet. Idcirco Auguſtinus ſcribit: Patientia donum Dei eſt. Ab ipſo enim verè eſt patientia vera, patientia ſancta, patientia religioſa, patientia recta & Chriſtiana, &c. Lege eundem tom. 4. lib. integro de patientia. *Gal. 5.* *Ser. in natali Vincentij.*

Viginti & ſex præterea Patientiæ vtilitates tam eleganter & ornatè à Tertulliano, deinde à beato martyre Cypriano recenſentur, vt ſi quis eas attento animo comprehenderit, profectò aduerſa omnia imperterrita mente tolerabit, maximè ſi pro Dei nomine atque cultu fuerint inflicta: Patientia, inquiunt, nos Deo commendat & ſeruat, iram temperat, linguam fręnat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit. Coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet. Tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in coniunctis indiuiduam caritatem. Facit humiles in proſperis, in aduerſis fortes, contra iniurias & contumelias mites. Docet delinquentibus citò ignoſcere, ſi ipſe delinquas diu & multum rogare. Tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt, quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit, incrementa ſpei ſublimiter prouehit. Ipſa actum dirigit, vt tenere poſſimus viam Chriſti, dum per eius tollerantiam gradimur. Ipſa efficit, vt perſeueremus filij Dei, dum patientiam Patris imitamur. Habitum de- *l. de patien.* *l. de bono patientiæ.*

nique ac effigiem patientis hominis Tertullianus ita deſcribit: Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta, remiſſa in lætum modum ſupercilia, oculis humiliter deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris & innoxiis, &c.

4 *Patientia autem perfectum opus habeat; vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.*

Tertius & quartus tentationum fructus hac ſententia comprehenduntur. Ille eſt, quòd homines opus bonum, perfectum, & abſolutum velut radices proferunt. Nam opera quantumlibet ſpecioſa & bona coram hominibus videantur, non ſunt tamen perfecta & abſoluta coram Deo cordium inſpectore, niſi ex fide, gratia & patientia prodeant: & in his ad finem vſque perſeueremus.

Oecumenius animaduertendum iubet, quod non dicitur per indicandi modum, *opus perfectum habet*: ſed per modum imperandi, *habeat*. Non enim prædicat Apoſtolus eam, quæ præfuit, virtutem, ſed quę accedit: & quomodo fieri oporteat, ſtatuit. Eodem modo legunt Maximus confeſſor in Centuriis, Metaphraſtes, Gręci omnes: Beda quoque, & omnes emendati codices Latini. Vult ergo Apoſtolus: Nolo tollerantiam veſtram, Fratres, eſſe momentaneam & infructuoſam. Nolo fidem tanta longanimitate probatam, eſſe inutilem: ſed ex his totum virtutis opus, totam pietatis ſtructuram perfici atque conſummari. Sunt qui initio fortitudinem

tiem animi planè heroïcam oſtentant: ſed in medio curſu fracti deficiunt. Summus verò agonothetes noſter Chriſtus hos tantùm probat & coronat, qui ad finem vſque fortes permanent & conſtantes, &c.

Hinc primùm obſerua, maximum ac certiſſimum electionis diuinæ argumentum eſſe, Perſeuerantiam in fide & bonis operibus: vt è contrario, reprobationis euidens teſtimonium eſt à fide & pietate defectio. Iacobum itaque illam meritò præcipere & à cunctis Chriſtianis exigere. Ait enim Dominus: *Vir ſi fuerit iuſtus, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet. Si autem auerterit ſe, & fecerit iniquitates ſecundùm abominationes, quas operari ſolet impius, omnes iuſtitiæ quas fecerit non recordabuntur, in ipſis morietur.* Et in Euangelio hi ſoli cenſentur germani diſcipuli, qui permanſerint in ſermone Chriſti: illiſque ſolis ſalutem Chriſtus repromittit, qui perſeuerauerint vſque in finem. Apoſtolus ideò præcipit: *In diſciplina* (i. correptione Domini) *perſeuerate.* Et iterum: *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini; neque fatigeris dum ab eo corriperis.* Epiſcopo quoque Smyrnenſi dicitur à Spiritu: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Ezech. 18.
Ioan. 5.
Matth. 10. & 24.
Heb. 12.
Apoc. 2.

Præterea, docemur non tantùm ſemel, iterum, iterúmque aduerſus tentationes nobis obluctandum; ſed in finem vſque illis obſiſtendum eſſe. Quid enim præclara proderunt initia, ſi tandem fracti victíque Satanę manus turpiter dederimus? Salomon multa initio dedit fidei & pietatis argumenta: ſed miſerè tandem

ad idola gentium defecit;vt fœdis frueretur voluptatibus. Iudas proditor, Simon magus,Nicolaus hæreſiarcha, Cerinthus, Hymenæus, Alexander, Philetus, Ebion, & multi alij religionem euangelicam aliquando profeſſi ſunt: ſed animarum ſuarum, plurimarúmque aliarum miſerabili iactura,ab eadẽ defecerunt,&c.

Epiſt.ad Iannenſes. Melliflui Bernardi verbis iſtis ſententiam claudo: Sola virtutum coronatur perſeuerantia,ſola meretur iuſtis gloriam,& coronam virtutibus.Perſeuerantia ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis.Tolle perſeuerantiam,nec obſequium mercedem habet,nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.Si cautela Samſonis, ſi Salomonis deuotio perſeuerantiam retinuiſſet, nec is priuaretur ſapientia,nec ille viribus,&c.

Rurſum,videmus conſtantem in fide & bonis operibus perſeuerantiam, præ cæteris virtutib⁹,opera bona perfecta & abſoluta reddere,eo quòd per ipſam omnis philautia,id eſt,ſui ipſius nimius amor, non parum imminuitur: veráque carnis mortificatio, ac totius mundi contemptio & deſpicientia gignitur & confirmatur.Etenim qui in rebus aduerſis impatiens eſt,propria commoda, honores, & voluptates adhuc amare & quærere conuincitur. Amat animam ſuam in hoc mundo, ac ideo perdet
Ioan.12 eam. Nec cum Apoſtolo dicere poteſt:*Viuo ego,*
Gal.2. *iam non ego: viuit autem in me Chriſtus.*Neque,*Sem-*
2.Cor.1. *per mortificationem* I E S V *in corpore noſtro circunferi-*

mus, vt & vita IESV *manifeſtetur in nobis.* Nondum enim abnegauit ſemetipſum; vt decet crucifixum diſcipulum. Matt. 12. & 16.

Vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Iam quartus eſt tentationum & calamitatum fructus: quem aliqui ſic intelligunt: *Vt ſitis perfecti* in fide, *integri* in ſpe, *in nullo deficientes* quod ad caritatem pertineat. Alij verò: *Vt ſitis perfecti* in merito bonorum operum, *integri* in eorum pręmio conſequẽdo; *in nullo deficientes*, quantum ad animæ & corporis cæleſtem attinet glorificationem. Vult igitur Apoſtolus, hominem integrum & perfectum in iudicio extremo coram Chriſto ſiſtere & repręſentare. Sunt qui fidem habent, ſed nulla tentatione exploratam: ſunt qui aliquot certaminibus pro fide ſuſceptis, ſuperiores euaſerunt: ſed tandem proſtrati & victi ſunt, vt de Origine, & aliis quibuſdam referunt veteres hiſtoriæ. Alij nec integri, neç perfecti ſunt coram Deo, quoniam illis multa deſunt. Eos autem qui fortes & ſtabiles in finem vſque permanſerunt, multiplici gloria Dominus coronabit. Nam eorum vnicuique dicet; *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis; ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Locus eis patebit ad cæleſtes nuptias: & aliis dicetur: *Clauſa eſt ianua. Neſcio vos.* Perfectus & integer Paulus dicere potuit: *Bonũ certamẽ certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Perfectus & integer Petrus cum collegis, quibus dicitur: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* In nullo deficiens Stephanus, vidit Matt. 25. 2. Tim. 4. Matht. 19. Act. 7.

Luc.16. cœlos ſibi apertos. In nullo deficiens Lazarus, cuius animam beatiſſimi angeli in locum ſolatij portauerunt. *Hieron.* Perfectus & integer Hilarion, qui animam agens, eidem dicebat: Egredere anima mea, quid times? Septuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortem times?

Ex his porrò Tolerantiæ fructibus ſeu affectis, apparet quã pernicioſus, ac doctrinæ Apoſtolicæ contrarius ſit error Lutheri & Caluini dicentium, *Iuſtum in opere bono peccare. Vniuerſa ſanctorum opera, quantumuis ſancta videantur, nihil niſi iram Dei, & ſupplicia inferorum mereri, &c.* Nam Patientia ἔργον τήλειον, opus perfectum habet, nimirum conſtantẽ vſque in finem perſeuerantiam, etiam ſi pro Chriſti nomine ſit moriendũ. Vnde D. Thomas: Opus perfectum, id eſt, priuilegiatum, ſcilicet, opus martyrij, aureola dignum. Quæ verò perfectio, ſi peccatum ſit? Quale martyrium, ſi perpetuam perditionem promereatur?

Eorundem & alius error ille perſpicuè & ſolidè refellitur, quo *Sanctos ſola imputatione iuſtos dici autumant, cum ſemper atque reipſa coram Deo impuri & peccatis commaculati permaneant.* Etenim tentationes & probationes à Deo ſeruis ſuis immiſſæ, eoſdem *perfectos, integros, & in nullo deficientes* efficiunt: alioqui nobis per Apoſtolum iſtum imponeret Spiritus sãctus, falleret etiam *Matth.5.* Chriſtus præcipiens ſuos eſſe τηλείȣς, perfectos & abſolutos, *ſicut Pater cæleſtis perfectus eſt.* At huiuſmodi perfectus ſtare non poteſt cum peccatorum ac criminum ſordibus. Nulla

enim participatio luci ad tenebras, iuſtitiæ cum iniquitate, Chriſto ad Belial. 1. Cor. 6.

Sed quomodo *perfecti, integri, & inculpabiles* eſſe poterimus, in hoc miſeriarum luto hærentes? Continuis certaminibus expoſiti, in quibus rara victoria? Num verè dicitur, Nil ex omni parte beatum? Reſpondeo. Et ſi naturâ filij iræ, ex gratia tamen filij Dei, & cohæredes Chriſti. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Sancti lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni: idcirco ambulat in albis cum illo, quoniam digni ſunt.* Denique, id omne perfectum, integrum, & inculpabile eſt, quod Deus præcipit, quod operatur in nobis, & quod æterna mercede coronat, &c. Eph. 2. Rom. 8. Ioan. 1. Apoc.

5 *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.*

Hæc eſt ſecunda exhortatio Apoſtolica de vera ſalubri, & Chriſtiana ſapientia, à Deo continuis & feruentibus orationibus exquirenda & poſtulanda. Sunt autem qui huius Sapientiæ nomen reſtringunt ad doctrinæ de patienter ferenda cruce ſuperiorem mentionem: videlicet quaſi præoccupatione vtens Apoſtolus, eorum excuſationibus reſponderet, qui dicunt, ſe non habere donum tantæ fortitudinis ac conſtantiæ, vt cum gaudio varias tentationes ferant, ac ideo carnis infirmitati aliquid concedendum, nec prudentis eſſe ſeſe periculis exponere. Reſpondet itaque, ſi quis

hoc dono deſtitutum ſe cauſificetur, ſupplex à Deo petat omnium bonorum largitore. Petat, inquam, quorſum pij in hoc ſæculo affligantur, quales quantíque ſint afflictionum illarum fructus? vt carnis edomitam petulantiam & rebellionem ſuæ voluntatis ſubdat beneplacitis, & ad crucem alacriter ferendam vires ſubminiſtret.

Alij, vt CYRILLVS, Alexandrinus & AVGVSTINVS, nomine Sapientiæ, Dei, & eorum omnium quæ ad ſalutem hominum pertinent eam perfectam cognitionem intelligunt, quæ nixa ſit verbo diuino, de quo ſcriptum eſt, *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Deinde, huic ſapientiæ annexum volunt ſtudium humilitatis, pudicitiæ, pietatis, timoris, & cultus Dei, ſecundùm id quod ſcriptum eſt: *Ecce pietas eſt ſapientia. Initium ſapientiæ timor Domini. Principium ſapientiæ timor Domini.* Auguſtinus rurſum hanc ſapientiam ita definit: Sapientia mihi videtur eſſe rerum humanarum Diuinarúmque, quæ ad beatam vitam pertineant, non ſcientiâ ſolùm, ſed etiam diligens inquiſitio. Et ante hunc appoſitè Lactantius: Qui vult ſapiens eſſe & beatus, audiat Dei vocem, diſcat iuſtitiam, ſacramentum ſuæ natiuitatis norit, humana contemnat, Diuina ſuſcipiat, vt ſuum bonum ad quod natus eſt, poſſit adipiſci, &c.

l.1. Dialog. de Trinit. *l. de ſancta virg. c. 42.* *Pſal. 18.* *Iob. 28.* *Pſal. 110.* *Prou. 9.* *l.1. contra Academic. c. 8.* *l. 3. cap. vltimo.*

Hæc porrò cùm vniuerſis neceſſaria ſit, omnibus autem propter congenitam animi cæci-

tatem deſit, à Deo aſſiduis votis eſt exquirenda & ſuſcipienda. Non à ſapientibus huius mundi philoſophis qui ſecundas ſolummodò cauſas obſeruantes, & naturam ducem ſequentes, animos hominum inuoluunt & discruciant tenebricoſis quæſtionibus illis, quibus ſcripta eorũ referta ſunt. Nõ à poëtis, quorum impuriſſimi verſus, vel inſanos hominum amores, vel falſorum deorum fabulas canunt. Non à claris oratoribus ſæculi, qui Diuinis donis abuſi, ad lites ſerendas & augendas, ad ſubuertenda iura, ad ſectanda turpia lucra conuerterunt. Non poſtremò, petenda eſt vera Sapientia ex libris hæreticorum, qui nihil niſi ſeditiones ſpirant, conuitia, & probra in omnes crepant, veterum hæreticorum blaſphemias reuocant ab inferis, nouos aduerſus ſanctiſſimam Trinitatem, ſumma Chriſti beneficia, Sacramenta, omnes ſanctos comminiſcũtur. Hi namque omnes quantumlibet ſapientes videantur, & inflatis buccis ſapientiam ſuam iactitent coram hominibus, corã Deo tamẽ verè ſtulti & inſipientes ſunt. *Excæcauit eos malitia eorum. Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt.* Hæc ſapientia inimica eſt Deo, &c. Mundus per ſapientiam iſtam non cognouit Deum, &c. Rom. I. Sap. 2. Ierem 4. Rom. 8. I. Cor. I.

Vera igitur ſapientia, per quam ad vnius, trini, & veri Dei agnitionem peruenimus, hunc ſolùm ſummo cultu veneramur: deinde, Chriſtum mundi ſeruatorem ac iudicem colimus: Spiritum ſanctum Prophetarum, Apoſtolo-

rum ; & Eccleſiæ catholicę doctorem & rectorem perpetuum eadem fide & adoratione proſequimur : qua denique certi ſumus Deum fidem noſtram variis explorare tentationibus, nóſque tandem aliquando beatos fore ac felices, ſi pro aſſerenda vera religione vitam iſtam exuerimus: hæc inquam vera ſapientia Spiritus ſancti donum eſt, Chriſti beneficium eſt ampliſſimum & certiſſimum : quod omnibus qui illud, (quemadmodum decet poſtulauerint,)

Eccl. 1. pro certo conferetur. Ait enim Syracides: *Omnis*
Dan. 2. *ſapientia à Domino Deo eſt.* Et Daniel : *Ipſe dat ſa-*
Iſa. 7. *1. Co. 12.* *pientiam ſapientibus.* Iſaias & Paulus ſapientiam
3. Reg. 2. 3. iſtam inter dona Spiritus ſancti connumerant.
Sap. 7. Et Salomon, ſummis precibus illam eſt conſequitus.

Cæterùm, huius apoſtolicæ ſententiæ multi-
l. de diuin. nom. c. 4. plex vſus eſt apud veteres. Nam B. DIONYSIVS Areop. ex hac probat, peccata quæ fiunt ex ignorantia, non eſſe prorſus excuſabilia coram Deo : quoniam ille paratus eſt ſapientiam darę affluenter & copiosè omnibus, qui eâdem indiguerint, hancque ab illo vt oportet, poſtulauerint.

l. 1. de compunct. cord. c. 6. EFFREM Syrus inde contendit, Deum pluſquam paternè nobiſcum agere, quando bona ſua affluenter nobis largitur: ac iccirco eius clementiæ, bonitati, & miſerationibus, omnē gra-
Serm. ad animam negligētem. tiam & laudem nos debere tribuere. Idem alibi, ex eadem ſententia omnes incitat ad aſſiduas preces, dicens : Exſurge anima, excute omnem

materiam, ſæculi imitare filium prodigum, qui conſumptis omnibus, confidenter venit ad patrem. Pater omni alacritate perrexit obuiam, filium amplexu gemino recepit. Ita qui confidenter acceſſerat, ingenuè ingreſſus eſt: & qui nudus aduenerat, apparuit priore ſtola veſtitus: qui ſe mercenarium dixerat, in Domini reſtitutus eſt ordinem. Et poſt pauca: Et tu igitur anima, pulſa conſtanter, neceſſitatem confitere, perſiſte ad ianuam, & prorſus accipies. Non te abiicit Dominus, non exprobrat tibi conſumptas opes. Sunt enim apud illum theſauri indeficientes, omnibus promptè libentérque largitur, iuxta apoſtolicam vocem, poſtulari à Deo iubentem, qui dat omnibus affluenter, &c. *Luc.* 15. *Luc.* 11.

CYRILLVS ſacrorum Ieroſolymorum Archiep. hinc pios omnes, maximè qui aduerſus perfidos Iudæos & cõſimiles hoſtes fidei Chriſtianæ ſunt dimicaturi, exhortatur ad diligentem Scripturarum lectionem: deinde, vt ad preces quoque confugiant, vt Chriſtus in omnibus glorificetur. Scriptum eſt enim: Si cui veſtrûm deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat Deo, & accipiet. *Cathech.* 13.

AVGVSTINVS hinc efficit, non ſolùm adimpletionem præceptorum Dei pẽdere ex gratia libero cooperante arbitrio, verumetiam eadem noſſe & intelligere. Cur enim oratur, vt accipiatur, ſi ab homine eſt vt habeatur? Huic ſubſcribit Ambroſius lib. de 42. filiorum Iſraël manſionibus, manſ. 27. *L. de natura & gratia. c.* 16. *L. de adorat. in ſpiritu & veritate.*

CYRILLVS Alexandrinus per hanc ſen-

tentiam cõfirmat, perfectam & ſalutarem Dei cognitionem non eſſe hauriendam è poëtarum ethnicorum lacunis quibus innitebatur Gentiliſmus: ſed ex diuinis ſcriptis prophetarum & Apoſtolorum, quæ reipſa ſunt Spiritus ſancti
1. Cor. 2. vera oracula. Vnde & diuinus Paulus. *Non ſpiritum huius mundi accepimus: ſed Spiritum qui ex Deo, &c.* Atque ex ſanctiſſimis Patribus;

Vlterius porrò notandum, quàm miſerabilis & penè incredibilis ſit hominum vniuerſorum cæcitas, quando ſuis viribus relicti, nec Deum factorem ſuum, nec Chriſtum vnicum ſeruatorem & iudicem, nec Spiritũ ſanctificatorem; nec lapſum, nec reparationem generis ſui, nec infernum, nec paradiſum, nec reliqua veræ religionis myſteria, fideíque capita poſſunt cognoſcere. Indigent enim omnes iſta ſapientia: háncque à Deo poſtulent neceſſum eſt. Enim-
Matt. 11. uerò, *nemo nouit Patrem niſi Filius: neque Filium quis nouit niſi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.*
Matth. 16. Petro poſt confeſſionem dicitur: *Caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus qui eſt in cælis.*
L. 4. c. 14. Rectè igitur ſcripſit Martyr Irenæus, Deũ ſcire nemo poteſt, niſi Deo docente: hoc eſt, ſine Deo non cognoſci Deum. Et Auguſtinus non ſemel: Trinitas beatiſſima ſibi ſoli nota eſt.

Obſeruandum ſecundò, vana & inutilia prorſus eſſe hominum ſtudia, vigilias, lectiones, niſi Deus ſua pietate adfuerit, & laboribus noſtris benedixerit: quandoquidem ſecundùm Apoſtolum, ab eo ſapientia poſtulanda ſit. Oleum igitur & operam perdiderunt omnes ſapientes

ſæculi, qui ſine Chriſto, ſine fide, ſine pietate ſine precibus, ſe aliquid ſapere poſſe crediderunt. Appoſitè & eruditè Auguſtinus ad Dominum, Abs te ſapere, eſt deſipere: te verò noſſe, eſt perfectè ſcire. Et idem rurſum, Semper cęcus fuiſſem, niſi me tu illuminaſſes. Iterumq́;. Quid ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? Referens etiam ſe decem cathegorias Ariſtotelis per ſeipſum intellexiſſe, ſubdit: Scis tu Domine Deus, quia & celeritas intelligendi, & diſcernendi acumen domum tuum eſt, &c. Hactenus ille. Sed nec beatiſſimi patris EFFREM Syri ſaluberrimum ad ſtudioſos conſilium pręteriſſe oportet. Cùm te ad legendum, inquit, ſiue etiam ad alium legentem audiendum paras, primùm ora Dominum dicens: Domine IESV Chriſte, aperi aures atque oculos cordis mei, vt audiam, & intelligam, & faciam voluntatem tuam. Quoniam incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua: ſed reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia in lege tua. Manifeſta mihi incerta, & occulta cordis mei, & ſapientiæ tuæ. In te ſpero Deus meus, vt tu illumines mentem meam, &c. Ergo pietati in primis ſtudendum, & precibus incumbendum eſt iis, qui ſeriò litteris operam nauare vtilem & ſalutarem cupiunt. Nam in maleuolam animam non intrat ſapientia, nec in corpore ſubdito peccatis. Spiritus ſanctus, omnis ſapiētiæ fons vberrimus, effugit fictum; & auffert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu ſapientię.

l. Meditat. c.5. *Soliloq. c.15.* *l.4. confeſ. c.1.* *Ibi c.16.* *l. de armatura ſpirituali, c.8.* *Pſ.118.* *Pſ.50.*

Notandum tertiò, quoſdam hîc turpiter aberrare, cùm ex eo quod dicitur *ſapientia à Deo poſtulanda*, Sanctorum ſpirituum qui in cælis degunt, pro nobis apud Deum cõmunem parentem interceſſiones procul reiiciendas & aſpernandas eſſe, colligunt. Nam Dominus & per ſemetipſum aliquoties, & frequentiùs per media quæ expedire nouit, dona plurima confert hominibus, & beneficia tribuit. Angelorum opera Moſem, Danielem, Eliam, Zachariam; denique Mariam, Ioſephum, Magos, Paſtores,
Act. 8. de ſummis fidei noſtræ capitibus erudiuit. Cor-
& 10. nelium Petri miniſterio, eunuchum Æthiopem Philippi verbis; vniuerſum orbem, Apoſtolorũ, diſcipulorúmque laboribus & concionibus ad ſui notitiam perduxit. Quot eorundem ope, ex ſummis periculis eripuit? Quoties Ieroſolymã propter ſe, & propter Dauid protexit? An non
Nazianz. etiam orationibus beatiſſimæ Deiparæ, cuiuſ-
orat. 19. dam virginis integritatem, à magorum, dæmonumque impetu defendit? Sequitur.

Qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.

Quibus verbis animos noſtros nõ ſolùm allicit, ſed velut admotis calcarib⁹ impellit ad preces ſedulò fundendas ad Deũ, pro ſapientia poſtulanda & accipienda, quatuor propoſitis omnipotentis Dei noſtri perfectionibus. Prima eſt ſumma liberalitas & gratia, qua huius ſapientię beneficium ſine præcedentibus meritis largitur
Gen. 2. plurimis, ac in primis Adamo primo omnium noſtrum parenti: qui non niſi cælitus gratiſque

infuſa ſcientia & de Chriſto prophetauit, & nomina rebus impoſuit. Moſi ſacrorum ſuorũ notitia, Dauidi ſuper omnes docẽtes ſe, & ſuper ſenes intelligentiam, Salomoni ſapientiam mirabilem, Apoſtolis denique omnium mundi linguaram peritiam gratuitò impertiuit. Quibus meritis, quáve præcedente iuſtitia Paulus in tertium cælum raptus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui? *Euangelium* (inquit) *non didici ab homine, neque per hominem, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Et in Apocalypſi Spiritus inuitans omnes ad hanc ſapientiam dicit: *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Itaque non debent qui plus cæteris ſapiunt, his donis inſoleſcere, ſed potius cum omni humilitate de ſeipſis ſentire & cogitare, illud D Gregorij alta mente reponentes: Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.

Pſ. 118. *3. Reg.* 6. *Act.* 2. *Luc.* 24. *2. Cor.* *Gal.* 1. *Math.* 10. *Apoc.* 22. *Hom.* 9. *in Euang.*

Secunda eſt ſumma Dei magnificentia, qua generaliter omnibus, Iudæis, Græcis, & barbaris, præteritis, præſentibus, & futuris, hanc offert ſapientiam. *Dat omnibus*, inquit Apoſtolus. Vtique omnibus, ait Aug. qui ſic petunt, & tãtum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt. Nam qui remedia non quærunt ſuæ egeſtati, digni ſunt qui in ea tabeſcant. Qui non eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, digni ſunt qui eius fame & ſiti conficiantur & pereant. Qui cum atheis dicunt Deo; *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus, digni ſunt qui in perpetuis tenebris verſentur.* Qui cum peruerſis Chriſtianis oderunt diſciplinam, & proiiciunt ſermones

l. de nat. & grat. c. 17. *Mat th.* 5. *Iob.* 21.

Dei retrorſum, & veluti impuri canes & porci ſeſe tam pretioſa margarita reddunt indignos: an non digniſſimi ſunt, qui in ſua pereant cæcitate? Magnum pondus habet vniuerſalis oratio, *dat omnibus*, nemini ſe denegat, fons eſt omnium bonorũ inexhauſtus, obuius & expoſitus cunctis ſitientibus. Non eſt acceptor perſonarum, non ſexuum, non linguarum. Sine exceptione omnes inuitat, dicens: *Qui ſitit, veniat ad*
Io. 7. *me, & bibat. Venite ad me omnes qui laboratis &*
Matth. 11. *onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Cunctis confert legem naturæ, rectam rationem, creaturarum admirabile ſpeculum. Solem ſuum oriri facit
Matth. 6. ſuper bonos & malos. Pluit ſuper iuſtos & in-
Act. 17. iuſtos. Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum. Nemo igitur niſi ſua culpa tantis bonis priuatur, &c.

Tertia eſt ſumma copia, & beneficentia planè infinita, qua copioſè & affluenter bona ſua nobis impertit. Aduerbium ἁπλῶς alij reddũt
l. de nat. & benignè, alij abſolutè, alij ſimpliciter, alij can-
grat. c. 16. dido animo: ſed malo cum Auguſtino, Hieronymo & aliis patribus Latinis, *affluenter*, & largiter, velut eſſet πλουσίως: vt non tantùm dandi promptitudinem, verumetiam effuſam liberalitatem dantis Apoſtolus exponat.

Senſus eſt. Deus ad dandum non ſolùm promptus & facilis eſt, nec iis ſimilis, qui vel malignè quaſi ſemi clauſa manu & tenuiter erogant, vel aliquid ex eo quod daturi ſunt, reſcindunt: verùm, & tam magnificus atque copioſus vt omnem abũdantiam exuperet. Dat ſupra

quàm poſtulare audeamus: ſua largitate adiicit, quod oratio non præſumit. Merita ſupplicantium excedit & vota. *Diues eſt in omnes qui inuocant illum. Potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus.* Vt natura infinitus eſt, ſic largitate. Illuſtriſſimis exemplis hoc palàm confirmauit, vt pote, cùm filium vnicum bonorum ſuorum hæredem Abraham poſtularet; ſemen accepit quod cum ſtellis & arena maris (quæ numerari nõ poſſunt) comparatum eſt: & quod omnium præcipuum, Chriſtum mundi ſeruatorem, ex eodem ſemine naſciturum. Iacob rogans panem ad manducandum, veſtimentum quo operiretur, & regreſſum in domum patris, accepit Angelos peregrinationis ſuæ comites & cuſtodes, felix matrimoniũ, numeroſam ſobolem, greges ampliſſimos, diuinas viſiones, allocutiones, & promiſſiones. Saul aſinas patris quærens, vniuerſi Iſraëlis accepit gubernacula. Salomon ſolam poſtulans ſapientiam, cum eadem incredibiles opes, & ſummam pacem regni atque gloriam ſummam conſequutus eſt. Nec deſunt noui teſtamenti exempla ſimilia. Samaritana aquam inueſtigãs, quæ ſitim corporis reſtingueret, aquam viuam, id eſt, animæ ſalutem, & totius mundi ſaluatorem. Latro de cruce dumtaxat rogauit, vt ſui memor eſſet Dominus, dum veniſſet in regnũ ſuum, & in præſentiarum eiuſdem regni ſumpſit conſortium. Adeo vberior eſt, ait Ambroſius, gratia, quàm precatio: ſemper enim plus tribuit Dominus, quàm rogatur. Et Auguſti-

Rom. 10. *Eph.* 3. *Gen.* 17. & 22. *Gen.* 28. & 29. 1. *Reg.* 9. & 10. 3. *Reg.* 3. *Io.* 4. *Luc.* 23. *Com. in Luc.*

nus: Erubeſcat humana pigritia, plus paratus eſt Dominus dare, quàm nos poſtulare. Sequitur quarta perfectio Diuina;

& non improperat.

Summa eſt Dei manſuetudo & humanitas, qua non exprobrat priora beneficia, vt orantes pudefaciat atque repellat. *Non improperat* iis, qui acceptorũ beneficiorũ memores, gratias quantumpoſſunt maximas reddunt. Homines quantumuis liberales, ſubinde petentibus ſuperiora beneficia frequenter commemorant, vt ſeipſos importunis petitionibus expediant. *Stultus acriter improperabit. Exigua dabit, & multa improperat.* Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is potius in quem collata ſunt, non commemorare is qui contulit. Quin & poëta benefactorum gratiam iactãtiâ inter homines perire docet, his verbis.

Eccl. 18.

Crede mihi quamuis ingentia Poſthume, dones.

Authoris pereunt garrulitate ſui.

Martial.

At non ſic Deus noſter, non ſic. Non enim exprobrat piè ad ſe confugientibus priora beneficia: ſed eadem ſine fine nouis augere & cumulare paratus eſt. Non fatigatur repetitis poſtulationibus: ſed è contrario excandeſcit, ſi non aſſiduè rogauerimus. *Petite*, inquit, *& accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Et rurſum: *Semper orate, & nolite deficere.* Verus quippe beneficus eſt, inquit D. Bernadus, dans affluenter, & non improperans. Non improperat dona, quia dona ſunt: & beneficia ſua mihi dedit,

Luc. 11.
Luc. 18.

dit, non vendidit. Denique, ſine pœnitentia ſunt dona eius, &c.

Verùm, huic ſentẽtiæ apoſtolicæ repugnare videtur innumerabiles exprobrationes, quibus Deus benefacta ſua improperat Iſraëlitis, cùm per Moyſem, tum per alios veteres prophetas. Per Natã Dauidi ſuperiora dona: & Salomoni, cũ ad idolorum cultum defecit. Chriſtus quoq; exprobrauit ciuitatibus Corazain, Capernaum, & Bethſaidæ, quas concionibus & miraculis ad fidem & ſalutem frequenter inuitauerat. Item Ieroſolymarum ciuibus, quòd multoties voluerat eos congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, &c. Sed & beatus Efrem pro concionibus adfirmat, Chriſtum in poſtremo iudicio palam exprobraturũ eſſe reprobis: Propter vos incarnatus ſum, in terris conuerſatus ſum, flagellatus, & conſputus, irriſus, condemnatus, crucifixus & ſuſpenſus ſum in ligno, felle & aceto potatus, & mortuus ſum, vt vos iuſtos & cæleſtis vitæ participes efficerem. Regni mei conſortium obtuli vobis, paradiſum paraui vobis, omnes vos fratres vocaui, Patri meo vos obtuli, Spiritum ſanctum miſi, &c. Quo itaque iure, qua veritate, dicit hic Apoſtolus, Deum non improperare? Reſpondeo, ingratis & contemptoribus iuſtè improperat, vt culpam agnoſcant, & reſipiſcant ab ingratitudine & malitia ſua, veluti Dauid, qui mox ſacris pœnitẽtiæ fructibus ſeſe addixit: vel iuſtiſſimæ damnationis ſuæ ſententiam, etiam ante vltionum iudicium exaudiant. Non enim exprobrauit Petro nega-

Deut. 32. *Iſa.* 1. 2. Reg 12. 3. Reg. 11. *Matth.* 11. *Matth.* 23. *l. de iudicio, c.* 2.

tionem,non Mathæo turpia lucra,non Magdalenæ laſciuiam, non Apoſtolis defectionem quòd eos omnes peccatorum ſeriò pœniteret.

& dabitur ei.

Tam ſuaui & conſtanti promiſſione nos omnes inuitat Apoſtolus ad perpetuum orationis ſtudium. Quaſi dicat, Quicunque ſic poſtulauerit,proculdubio à Deo exaudietur. Is enim qui nec mentiri nec fallere poteſt, ſanctiſſimè pol-
Io. 16. licitus eſt: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo,*
Marc. 11. *dadit vobis. Omnia quacunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis, &c.* Hanc ergo ſpé obtinendi diligenter alamus & confir-
Ser. 5. de quadrageſima. memus aſſiduis precibus noſtris, iſtud Bernardi ſequentes conſilium: Rogo vos fratres, vt ſemper ad manum habeatis tutiſſimum orationis refugium, nemo veſtrum paruipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe quem oramus non paruipendit eam. Vnum è duobus indubitanter ſperare poſſumus: quoniam aut dabit quod poſcimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius.

Quacunque igitur re indigemus, mox ad Patrem noſtrum qui eſt in cælis, oculos mentéſque extollamus, & ab ipſo neceſſaria petamus.

Cùm autem in nos tametſi ingratiſſimos terræ vermiculos, tam effuſus ſit & liberalis, & nos ad benefaciendum proximis ac fratribus promptos & alacres eſſe oportet.

Quod & ſi ille non odiosè hominibus beneficia ſua in eos collata exprobrat: multo id

minus nos erga proximos noſtros id facere decet.

Denique, nihil mirum eſſe putemus, ſi humanis poſtulationibus Deus non ſemper abundanter annuat, quoniam horum maior pars ne obolum quidem egenis per nomen & honorem eius obſecrantibus, gratis elargitur, &c.

6 *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.*

Hæc eſt tertia exhortatio apoſtolica, de fide conſtanti & firma neceſſariò coniungenda precibus noſtris ſi velimus eas Deo in primis gratas eſſe, & nobis vtiles. Vult autem Apoſtolus; Si quis à Deo velit impetrare quod petit, poſtulet nihil diffidens de eius poteſtate ac liberalitate. Nec aſpiciat afflictionum moles, nec vires expendat ſuas: tantùm cogitet potentiſſimum ac optimum eſſe Deum, à quo omnino pendet. Qui totus fidit opi diuinæ, ſolidus eſt ac firmus. Cùm lingua igitur orat, cor non dubitet quin quæ vtilia ſunt, daturus ſit Deus. Orans ergo fide in promiſſa eius reſpiciat, & de horum veritate & conſtantia nihil ambigat, nihil diſceptet, poſſitne Deus, aut nolit curam habere noſtri, &c. Græcè eſt μηδὲν διακρινόμενος, quod ſignificat & hæſitantem & diiudicantem, nimirum, de Dei potentia & miſericordia. Græca etiam ſcholia explicant de eo, qui mole peccatorum ſuorum preſſus, minorem putat Dei potentiam & miſericordiam, vt donari ſibi venia poſſit.

Hinc ergo manifeſtum eſt, nullum vnquam acceſſum nobis ad Deum patere, niſi fides tanquam lux clariſſima animi noſtri affulgeat, viámque demonſtret, ac veluti manu ad eius thronum conducat: quod & Paulus non vno tantùm loco docet. *Quomodo inuocabunt*, in-
Rom. 10. quiens, *in quem non crediderunt? Sine fide impoſſi-*
Heb. 11. *bile eſt placere Deo. Itaque oportet accedentem ad eum, credere quia eſt, & quia remunerator credentium in ſe.* Hanc poſtulans ab orantibus aie-
Matth. 8. bat Chriſtus: *Sicut credidiſti, fiat tibi.* Ad duos cæ-
Matth 9. cos: *Creditis quia hoc poſſum facere vobis?* Et ad
Mar. 5. alium, *Noli timere, tantummodò crede.* Suſcitatu-
Io. 11. rus quoque Lazarum, ab eius ſorore Martha petiit, *Credis hoc?*

Inde quoque patet, eandem conſcientias noſtras de quatuor rebus ſecuras reddere, cùm orationibus præſertim daturi ſumus operam. Primò, quòd vnus & verus Deus ſit, qui omnipotentia ſua valeat nos ab omni periculo & malo eripere. Secundò, eum tanto amore tantáque beneuolentia propter merita Chriſti pro nobis paſſi, nos in eum credentes complecti, vt verè ſit & dicatur pater noſter: iubeátque tanta fiducia nos ad ſe accedere, quâtâ liberi ad humaniſſimum & indulgentiſſi-
Pſ. 103. mum parentem accedunt. *Quomodo pater miſeretur filiorum, miſeretur Dominus timentibus ſe.* Tertiò, eundem promiſiſſe, etiam cum iureiurando ſe vota noſtra è cælis auditurum & exauditurum. Quartò, eundem adeo certum & veracem in ſeruandis promiſſis, vt ea num-

quam facturus ſit irrita. Atque hæc præſertim ſunt de quibus ambigere & hæſitare orantes prohibet Apoſtolus.

Poſtea, perſpicuum eſt, orationes Iudæorum, Turcarum, ethnicorum, hæreticorum, quantumlibet in iis gemant ac ſuſpirent, non eſſe gratas coram Deo: quandoquidem non precentur cum firma & vera fide in eum. De huiuſmodi vno eorum ait Pſaltes: *Oratio eius fiat in peccatum.* Sapiens verò: *Victima impiorum abominabiles ſunt coram Deo.* Item. *Qui auertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius execrabilis eſt.* Ad Iudæos legis ſuæ contemptores ait: *Cùm multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam vos, quia manus veſtra plenæ ſunt ſanguine.* Et Ieremias, nomine miſerrimi tunc Iſraëlis, dolens clamat: *Cùm clamauero, & cùm rogauero, excluſit orationem meam:* Et iterum. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.* Quàm verò graue, quamque moleſtum ſit humanis animis Deum inexorabilem inuenire in anguſtiis ſuis, puto neminem poſſe ſatis explicare.

Pſ. 108. *Prou. 15. & 28.* *Iſa. 1.* *Thren. 3.*

Quantum verò ſpectat ad ſchiſmaticorum ac hereticorum, præſertim Sacramentariorum, preces, quantumuis ſuis ſeſe oblectent cantionibus, ieiunent, & præſumant; non minus tamen ſunt execrabiles, quàm ſi more Iudæorum, in faciem Chriſti exſpuerent. Siquidem ſiunt extra Eccleſiæ vnicæ eiuſdem Chriſti amicæ & ſponſæ vnitatem. Deinde, non tantùm

hæſitant, ſed etiam ſummis fidei catholicæ articulis & dogmatibus proteruè contradicunt, veluti ſanctiſſimæ Trinitatis adorationi, inuocationi, & vnitati. Contra Dei infinitam potentiam, bonitatem, prouidentiam, ſapientiam, ſanctitatem, multa obiiciunt. Aduerſus Chriſti natiuitatem, doctrinam, miracula, orationes, paſſiones, mortem denique & ſanguinem, blaſphemant. In Eccleſiam Catholicam, in eius rectores, in ſacramenta, in ſanctos omnes, incredibiles calumnias & iniurias effundunt; vt in Dialogis noſtris aduerſus eos luce clariùs euicimus. Quomodo igitur horum preces Deo gratæ eſſent? Omni eas conſtantiâ damnat & reprobat Aug. li. 14. cōtra Fauſtum, c. 11. Tractatu 10. in Io. & lib. de hæreſ. c. 46.

Cæterùm, habemus ex ſacris iſtis litteris, diuiniſque verbis non ſolùm orandi præcepta; ſed & modum orandi, nimirum cum fide & ſpe in Dei potentiam & miſericordiam. *Nam* Rom. 8. *quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Id eſt, interprete Aug. gementes nos facit infundendo nobis caritatem in Deum & proximum, ac cætera ad verè orandum neceſſaria. Lib. de Trinitate & vnitate Dei, cap. 3. Epiſtola 105. & libro 2. contra Maximinum, cap. 9.

Ex iiſdem præterea cernimus, quàm confuſi & perturbati ſint omnes motus & affe-

ctus carnis noſtræ, cùm etiam à rectè orandi ſtudio nos impediat: oporteátque illud diſcere aliunde. Ecquid aliud ex lutulento fonte manaret, quàm riuus turbidus? *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*: addo, & aduerſus Deũ. Sed benedictus ſit in ſæculum, qui mittit Spiritum ſuum in corda noſtra, clamantem Abba, Pater, &c. De his copiosè diſſeruimus Com. in librum Eſtheris. *Gal. 5.* *Gal. 4.*

Habes poſtremò, veram in Deum fidem, nullam admittere de eius natura, potentia, bonitate, aliiſque perfectionibus, verbis, ac promiſſis eius dubitationem aut hæſitantiam. Nam dubius in fide, dicitur infidelis, quoniam non firmiter ac conſtanter adhęret: igitur dumtaxat vel opinatur, vel ſuſpicit, interea de Dei ſumma veritate ambigit. *l. 5. decretal. titul. 7. c. 1.* *Et 24. q. 1.*

Hinc porrò ab huius æui hæreticis hæreſes duæ, ſed præpoſterè & nequiter colliguntur: nunc à nobis refellendæ. Prior eſt, non dubitandum eſſe homini Chriſtiano, an ſit gratia: poſterior, nec hæſitandum an in gratia vſque ad finem ſit perſeueraturus. Ac primum quidem refellunt innumerabiles Scripturarum loci, quibus à diuinis iudiciis nobis timendum præcipitur. Quorſum enim hæc trepidatio, ſi eſt in homine tam conſtans ſecuritas? Profectò nec Paulus iuberet, Cum timore & tremore ſalutem noſtram operari: nec Petrus, In timore incolatus noſtri tempore conuerſari, ſi nullatenus dubitandum eſſet *Pſ. 118.* *Philipp. 2.* *1. Petr. 1.*

nos eſſe in gratia Dei: Apoſtolus quoque præ-
Rom. 9. cipiens, *Noli altum ſapere, ſed time. Qui ſtat,*
1. Cor. 10. *videat ne cadat*: & ſe cum timentibus compre-
hendens: *Timeamus ne forte relicta pollicitatione*
Heb. 4. *introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis no-
ſtrum deeſſe*: manifeſtè tantam hæreticorum iactantiam, temeritatem, & præſumptionem damnat & reprobat.

Secundæ hæreſi aduerſantur plurima eadémque horrenda exempla eorum, qui à fide Chriſtiana turpiter & palàm defecerunt, veluti
Act 7. & 8. Nicolai Antiocheni, Simonis magi, Iudæ proditoris, Ebionis, Cerinthi, Hermogenis, Phileti, Hymenæi, Alexandri, *qui à*
1. Tim. 1. *fide*, ait Paulus, *naufragauerunt.* Comprobauerunt etenim lapſibus ſuis, per ſeuerantiam, in fide ad finem vſque, vnicuique noſtrum, quandiu hîc militamus, non tantùm incertam, ſed etiam nobis occultam eſſe. Atque iccirco cum feruore continuò poſtulandum,
Luc. 17. *Domine, adauge nobis fidem. Da ſeruis tuis con-*
Act 4. *ſtantiam. Ne nos inducas in tentationem: ſed libe-*
Matth. 6. *ra nos à malo, &c.* Cùm etiam Dominus tam ſolicitè rogauit pro Petro, vt non deficeret fi-
Luc. 22. des illius, oſtendit eam & deficere poſſe: & precibus aſſiduis opus eſſe, vt perſeuerantiæ donum conſequamur.

Quoniam verò non libet his diutius immorari, D. Aurelij Auguſtini verba duntaxat ſub-
l. Soliloq. c. 29. iiciam. Magna ſunt iudicia tua, Domine Deus, qui iudicas æquitatem, & inſcrutabilia facis & profunda. Quæ cùm conſidero, contremiſcunt

omnia oſſa mea, quoniam non ſecuratur homo viuens ſuper terram, vt ſeruiamus tibi in timore, & exultemus cum tremore, & non glorietur accinctus æquè vt diſcinctus: ſed omnis caro paueſcat & cõtremiſcat à facie tua, cùm ignoret homo vtrùm amore in odio dignus ſit: ſed in futurum omnia reſeruantur incerta. Vidimus enim multos, Domine, & audiuimus à patribus noſtris, quos vtique ſine magno tremore non recolo, aſcendiſſe quodammodo ſuper cœlos, & inter ſydera nidum ſuũ collocaſſe: poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus publicanos & meretrices incolas in regno cœlorum, filios autem regni eiici in tenebras exteriores, &c. An non his omnem hæreticis ſecuritatem adimit? omnem autem de noſtra imbecillitate & inconſtantia timorẽ & tremorem perſuadet? ídque apertis ſcripturis, grauiſſimíſque exemplis & rationibus confirmat? Quorſum ergo, dicet aliquis, beatus Iacobus omnem hæſitátiam à precibus repellit & damnat? Reſpondeo, eam illum reiicere quæ Deum ſpectat: non eam quæ ad noſtræ indignitatis & infirmitatis rationem pertinet, vti ſuperiùs ſatis diſſeruimus. Sequitur,

3. Reg. 30.
Eccl. 9.
Abdiæ 1.
Pſal. 106.
Apoc. 13.
Ezech. 14.
Matth. 21.

Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, &c.

Eleganti & appoſito exemplo demonſtrat hæſitantes & dubitantes de Diuina poteſtate, & in totum genus humanum beneuolentia, indignos eſſe qui exaudiantur in precibus. Mare ſiquidem ſemper eſt inquietum, ſemper fluit aut refluit: ſed cùm vento agitatur, intumeſcit, turbatur, ſpumat, furit, ac planè inſanit, & vniuerſis terris horrẽdum minatur exterminium.

Pſal. 92. Hinc Scripturarum voces: *Mirabiles elationes maris. Qui deſcendunt mare in nauibus, facie͂tes operationem in aquis multis, vident opera Domini & mirabilia eius in profundo. Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Fecit terribilia in mari rubro.* *Pſal. 105.* Contra nauem qua vectabatur Ionas, mare ibat & intumeſcebat, vt nauis periclitaretur conteri. Huius periculis frequẽter iactati Apoſtoli ad Dominum clamauerunt vt ſeruarentur. Paulus quoque naufragiis ſuis expertus eſt, quàm ferum & tumultuoſum ſit hoc elementum. Iſthæc autem non tam viribus naturæ, aut lunæ incrementis vel decrementis, quàm Diuinæ voluntati ac ordinationi accepto ferenda eſſe docet Pſaltes his ad Deum verbis, *Tu cõturbas profundum maris & ſonum fluctuum eius. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Mari quippe initio dixit: *Hucuſque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: quod præceptum nunquam præteriuit.

Ion. 1. Mar. 4. Matth. 8. & 14. Act. 27. Pſal. 94. Pſal. 88. Iob 3.

Talis eſt animus eius qui in precibus dubitat an Deus poſſit eum eripere de malis, an velit mortales ſuis donis ditare, an promiſſis ſuis ſtare, &c. Nam hinc inde cõtrariis cogitationi-

bus,veluti fluctibus impellitur & iactatur: nūc ad hanc, mox ad aliam partem inclinat; nunc præſumit,mox deſperat & frangitur, &c.Ergo cùm ad orandum Deum accingeris, ſpera in miſericordia eius, inquit Chryſoſtomus, ſpera, ne hæſitaueris. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt vndæ maris,quæ vento & excitatur & agitatur. Poſtquam autem cõſequutus fueris, ne ſis immemor accepti, & ingratus in benefactorem, pro gratiarum actione dedica canticum. Non poſſes fortaſſe componere, conuoca pauperes, eorum linguas commodato accipe, & tibi eas compara,&c. *In Pſal.* 12.

Idipſum & de fide credendum & profitendum, ſine qua nullus,vt dictum eſt, patet nobis ad Deum acceſſus. Hanc non habebat illa generatio,inquit Auguſtinus, quę non direxit cor ſuum, & non erat cum Deo creditus ſpiritus eius,cùm rogaret:*Nunquid poterit Deus parare nobis menſam in deſerto? Nunquid & panem poterit dare,aut parare menſam populo ſuo*?Sequitur; *Audiuit Dominus, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob,& ira Dei aſcendit in Iſraël, quia non crediderunt in Deum,nec ſperauerunt in ſalutari eius*.Huius furfuris ſunt tam priſci quàm noui Sacramentarij,quando vociferant: Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandum? *In Pſa.* 77.

S. Damascenvs in hunc locum ita diſſerit: Fratres,Chriſtianus fide cenſetur. Quare qui cum fide ad Deum accedit,multa lucratur. Qui autem hæſitat, maris fluctui ſimilis, qui vento iactatur & circumfertur,is nihil accipiet. Omnes enim ſancti per fidem placuerunt Deo. *Orat.* 3. *de imag.*

Proinde in cordis rectitudine, non autem in multis argumentis Eccleſiæ ſuſcipiamus inſtituta.

Patet etiam ex hoc loco, quàm vanæ, quàm inſtabiles, quamque tumultuoſæ ſint mentes hominum, quando à Spiritu ſancto comparantur cum fluctibus maris, etiam à procella venti commotis. Exemplum habes in Petro, nunc
Matth. 14. fide magna ſeſe mari committente, & ſuper illud ambulante, illico verò dubitante: & penè ſubmerſo. Iſaias quoque ait: *Cor impij quaſi mare*
Iſa. 57. & 58. *feruens, quod quieſcere non poteſt. Non eſt pax impiis*
Pſal. 1. *dicit Dominus.* Eaſdem etiam Dauid confert cum pulueribus, quos diſpellit ventus ſuper faciem terræ.

Intuere demum errores in Deum & verba illius, inſtabilem prçſertim & perpetuò inquie-
2. Pet 2. tam reddere animam hominis. Inde Petrus adfirmat hæreſiarchas *pellicere animas inſtabiles.* Et paulo poſt appellat eoſdem, indoctos, & inſta-
2. Petr. 3. biles Epiſtolarum Pauli deprauatores. Ecquando ſtabiles & ſibi conſtantes eſſe poſſent, qui-
Iſa. 19. bus Dominus miſcuit ſpiritum vertiginis? Qui inſtar arundinis, diuerſis opinionum flatibus hincinde ferũtur? Qui deſertâ veræ fidei ac Ec-
Matt. 7. cleſiæ petrâ, ſuper arenam ædificant? Exempla in Luthero, Melanthone, Bucero, Caluino & aliis toti orbi notiſſima ſunt.

7 *Non ergo exiſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

Concludit diſputationem ex contraria argumentatione, quaſi dicat. Oppoſitorum &

contrariorum oppoſiti & contrarij ſunt effe-
ctus. Conſtantia & inconſtantia in precibus ſe-
cum maximè opponuntur & pugnant. Ergo vt
conſtantia & perſeuerantia impetrat à Deo: in-
conſtantia & hæſitantia facit vt nihil prorſus
impetretur. Sícque fortiſſimo argumento im-
petrandi ſpem omnem præſcindit de Deo du-
bitãtibus. Emphaſis quoque eſt in Græca par-
ticula τί, vult enim dicere. Ne minima quidem
accipiet à Deo, quem dubitando de eius pote-
ſtate, & bona in homines voluntate, graui affi-
cit contumelia.

Hoc autem plurimi ad bona æterna, ſpirita-
lia, & gratiam gratum facientem reſtringunt.
Nam iſtiuſmodi margaritæ, porcis, id eſt, im- *Matth. 7.*
mũdis, ac in peccatorũ ſuorum luto ſeſe adhuc
volutantibus peccatoribus, non exponuntur.
Huiuſmodi peccatores Deus non exaudit. Co- *Io. 9.*
ram Herode ne minimum quidem ſignum fe- *Luc 23.*
cit Chriſtus, ſed neque verbulo eſt dignatus,
quòd prorſus indignus eſſet cum vniuerſis irri-
ſoribus & aulicis ſuis. Latronem blaſphemum,
& Iudæos ſubſannãdo dicentes, *Si tu es filius Dei,* *Matt. 27.*
deſcende de cruce, & credemus tibi, omnino con- *Mar. 14.*
tempſit. Aliis petentibus ſignum de cœlo, duri-
ter reſpondit: *Generatio praua & adultera ſignum* *Matth. 12.*
quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi Ionæ prophetæ.
Deinde, propoſitis duobus exemplis, ſcilicet
Naaman Syri, & Sarephtanæ viduę, probat per
eorum ſtare infidelitatem & inconſtantiam,
quòd miraculorum eius non eſſent participes. *Luc 4.*
Tantumdem de Nazaræis ciuibus ſuis conclu- *Mar. 9.*

ditur. Apoſtolis denique rogantibus, quare nō potuiſſent furioſum eiicere dæmonium, reſ-
Matt.17. pondit: *Propter incredulitatem veſtram.*

Temporalia verò commoda impiis etiam vltrò confert non rogatus: quippe qui ſolem
Matth.5. ſuū oriri vult ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Nembrothum, Gigantes, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Sardanapalum, Alexandrum, Cæſarem, ampliſſimis pręfecit imperiis. Nabali ac Epuloni copioſas contulit diuitias: Annæ & Cayphæ opima ſacerdotia, &c.

Oecumenius hac ſalubri exhortatione concludit, Aufer à teipſo igitur animi hæſitationem: neque cùm aliquid à Deo petis, animo vacilles, dicendo apud temetipſum, Quomodò poſſum quippiam à Domino petere & accipere, qui toties in ipſum peccauerim? Ne hæc cōgites, ſed ex toto corde cōuertere ad dominum, & pete ab ipſo ſine hæſitatione, & cognoſce miſericordiæ diſciplinam, quòd nequaquam te deſeret, ſed petitionem animæ tuæ complebit. Non eſt enim Deus ſicut homines, qui mutuarum iniuriarum meminerunt: ſed ipſe obliuiſcitur iniuriæ, & miſeretur creaturæ ſuæ.

8 *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.*

Hanc generalē regulā ſubiicit ſuperiori concluſioni, eiuſdémque velut rationē aſſignat, dicens; Is cuius animus bifariàm diuiſus eſt, hac parte Deum reſpiciens, illa mundū: nunc Deum credens omnipotentem & ſummè bonum,

mox ambigẽs de vtroque; inæqualis eſt ac inconſtãs non tantùm in precibus ſuis, ſed & in aliis omnibus quæ cogitat & facit, aliud habens in ore, aliud in pectore, proque tempore nunc hoc, nũc illo affectus modo. Quid ergo mirum, ſi nihil à Deo conſequatur? An non tam turpis inconſtantia iuſtam meretur repulſam? Dicitur autem ἀνὴρ δίψυχος, qui variis cogitationibus de eadem re diſtrahitur, nec certum habet quid omnino ſequatur; quales reuera ſunt hæſitantes, quaſi duos habentes animos. Virum duplicis animi etiam eum reputat venerab. Beda, qui ad precandum Dominum genu flectit, & ſe impetraturum diffidit: & qui hîc cum ſęculo vult gaudere, & illic cum Deo regnare: item, qui in bonis operibus quæ facit, non retributionem interiùs, ſed hominum fauorem exteriùs quærit.

Hinc igitur apparet, multos eſſe viros duplices animo, varios, & inconſtantes: quos eadem opera diuinus coarguit Apoſtolus. Primò, ſunt omnes hypocritæ & ficti, quos Filius Dei elegãter comparat cum ſepulchris dealbatis mortuorum. Foris namque apparent affabrefacta & ſpecioſa: intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & odoris intolerabili fœditate omnes à ſe repellunt. Hi exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes: & aliam pro laboribus ſuis non capiunt mercedem. Labiis Deum honorant, cor autem eorum longè abeſt ab eo. Clemens Alex. ſimiles eoſdem dicit templis veterum Ægyptiorum, quæ foris pulcher-

Matt. 23. *Matth. 6.* *Iſa. 29.* *Matth. 15.* *l. ſtrom.*

rima erãt, intus autem plena ſerpentibus, aliiſque immundis animalibus. Chryſoſtomus illos non abſimiles putat meretricibus, quę cum naturâ turpes ſint ac fœdæ, fucis tamen pulchritudinem affectant atque mentiũtur. Diuus autem Bernardus cenſet eos eſſe vt Simon Cyrenæus, qui non volens, crucem tamen Chriſti portauit. Ita hypocritæ ac ficti homines nolentes opera Chriſti portant, exequẽtes foris quod intus non amant.

Hom. 23. & 57. in diuerſos. *Ser. de S. Benedicto.* *Matth 27.*

Secundò, beatus Salonius, ante mille annos Viennæ in Gallia Præſul, homines pigros & inertes, animo duplices eſſe iudicauit, de quibus ſcribitur: *Vult, & non vult piger.* Vult regnare piger cum Deo, & nõ vult laborare pro Deo. Vult peruenire ad beatitudinem, & tamen non vult præcepta Chriſti implere, vt beatitudinem mereatur obtinere. An non hi ſunt abſque numero?

In Prouer. Salomonis. *Prou. 13*

Tertiò, Athanaſij magni ſententiâ, omnes hæretici homines ſunt duplices animo, qui nũquam in vna eadémque ſententia permanent: ſed aliam aliámque ſubinde mutant. Aliquando hæreſes ſuas abnegant, aliàs verò vt canes ad vomitum reuerſi eaſdem profitentur atque defendunt. Hi ſunt, inquit, tam varij, & verſipelli animo, quàm chameleontes in mutandis coloribus. Conſentit Iræneus his verbis: Cùm ſint duo vel tres, de eiſdem non eadem dicunt: ſed rebus & nominibus contraria reſpondent. Et Tertullianus ait: A regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque pro ſuo arbitrio accipit quod modu

Orat. quòd Nicena ſynodus. *l. 1. c. 5.* *l. præſ.*

modulatur. Quoties vnus Berengarius cantauit & recãtauit? Num & Bertramus nunc affirmat, illico negat corpus Domini in Euchariſtia contineri? Hieronymus à Praga publica concione hæreſim Huſſi damnauit, & pro eadem paulo poſt arſit Conſtantiæ. Latimerus in Anglia omnem hæreſim palàm abiurauit: & mox in Sacramentariam relapſus, animi duplicis pœnas exſoluit. Hugo Surrens in Gallia etiam publicato ſcripto, Caluinianorum blaſphemias deteſtatus eſt, & continuò eaſdem aſſerens Ecebolium nouum inconſtantia ſua nobis retulit, &c.

Quartò, eos duplices eſſe animo docet D. Bernardus, qui monaſticam & religioſam vitam ſemel profeſſi, illam propudiosè deſerunt, vt huius ſæculi libertatem & voluptatam conſectentur. In hoc ſimiles vxori Lot, quæ liberata à Sodomis, retroſpexit, eorum flagrans deſiderio, & in mortuam ſalis ſtatuam conuerſa eſt. Iudæos quoque illos imitantur, qui ſuper cæleſte manna nauſeantes, poſt Ægyptiorum pepones & ollas carnium ſuſpirauerunt.

Epiſt. 99. & 109.

Gen. 19.

Exod. 16.

Quintò, duplicem gerunt animum omnes adulatores, & proditores, qui vna manu panem oſtentant, altera lapidem aut gladium parant ad necem: ore ſuo benedicunt, & corde maledicunt. Imitantur Cain qui ſpecie deambulationis fratrem eduxit in agrum, vt crudeliter eum occideret. Sequuntur viam Ioab, qui fingẽs ſe velle oſculari Abner & Amaſam, vtrum-

Gen. 4.

2. *Reg.*
Matth. 26

que confodit gladio. Filij Iudæ proditoris, oſculi ſigno piiſſimum præceptorem ad necem tradentis. Hoc vitium Spiritus Dei præ aliis
Eccleſ. 2. multis deteſtatur, dicens: *Væ duplici corde, labiis ſceleſtis, manibus maleſacientibus, & peccatori terram*
Prouerb. 1. & 12. *ingredienti duabus viis.* Et iterum; *Abominatio eſt Domino omnis illuſor.* Iterúmque: *Vir verſutus odibilis eſt.* Et per beatum Iob, *Simulatores & calidi*
Iob 36.
Pſal. 5. *prouocant iram.* Denique in Pſalmis: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Et diuinum aduerſus huiuſmodi homines implorans iudicium, inquit: *labia doloſa in corde, & corde*
Pſal. 11. *locuti ſunt.* Id eſt, ſermones adulatorij & fallaces ex ore eorum prodeunt, & ſimulato duplicíque corde ad fallendum ſunt ficti. Sequitur imprecatio: *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, &c.*

Poſtremò, animi ficti ac duplicis habendi ſunt hi omnes, qui in fidei negotio, nunc hos, mox alios ſequuntur: volúntque Diuinam religionem vnà cum teterrimis fouere hæreſibus. Aiunt ſeſe cum lupis vlulare, & cum ouibus balare. Dei leges vt humanas politias ſuas fi-
Matth. 6. gere ac refigere meditantur. At impoſſibile eſt duobus dominis ſeruire, Deo & Mammonæ.
Matth. 9. Et Chriſtus ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt;*
Luc 11. *& qui non colligit mecum, diſpergit.* Imitatores eorum Iſraëlitarum, quos vir Dei Helias coar-
3. Reg. 18. guit, dicens: *Vſquequo claudicatis in duas partes?* Fatentur Dominum eſſe Deum, id eſt, auitam Catholicámque religionem omnino veram eſſe: interea verò abominandas hæreſes ex orco

reuocatas valere ac vigere volunt, ſicque Baali & Aſtaroth ſacrificant. Samaritanos imitantur, qui cum vnius Dei cultu, variorum deorum dearúmque adoratione miſcebant. Socij ſunt miſerabilis ſophiſtæ Ecebolij, qui ſub imperatoribus Chriſtianis ſe Chriſtianum autumabat, ſub ethinicis ethnicum, & ſub hæreticis eorum ſeſe opinionibus adiungebat. *Caßiod. l. 6. trip. c. 28.*

Singuli ergo conſtantiæ in bono ſtudeamus, ne ſimus vt paruuli fluctuantes ad omnem flatum doctrinæ. Exempla nobis propoſita ſunt Prophetarum, Apoſtolorum, & innumerabilium vtriuſque ſexus martyrum. Væ nobis ſi hæc contempſerimus.

9 *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.*

Quarta exhortatio apoſtolica dirigitur ad fratres humiles, id eſt, abiectos, & afflictos paupertate, morbo exilio, mundi odio, alióve calamitatum genere. Nam ὁ ταπεινὸς, eſt is qui affligitur: cui opponitur ὁ πλούσιος, diues cui omnia, quæ ad hanc vitam tranſigendam pertinent, ex animo ſuccedunt. Iubet autem Apoſtolus humiles gloriari in eo quòd à Domino adoptati ſunt in filios, ac proinde gloriæ cæleſtis hæredes: diuites autem, quòd oſtenſa mundi ac opum eius vanitate in ordinem cogantur: adeo vt priores ſint contenti humili & abiecta ſui conditione, poſteriores ſuperbire prohibet. q. d. Non oportet electos Dei pro flatu reflatúque fortunæ vertere animum,

quemadmodum vulgus hominum facit. Quin potius *frater*, id eſt, Chriſtianus *humilis*, ac variis malorum molibus preſſus, erigat animum, & hoc nomine *glorietur*, quòd mundo contemptus, non ſit contemptus apud Deum, qui nihil offenſus humilitate conditionis aut fortunæ, dignatus ſit illum conſortio & gloria ſanctorum in cœleſtibus. Contrà, diues hoc nomine ſibi gratuletur, quòd qui ob falſa huius ſæculi bona magni fiebat apud mundi cultores, nunc ob Chriſti confeſſionem ſpretus ſit & contemptus, &c. τὸ ὕψος, exaltatio, dicitur glorificatio ſanctorum, quam in cœlis Chriſtus confert ſeruis ſuis: de quibus dicit, *Vado parare vobis locũ, & aſſumam vos ad meipſum. Volo Pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus, &c.*

Io. 14. & 17.

In his autem primùm attende beneuolentiam & caritatem apoſtolicam, qua vniuerſos Chriſtianos quantumuis abiectos, humiles, exules, non alio quàm germanorum fratrum loco ac nomine reputabat. Omnes qui eodem Baptiſmo renati, eiuſdem Eccleſiæ filij, eorumdem ſacrorum erant participes, & eandem Chriſtianæ religionis profeſſionẽ amplexabantur, quàm iiſdem ſecũ parẽtibus nati eſſent, ab his ſummi Dei legatis colebantur & amabantur. Hoc profectò Chriſti erat inſtitutum dicentis: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Lucratus eris fratrem tuum. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo. Si recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te. Vade reconciliari fratri tuo. Omnes vos fratres eſtis. Eſt vnus pater veſter qui eſt in cœlis.*

Matth. 18. Matth. 5. Matth. 23. Matth. 6.

Nec mirum quod Chriſtianos omnes pro fratribus habuerint, cùm & ipſe æternus Filius Dei nos etiam fratres appellauerit. *Dic fratribus meis. Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Qui* *Io.*20. *facit voluntatem Patris, hic meus frater, & ſoror, &* *Pſal.*21. *mater eſt, &c.* Sed valdè miſerandum ac do- *Matt.*10. lendum eſt, quòd tam eximia caritas inter Chriſtianos hodie non refriguerit tantùm, ſed & omnino extincta ſit. Quot rixæ? quot lites? quot odia? quot proditiones? quot cædes huius loco ſucceſſerunt?

Hinc perſpice, veram humilitatem non tantùm conſiſtere in virtute animi, de ſe omnia cum moderatione ſentientis & iudicantis: ſed etiam in miſera, abiecta & afflicta hominis conditione. Itaque Apoſtolorum & Chriſti fratres ſunt humiles omnes Chriſtiani, quorum opes à Tyrannis direptæ, incenſæ, euerſæ ſunt; probris & contumeliis fama læſa; corpora pulſa exiliis, aut carceribus vinculiſque conſtricta, aut denique miſerandum in modum pro pietate in cruces & varias mortes abrepta & abducta. Tametſi enim mundus, & carnis ſenſus longè aliter iudicet, id tamen Veritas diuina pronuntiat: teſtificantur quoque verbis, ſcriptis, & factis ſuis beatiſſimi Apoſtoli: quod eximiæ piis animis eſt conſolationi ac lætitiæ. Eodem quippe ſenſu ſumitur humilitas in his ſcripturarum locis. *Reſpice* *Pſal.*9. *humilitatem meam de inimicis meis,* id eſt, afflictionem qua ab inimicis meis afficior. *Vide hu-* *Pſal.* 24.

militatem meam & laborem meum. Bonum mihi
Pſal. 118. *quia humiliaſti me*, i. vexaſti & afflixiſti. *Vide humilitatem meam & eripe me.* i. miſeriam, abiectionem, vtilitatem. Nam hoc vocabulo ταπεινώσεως, ſic frequenter vtuntur.

Exaltationis porrò nomen, eam (vt attigimus) primò loco ſignificat cœleſtis gloriæ & beatitatis coronam, qua Chriſtus propter nomen ſuum abiectos & paſſos in regno ſuo ſecum condecorabit & ſublimabit in ſempiternum. Huius certiſſima expectatione ſeipſos in aduerſis, ac etiam media morte, erigere & recreare debent ſerui Dei: quandoquidem huiuſmodi aduerſa tantùm temporaria & breuiſſima ſint, repoſita verò glorificatio & exaltatio perpetua. Ait enim: *Qui perdiderit animam,*
Io. 12. i. vitam hanc mortalem, *ſuam in hoc mundo propter me, in vitam æternam cuſtodit eam. Qui ſe hu-*
Luc 18. *miliauerit, exaltabitur. Qui humiliatus fuerit, erit*
Iob 22. Prou. 15. *in gloria. Gloriam præcedit humilitas.* Ideo præcipit
1. Petr. 5. vertex Apoſtolorum: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die viſitationis.*

Nec putandum hoc duntaxat ad Apoſtolos
Com. in aut ſanctos martyres pertinere, ſed etiam ad
hūc locum. nos omnes: quandoquidem (vt obſeruat ven. Beda) omnis qui aduerſa humiliter pro Domino ſuffert, ſublimia ab illo regni præmia
Serm. 34. in Cantic. percipiet. Et mellifluus Bernardus ſcribit: Quia maxima non obtinentur niſi humilitatis merito, propterea qui prouehendus eſt, correctione humiliatur, & humilitate meretur. Tu

ergo cùm te humiliari videris, habeto ad ſignum in bonum: omnino enim argumentum eſt gratiæ propinquantis. *Nam ſicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur.* Prou.16.
Subiicit exemplum beati Iob, quem Deus multis aduerſis humiliare curauit, antequam tanta gloria exaltaret. Iob 1.2.42. Addere potuiſſet Abelem, Noë, Abraham, Dauid, & reliquos patriarchas atque prophetas, qui non niſi exiliis, perſecutionibus, & variis ærumnis exercitati & probati in cœlos euaſerunt. Heb.11. Pſal.30. Iſa. 64. 2.Tim.4. Sic reliqui omnes ſancti & patres. Transferant ad ſe ſinguli in ſuis afflictionibus, & miram ſentient conſolationem.

Poteſt etiam ſecundo loco vóx Exaltationis accipi pro illa ſpiritali & interna animi lætitia, qua exhilarãtur ſerui Dei, quãdo pro eius gloria ab improbis odio habentur & affliguntur. Nam de hac dictum eſt: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniã digni habiti ſunt pro nomine* I E S V *contumeliàm pati.* Act.5. Et in Euangelio: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, &c. Gaudete & exultate.* Matth.5.

Diues autem in humilitate ſua.

Altera pars exhortationis quæ pertinet ad diuites. πλέσιον autem, ſeu Diuitem hîc capit pro fortunato quouis modo in hoc ſæculo: cuius filij ſint nouellæ oliuarum, filiæ compoſitæ & circumornatæ ad exemplar templi. Oues eorum fœtoſæ, &c. Pſal.143. Hîc iubetur gloriari ἐν τῆ ταπεινώσει αὐτοῦ, in humiliatione & abiectione ſua. Quemadmodum pauper ſub afflictio-

num mole debet animum ſuum erigere, certa expectatione bonorum cæleſtium: ſic opulentus debet ſe in officio continere, conſideratione crucis, id eſt, calamitatis imminentis, ne nimiùm fortunę blandienti credat. Ergo ne hunc abripiat inane mundi gaudium, aſſueſcat in ſuæ carnalis ac mundanæ gloriæ deiectione gloriari. Opes namque illius inſtabiles ſunt, quoniam eas vel ignis abſumit, vel tinea corrumpit, vel fur rapit, vel denique illas moriens diues volens nolens aliis relinquit. Horum ergo conſideratione, comprimant diuites altos illos ſpiritus, qui ex rebus proſperis inflari ſolent.

Conſtat verò tam ex his, quàm innumeris aliis, diuitiarum poſſeſſiones tyrannidis, inſolentiæ, arrogantiæ, & intolerabilis ſuperbiæ irritamenta ſubminiſtrare. *l.3. politic.* Scribit namque Ariſtoteles: Pecunia ſeditionem efficit & malignitatem. Politiæ diuites nimíſque potentes nec *l.de legib.* ſubiiciuntur, nec ſubiici volunt. Et Plato: Diuites ac bonos ſimul fieri impoſſibile eſt. Accedunt ſacri authores, vt Hieronymus ſcribens: *Queſt.ad Hedib.* Prouerbium hoc verum eſt, Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Et Gregorius: Vbi aurum, ibi & vitium. Ecquid aliud loquuntur, *1.Tim.5.* quàm quod à Paulo didicerunt? *Qui volunt diuites fieri, aıt, incidunt in tentationes & laqueos diaboli.* Chriſtus denique inſatiabilem opum cupiditatem grauiſſima exclamatione ſic dam- *Matth. 19.* nat: *Quàm difficile qui pecunias habent intrabunt* *Matth. 13.* *in regnum cælorum: facilius eſt camelum, &c.*

Diuitiæ ſpinæ ſunt ſuffocantes bonam patris familias ſementem. Matth.

Nec ſolùm ad eos qui theſauris & pecuniis augendis inhiant pertinet iſta exhortatio apoſtolica, verùm & ad omnes qui vel honore, vel nobilitate, vel ſapientia, vel aliis rebus externis excellunt. Hos omnes in humilitate vel paruitate ſua gloriari iubet: prohibet autem ſuperbire, inſoleſcere, alios præ ſe deſpicere, tyrannicè vexare vel opprimere. Humanæ potiùs fragilitatis, & rerum mundanarum viciſſitudinis memores, mortis ac futuri iudicij recordatione, metúque de ſe moderatè ſentiant. Ad hoc Matth. 11.
ſpectat Chriſti admonitio: *Diſcite à me, quia mitis* Matth. 12.
ſum, & humilis corde. Alioqui ſententiam illam veriſſimam eſſe experientur, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Hoc ſentiant ſibi quod & in Chri- Philipp. 2.
ſto IESV, qui cùm in forma Dei eſſet: ſemeti- 2. Cor. 8.
pſum exinauit: cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus.

Animaduerte etiam quàm inanis & præpoſtera ſit fiducia diuitiarum, quæ momento effluunt, nec à morbis, nec à morte ſeruant, nec iuuare poſſunt in poſtremæ articulo neceſſitatis. Diues cùm morietur non ſumet ſecum omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Grauiſſima exempla huius nobis obiecta ſunt in duobus diuitibus, quorum vni cùm multa congregaſſet, dictum eſt: *Stulte, hac morte repe-* Luc. 12.
tetur anima tua à te. Quæ congregaſti, cuius erunt? Luc. 16.
Alteri verò in ſummis flammarũ infernalium ardoribus aquę gutta eſt denegata. His addi po-

teſt Nabal qui poſt conuiuia planè regia, poſt
1.Reg.25. denegatos Dauidi panes, ſubita more raptus
eſt in tartarum, & opes eius cum vxore lectiſſima fœmina, eidem ceſſerunt Dauidi. Pharao, Antiochus, Herodes, poſt paucos huius vitæ dies, relictis opibus, in puncto ad inferna deſcenderunt. Sanctiſſima igitur eſt hæc Pauli ad Timotheum adhortatio: *Diuitibus huius ſæculi*
1.Tim. 6. *præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo; bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum in futurum, vt apprehendant veram vitam.*

Diſcant igitur viri potentes & clari in ſæculo, quæ ſũt humilitatis, moderationis, ac humanitatis: nec ſibi nimiùm placere in opibus & potentia, ſed rationem ſe tandem ei reddituros ſeriò cogitent, qui has mundi glorias contulit.
Ierem. 9. Ideo ait per ſuum præconem: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, non fortis in fortitudine ſua, non diues in diuitiis ſuis: ſed ſcire & noſce me.* Et in Pſal-
Pſ.60. mis dicitur: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.*
Pſ.75. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt diuitiarum in manibus ſuis.*

Diſcimus poſtremò ex his, ſapientiam totius huius mundi & fallere & falli turpiſſimè, cùm iudicat illos infelices ac miſeros, qui pro Chriſto vel honoribus, vel diuitiis ſuis priuantur. Contrà etenim, Spiritus Domini illos fe-
1. Petr.3. lices & beatos eſſe frequenter pronunciat. *Si*
Exod.2. *quid patiemini propter iuſtitiam, beati*: Conſideranda
Heb. 11. ſunt ſanctorum exempla: in primis Moyſi, im-

properium Chriſti præferentis Ægyptiorum theſauris: deinde, Pauli omnia æſtimantis vt ſtercora, vt Chriſtum lucraretur. Philip.3. Animis quoque reuoluendæ ſunt ſuauiſſimæ & ampliſſimæ promiſſiones iſtæ: *Qui reliquerit domum, fratres,* Matth. 19. *&c. centuplum accipiet in hoc ſæculo, & vitam æter-* Mar.10. Matth.13. *nam in futuro*. Nec prætereundum, diuitiis ſpo- Matth.19. liari nihil aliud eſſe, quàm è ſpinis cruentiſſimis liberari: & ſarcina exonerari, quæ vitæ æternæ impedit introitum, felices ſanè qui hæc alta mente repoſuerint. Sequitur;

quoniam ſicut flos fœni tranſibit.

Hanc ſuperioris exhortationis rationem adfert à natura fortunæ ſecundæ, inconſtantis videlicet atque momentaneæ. Nam ſucceſſum fortunæ floribus comparat, quibus nihil ſpecioſius dici aut fingi poteſt: at ſplendor iſte inconſtantiſſimus & fugaciſſimus eſt. Ergo peruerſa & præpoſtera eſt repoſita in opibus fiducia. Atque hoc ipſum eſt quod longè ante Apoſtolos, per prophetas Spiritus ſanctus admonuerat dicens: *Tanquam fœnum feliciter* (malignantes) *are-* Pſ.36. *ſcent: tanquam olera herbarum citò decident.* Iſ.40. Iſaiæ item dicitur: *Clama, omnis caro fœnum, omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Rebus itaq; vaniſſimis cõparatur diues impius: iuſtus autem vt palma florebit. Erit ſicut oliua fructifera in domo Dei.

10 *Exortus enim eſt ſol cum arbore, & flos eius decidit, & decor eius deperit. Ita & diues in itineribus ſuis marceſcet.*

Confirmat ſimúlque explicat ſuperiorem exhortationem de inconſtantia opum & glo-

riæ huius ſæculi, exemplo à natura rerum ſumpto. Solis enim ardore euaneſcunt ac emoriuntur flores, adeò vt floſculum qui natus ad ſolis exortum, gratiſſimo colore atque ſuauiſſimo odore blandiebatur ſenſibus hominum, ſol occidens videat morientem. Arbores quoniam altis nituntur radicibus, ac ſolido robore fulciuntur, diu virent, quædam etiam perpetuò, nec ventorum iniuria, nec brumæ rigore viroris gratiam ponentes: ac flos fœni quoniam iiſdem rebus nõ fulcitur, mox vbi ſol efferbuit, ſucco ſuo deſtituitur, quo momentaneam gratiam ſuam alebat. Vides modò natum florem? qui decor? quæ ſpecies? quæ coloris & odoris gratia? quæ foliorum virentium pompa? qui nitor? quæ iuuentus? At mox ad Auſtri flatum, ad ſolis æſtum, qui languor? quod ſenium? qui caſus & interitus? Huic aſſimilis eſt diuitum felicitas. Qui nunc purpura conſpicuus, auro lucens, gemmis refulgens, magnifico ſatellitio ſtipatus, ſupinus vehitur, ac veluti numẽ quoddam inter homines colitur: ſi reflauerit fortuna, aut exutus bonis omnibus mendicabit exul, aut plorabit in carcere, aut ſublatus in crucem paſcet coruos. Quod ſi nihil horum acciderit, certè mors inopina ſubitò ſtrepitum omnem aufert.

Non ſunt hæc inania verba, ſed diuina, eadémque grauiſſimis exemplis corroborata. Hodie videas adoleſcentem validum, ſcribit Ambroſius, pubeſcentis ætatis virtute florentem, gratia, ſpecię, ſuaui colore: craſtina die tibi fa-

l. 1. hexam. c. 7.

cie & ore mutatus occurret. Pleróſque enim aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut deliciæ eneruant, aut luxuria decolorat, aut morbi fatigant & abſumunt, &c. Pharao manè florens, veſpere factus eſt eſca piſcium. Balthaſar vino & dapibus ſeſe ingurgitans, mox totus horrore trepidans noctu ab hoſtibus mactatur. Nabuchodonozor nunc exultat in aula, illicò cum lupis vlulat. Haman ſpe deuorat Iſraëlitas, horúmque vniuerſas facultates, continuò de infelici pependit arbore. Herodes velut Deus colitur, & in momento abſumitur à vermibus, &c. Qui profana ſitiũt, ex Plutarcho, Valerio, & libro de caſibus virorum illuſtrium à Bocatio editum; ſitim expleant. *Exod. 14.* *Dan. 5.* *Dan. 4.* *Eſther. 7.* *Act. 12.*

Perpende etiam atque etiam quàm vana, quàm inania, quámque futilia ſint coram oculis Dei, vniuerſa quæ mundus præſertim miratur & conpiſcit: quando ea non niſi cum fœni flore herbíſque dignatur Spiritus ſanctus comparare. Et ne ad hæc obſurdeſcas, audi quoties, & quàm grauiter ac vehementer has de diuitiarum ac mundi contemptu adhortationes inculcet atque repetat. Iſaiæ loquitur; *Clama Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus.* Hoc idem & per D. Petrum loquitur. Et per beatum Iob ait, *Homo quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.* Item per *Iſa. 14.* *1. Petr. 1.* *Iob. 14.*

Pſ.36. Pſalmiſtam : *Tanquam fœnum velociter areſcent.* Pſ.102. *Homo ſicut fœnum dies eius: tanquam flos agri ſic efflo-* Eccl 14. *rebit.* Denique per ſapientem : *Omnis caro ſicut* 1.Io.2. *fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Sic tranſit mundus, & concupiſcentia eius. Præterit figura huius mundi, &c.* Væ itaque ſocordiæ huius, qui hæc renuit obſeruare, hæc recuſat audire. Aures ſaltem admoneamus his Soliloq. c.13. Auguſtini verbis : Heu miſeria ſuper miſeriam, cùm miſera anima mea à te, Domine, refugit, cum quo ſemper abundat & gaudet : ſequitur mundum, cum quo ſemper eget & dolet. Mundus clamat Deficio, tu Domine, clamas Reficio : & miſeria mea praua magis ſequitur deficientem, quàm reficientem. Planè infirmitas mea hæc eſt, &c.

Sed quo pacto diues ſemper in itineribus, id eſt, cogitatis, factis, & ſtudiis ſuis marceſcit, vt flos fœni, cùm plurimos videamus vſque ad canam poſtremámque ſenectutem vigere, & deliciis opibúſque florere? De hoc grauiter conque-Iob. 21. ritur Iob dicens: *Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit & non eſt priuata fœtu ſuo, &c.* Ierem.12. Sic Ieremias: *Quare via impiorum proſperatur?* Et Habac.1. alius propheta: *Quare non reſpicis iniqua agentes,* Pſ.72. *& taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* Dauid quoq; eaſdem iacit ore querelas : *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo te-*

nuit eos ſuperbia, &c. ſimul indicans ſe non parum animo commotum, adeoque ſolicitatum, vt in eorum ſe ſortem conferret. *Mei autem penè moti ſunt pedes, &c.* Reſpondeo, Impij ante mortem & iudiciũ florent, & ſunt in honore quaſi eis Deus faueret: manet autem eos in futurum tempus ira, maledictio, perditio, ignis qui non extinguitur, vermis qui non moritur, fletus, ſtridor dẽtium, puteus abyſſi plenus igne & ſulphure: hæcque in perpetuas æternitates. Ad quas comparata vniuerſa huius ſæculi felicitas & voluptas quantumcunque longa, verè tamen beniſſima & momentanea eſt. Mille anni ante oculos Domini, tanquam dies heſterna quæ præteriit, reputantur, &c.

Accedit, quòd nec omnes improbi diuites ſunt longæui, aut florent es ad poſtremam vſq; ſenectam: imò horum plurimi dum res videntur ſecundæ, ſubitò rapiuntur de medio, quemadmodum ſuperius adducta exempla comprobant. Et Iob poſt querimonias ſuas ſcribit: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Sunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit, &c. Dauid etiam inquirens in nouiſſima eorum, illos pronunciat planè miſerrimos & infeliciſſimos; & admirabundus exclamat. *Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium*, id eſt, rem inaniſſimam, & celerrimè euaneſcentem, *imaginem ipſorum ad nihilum rediges, &c.* De his alibi copioſiùs: hîc ſatis ſit.

Iob. 21.

Pſ. 72.

Com. in c. 1. *libri Ruth.*

11 *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Hanc quintam exhortationem, quæ eſt de perſecutionibus pro pietate, alacri fortiq; animo tolerandis, graui exclamatione auſpicatur Apoſtolus. Suadet autem à magnitudine & certitudine cæleſtium præmiorum, quæ his propoſita ſunt, qui conſtanter permanſerint. Illa coronam vitæ nominat, ſimilitudine ſumpta à certaminibus, in quibus victores variis coronis donabantur. Certitudinem addit quòd Deus ſit qui coronam promittit: non homo, qui fallit & mutatur. Hanc denique coronam non credentibus ſolummodo, ſed etiam diligentibus Deum promiſſam confirmat. Senſus autem eſt: Toto cælo aberrarunt huius ſæculi ſapientes, ſummum hominis bonum conſtituentes vel in corporis voluptatibus & indolentia, vel opibus caducis, vel honoribus: vel denique virtutibus moralibus, cæli conſideratione. Sed beatus erit vir, ſi ob pietatis defenſionem, ſpoliatus iis quæ poſſidebat, ſuffert vincula, carceres, & duros varióſque cruciatus: ſi Chriſti amore in aduerſis ad mortem vſque perdurat infracto animo. Ille pro certo felix eſt & beatus, quoniam palmam immarceſſibilem referet, & coronam non querneam aut lauream, ſed immortalis vitæ, & ſempiterni cæleſtíſque regni, à Domino Deo qui fallere non poteſt, diadema tãdem aliquando recipiet.

Primùm autem hîc obſeruandũ πειρασμὸν, tenta-

tentationem,hoc loco non aſſumi pro illis corporum aculeis atque titillationibus, quibus ad peccata ſolicitamur: ſed pro ærumnis & afflictionibus per quas à Deo examinamur & probamur. Ita& ſuperiùs dicitur: *Omne gaudiũ exiſtimate,cũ incideritis in varias tentationes,* πειρασμοὺς quod alibi dicunt διωγμοὺς,ὀνειδισμοὺς, & in genere πᾶν ῥῆμα πονηρὸν,qualia è ſynagogis excludi, bonis ſpoliari, agi in exilium,occidi ob Eccleſiæ & fidei catholicæ defenſionem. Hæc autem rectè tentationes dicuntur,tũ quia Deus his explorat ſuorũ fidẽ & patientiam:tum quia per illas Satanas tentat nos de gradu deiicere. Qui his ſtrenuè dimicando præualuerint, verè beati erunt,& in cæleſtibus coronabuntur. *Matth.5. Io.16.*

Notandum ſecundò,Apoſtolum hoc loco alludere ad illa verè paradoxa euangelica, quæ Chriſtus ore proprio prædicauit in monte. *Matth.5.* Mũdi ſapientia dicit, beatos eſſe diuites: Chriſtus, pauperes. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc conſolationem veſtram.* *Luc. 6.* Mundi ſapientia beatos æſtimat, qui vino & vnguensis replentur: Chriſtus, *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.* Mundi ſapientia felices iudicat,quibus omnia ex voto ſuccedũt, omnia blandiuntur: Chriſtus, *eos qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quibus improbi *Matth. 5.* maledicunt, & quos mundus ad necem quærit. Siquidem iam in ſpe beati ſunt, breui in re futuri ſunt. Licèt videantur oculis inſipientium mori, illi tamen ſunt in pace. *Sap. 3.*

Tertiò notandum, Theologos ex hoc & aliis plurimis locis rectè docere, duplicem eſſe

beatitudinem. Primam huius viæ ac peregrinationis humanæ: quæ conſiſtit in ſpe, certáque expectatione bonorum cæleſtium: de qua Paulus, *Spe ſalui facti ſumus. Eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei.* Et Pſalmiſta: *Beatus vir qui non abijt in conſilium impiorum. Beati omnes qui confidunt in eo. Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c.* Debet enim hæc ſpes adeò firma & certa eſſe in animis noſtris, ac ſi iam cũ Chriſto reſurrexiſſemus, aſcendiſſemus in cælum, & conregnaremus in dextera Patris. Sic namq; Auguſtinus loquitur. Eſt in ipſo IESV Chriſto vniuſcuiúſq; noſtrum portio, caro & ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamuis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata mea me prohibent, ſubſtantia mea requirit, &c.

Rom. 8. *Eph. 2.* *Pſ. 1. 2. 31. & 40.* *Eph. 2.* *1. Medit. c. 15.*

Secundam beatitudinẽ docent eſſe patriæ, ac in regni cęleſtis vera poſſeſſione: id eſt, clara Dei viſione atque fruitione, de qua dicitur: *Videbimus eum faciè ad faciem, ſicuti eſt. Beatus ſeruus quem cùm venerit Dominus inuenerit eum vigilantem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Intra in gaudium Domini tui. Beati qui habitant in domo tua, Domine: Beati qui in Domino moriuntur. Beati qui ad cœnam agni vocati ſunt, &c.* Huius eximiam felicitatem animo ſecum perpendens Auguſtinus, ait, O anima mea, ſi quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam

1. Io. 3. *Luc. 21.* *Matth.* *Pſ. 83.* *Apoc. 14. & 19.* *Manualis, c. 15.*

gehēnam longo tempore tolerare, vt Chriſtum in gloria ſua videre poſſemus, & ſanctis eius ſociari: nónne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni & gloriæ eſſemus participes?

Idem rurſum ex ſuperiori ſententia docet, nunquam deficiendum eſſe animis, ſi à peccatis reſipiſcentibus, aliquas nequitias, aut infirmitates diabolus immiſerit: quia ad probādos nos permittit hoc Deus fieri, vt cognoſcat ſi ex toto corde nos ad eius miſericordiam confugiamus, vel ſi veraciter in eum credamus. Sed vos cuncta patienter ſufferte, inquit, & Deum in omnibus benedicite: vt in vobis poſſit impleri quod ſcriptum eſt: *Beatus vir qui ſuffert tentationem.* Conſoletur vos & hoc quod dicit Apoſtolus. *Cùm tribulamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Necnon & illud. *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Et illud. *Quos Deus limat, corrigit, & caſtigat.* *l. de rectitudine catholicæ cōuerſat.* 1. Cor. 11. Prou. 3. Heb. 12.

Nec prætereundum eſt, Apoſtolum nomine viri, non ſexum propriè comprehendere: ſed virtutem animi, fideique vigorem, ſpeique & caritatis virilitatem, quæ tam in viro quàm in fœmina viguerit. Nam apud Deum non eſt maſculus, neque fœmina. Sufficit enim vnus Chriſtus Eccleſiæ caput ad ſibi copulandos homines tanquam viua membra, mares & fœminas, ſeruos & dominos, pauperes & diuites. Non enim reſpicit perſonas hominum, i. externas iſtas ſæculi conditiones. Qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Ad hanc porrò Gal. 6. Act. 10. Matth. 23.

felicitatem peruenerunt non ſoli Apoſtoli & martyres, qui ad mortem vſque pro Chriſti nomine decertarunt: ſed & plurimæ virgines ac honeſtæ matronæ, quæ omni mortis timore, & huius ſæculi amore poſito, pro Chriſtiana pietate fortiter occubuerunt, atque de diabolo & tyrannis, glorioſè triumpharunt. Harum quaſdam celebrant Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus l.30. contra Fauſt. c.4. Epiphanius contra hæreſ. 78. Euſebius & Nicephorus frequenter. Sed ſuper omnes, patribus eſt admirationi & venerationi primiceria fœminarum martyrum beata Thecla, quæ à ſancto Paulo ad fidem noſtram perducta, ſub Nerone imperatore, in confeſſione Chriſti, ignes ac beſtias deuicit, & poſt plurima alia ſuperata certamina, Seleuciã veniens, ibi requieuit in pace.

l. de bapt. Orat. ſub diem paſſ.

Athanaſius magnus has tentationes forti pectore ferendas, etiam extendit ad eas afflictiones & perſecutiones, quas Catholici viri ab hæreticis patiuntur. Memores, inquit, quomodo Arriani ſeſe primùm aduerſus beatum martyrem Petrum, deinde contra magnum Achillem, poſtremò contra beatum Alexandrum geſſerunt, modò perſequendi mei occidendíq; occaſiones ſolertiùs aucupantur: id enim ſitiũt, nec quieſcere poſſunt (tanta eſt auiditas ſanguinis noſtri effundendi) verùm eius rei mihi nulla cura. Scio enim & præmium his qui ſuſtinẽt retribuẽdum eſſe à Saluatore. Dictum eſt enim: *Recipietis coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Orat. 1. cont. Arrianos.

Beatus, inquit, qui ſuffert tentationem: ergo maledictus qui hîc ſuam habet omnem conſolationem, voluptatem, & proſperitatem ſuam. Hinc Auguſt. Qui hîc conſolantur, Domine IESV, indigni tua conſolatione habentur. Sed qui hîc cruciantur, à te cõſolantur: & qui participant paſſionibus, participãt & conſolationibus. Nemo enim poteſt in vtroque ſæculo conſolari, nec poteſt quis hîc, & in futuro gaudere: ſed vnum neceſſe eſt vt perdat, qui alterum voluerit poſſidere, &c. Luc. 6. Sol. loq. c. 22.

Hinc etiam conſidera, qualis ſit conditio & ſors iuſtorum in hoc ſæculo, nimirum qualis ouium in medio luporum, id eſt, odiis & perſecutionibus improborum continuò expoſitos eſſe, & variis tentationibus probari & exerceri, & ad percipiendam coronam vitæ parari. Sic voluit Dominus Abelem, Abraham, Iacob, Ioſeph, Moyſem, Dauidem, &c. huic cruci ſubiectos eſſe. Deinde, edixit in Euangelio: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Similiter & Paulus ait, *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Matth. 16. 2. Tim. 3.

Quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

Animaduerte duplicem in verbis Apoſtoli metaphoram, & vtramq; totum hoc caput doctrinæ eleganter exponere. Primam ſumpſit à metallis, quæ igne purgantur, eliquãtur, & probantur. Argentum igne exanimatum & purgatum ſepties. Ita Deus ſeruorum ſuorũ mentem Pſ. 11.

tentationibus & aduerſis à vitiis purgat, fidem & patientiã explorat, & vitæ cæleſti illos aptos reddit. Inde Sapientiſſimus Hebræorum: *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda hominum probat Dominus. Sicut aurum in fornace probauit electos Dominus.* Et Dauid exclamat: *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.*

Prou.17. Eccl.2. Sap. 3. Pſ.65.

Secundam metaphoram accepit à certaminibus, quibus fortiter peractis, athletæ victores in ſignum gloriæ & virtutis, coronis donabantur, aut obſidionalibus, aut ciuicis, aut muralibus, aut naualibus, aut caſtrenſibus: iiſq; confectis atq; contextis vel ex lauro, vel ex quercu, vel ex argento, &c. Sic Chriſtianis pro ſummi cælorum imperatoris nomine & cauſa certãtibus, ab eodem ſeruatur cæleſtis gloriæ & regni corona pro laborum ſuorũ mercede. Turpiſſimè etenim fallunt & falluntur hæretici, nolentes agnoſcere, vitam æternam eſſe certaminum iuſtam cõpenſationem. Quorſum enim diceretur corona? Aut quò ſpectaret huius Apoſtoli ad certantes comparatio? An non vnicuique Chriſtus reddet ſecundùm proprium laborem? Vel Paulus confidenter ſcriberet: *Bonũ certamem certaui, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex?* Hæc expendens Auguſtinus ſcribit: Bonum certamẽ certaui, opus eſt: fidem ſeruaui, opus eſt: ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, merces eſt. Et idem alibi: Deus donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ. Vnde debitor eſt? Debitorem ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicit, Redde quod acce-

2.Tim. 4. l. 50. hom. ho. 14. In pſ.83.

piſti; ſed, Redde quod promiſiſti.

Verùm, obiiciunt hæretici: Idem Paulus frequenter docet, vitam æternam *gratis donari. Dari ex gratia.* Reſpondet idem Auguſtinus, vtrúmq; verum eſſe, videlicet, Gratiâ Dei eſſe, donaríque vitam ęternam: inſuper, eandem eſſe mercedem & compenſationem meritorum, quoniam & ipſa merita ſunt à gratia præueniente, conſequente, & coronante. *Rom. 6. l. de grat. & lib. arb. c. 8. 9. 15. 16. 20. & 21. Epiſt. 105.*

Ex his etiam conſpice, longè aliud eſſe aut cruciari pro facinoribus propriis, aut occidi pro mũdo, & aliud pro Chriſto. Qui pro delictis ſuis plectuntur, vt latrones, prædones, ſacrilegi, magi, hæretici, iuſtè tolluntur è medio, & cum dolore ferunt ignominiam & infamiam perpetuã. Tunc namq; leges humanæ ſeruãtur, magiſtratus fungitur officio, publicæ cõſulitur tranquillitati, fitq; locus ſanctis, Deóque ſeruitur præcipienti, *Maleficos non patieris viuere. Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidibus obruetur. Poteſtas non ſine cauſa gladium portat, &c.* Qui autem pro mũdi Regibus & principibus pericula ſubeunt, frequenter in illis pereunt, & tãquam inferiores vincuntur, & cum dedecore ſuperãtur, ac miſeri vitam iſtam amittunt. Qui verò pro Chriſti nomine, pro Eccleſia ſponſa eius, pro ſacramentorum aſſertione patiuntur, & hîc viuere deſinunt, ſuperiores ſunt, glorificãtur, triumphant, & coronantur. *Nemo ergo patiatur vt homicida, vt fur, vt maledicus, vt alienorum appetitor: ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, ſed glorificet Deũ in iſto nomine. Cõmunicantes Chriſti paſſionibus, gau-* *Exod. 22. Leuit. 24. Rom. 13. 1. Petr. 4. Ibidem.*

dete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultãtes.

quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

A certitudine coronæ promiſſæ luctatores animat ad ſubeunda pro Chriſto certamina. Deus, inquit, qui in promiſſis veriſſimus & conſtantiſſimus eſt, hanc palmam coronámque promiſit: ídque per Prophetas, per Apoſtolos, per Angelos, denique per Chriſtum coæternum Filium ſuum. Per Iſaïam quippe ait: *Erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.* Per Apoſtolum: *Sic currite vt comprehendatis coronam incorruptibilem.* Per Angelum: *Nemo accipiat coronam tuam.* Et per Chriſtum: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dado tibi coronam vitæ.* Quo igitur modo vos falleret? Nónne ſubeſt ei cùm voluerit, poſſe? An non voluntas, eius opus & velle poſſe eſt? Gloria porrò cæleſtis, beati Aquinatis iudicio, dicitur Corona vitæ, quoniam eſt perpetua, nec vnquam finietur: ſicut coronæ non inuenitur finis.

Iſa. 28. *1. Cor. 9.* *Apoc. 3.* *Apoc. 2.* *Auguſt. manualis, c. 2.*

Hîc diligenter attende, vitam æternam haud quaquam promitti his, qui ſolummodo crediderint, vt poſt Simonem magum & Eunomium delirant Lutherani & Caluiniani: ſed his qui fidei & ſpei Caritatem cõiunxerint, *quàm Deus repromiſit* (inquit) *diligẽtibus ſe.* Nõ enim fruſtrà præceptũ eſt; *Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua: & proximum tuum ſicut teipſum.* Non fruſtrà dictũ eſt. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Hoc fac, & viues.* Nõ fruſtrà: *Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ:* Nõ deniq; fruſtrà poſt enumerata miſericordiæ bona opera,

Exod. 20. *Matth. 19.* *Io. 19.*

dicetur ſanctis: *Venite ergo, poßidete regnum, &c.* Matth. 25.

Poſtremò, non ſimpliciter quibuſuis certantibus & luctantibus promittitur hæc corona: ſed his qui probati in finem vſque perſeuerauerint. *Non coronabitur*, inquit Apoſtolus, *niſi* 2. Tim. 2.
qui legitimè certauerit. Si autem ex infirmitate carnis pedem quis referat, quandoque cedat & cadat, vt & Petrus negauit, & Thomas pro tẽpore fuit incredulus, & Marcellinus thus idolis obtulit: ad cor citò reuertatur, ſeriò pœnitentiam agat, & pugnam redintegret. Quinetiam maiore quàm antea zelo bellum cum mundo & Satana reſtauret. Vt autem in illa dimicatione nos omnes fortes præſtemus, ſemper oculis noſtris obuerſetur æternæ vitæ corona, quam in altera vita dabit nobis Dominus.

12. *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.*

Hactenus egit Apoſtolus de tentationibus externis, quibus fides, patientia, & conſtantia noſtra probatur, earúmque vtilitates multis nominibus commendauit. Nunc alteram tentationum ſpeciem aggreditur, videlicet, earum quæ à carne, deprauatáque voluntate, aut demum malis ſpiritibus oriuntur: & nos ad peccandum ſolicitant & incendunt. Nam hîc dicitur πειραζόμενος ille, qui ad malè agendum ſolicitatur: & tentationis ſpecies ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας, à propria cupiditate. Senſus eſt, Si quem aut propria caro, aut mundi illecebræ, aut afflictionum moles dimouent à recto men-

tis ſtatu, non eſt quod imputet Deo. Qui vincit, Dei præſidio vincit; qui vincitur propria culpa vincitur. Neque enim Deus præbet hominibus occaſioné peccádi: ſed quod ille largitur in materiá pietatis, hoc animus noſter affectibus corruptus, ac velut ineſcatus, ſibi vertit in occaſionem exitij. Nam vt ille natura nullis malis ſolicitari poteſt, ita neminem ad mala ſolicitat, &c.

Cæterùm, ex præſenti loco plurima, eadémque vtiliſſima veteres obſeruarunt Et primò

l. de orat. c. 8. quidem vir apoſtolicorum temporum TERTVLLIANVS inde colligit; Deum rogandum eſſe, non de remittendis tantùm, ſed etiam de

Matth. 6. auertendis in totum delictis, dicendo, *Ne nos inducas in tentationem*, id eſt, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat. Abſit autem vt Dominus tentare videatur, quaſi aut ignoret fidem cuiuſque, aut deiicere ſit conſentiens. Diaboli eſt & infirmitas & malitia.

l. 2. de conſenſu Eu. c. 30. Deut. 13. AVGVSTINVS conciliaturus illud teſtimonium ſcripturæ, *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum*, cùm hoc Iacobi loco, docet aliam eſſe tentationem ſeductionis, quæ hîc à Deo longè relegatur; & aliam probationis, de qua Moyſes loquitur. Hoc ipſum confirmat quæſt. 57. in Geneſ. Alibi rurſum ait, Eſt tenta-

Ser. 11. de verbis Domini. tio adducens peccatum, qua Deus neminem tentat: & eſt tentatio probans fidem, qua & Deus tentare dignatur. Io. 6. *Hoc autem dicebat tentans eum.*

Cyrillvs Alex. ex eodem loco tradit, voluptatem præſtigiis ſuis noſtræ menti imponere, eámque ad peccandum impellere, vt nihil opinetur eſſe, ſi præuaricetur legem Dei. Hoc credibile faciet Chriſti diſcipulus dicens: *Nullus qui tentatur dicat, quòd à Deo tentetur, &c.* *l. de ador. in ſpiritu & veritate.*

Symeon Metaphraſtes, & poſt hunc vener. Beda, primùm hîc notant Apoſtolum iſta ſententia vt peritiſſimum medicum eorum morbo mederi, qui vel naturæ, vel Deo iniquitates ſuas tribuebant. Verbis iſtis vtitur Beda. Nemo cùm tentatur, cùm rapinam, furtum, falſum teſtimonium, homicidium, ſtuprum, & cætera huiuſmodi commiſerit, dicat, quoniam Deo cogente neceſſe habuerit hæc patrare: ideóque nullatenus horum effectum declinare potuerit. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe enim neminem tentat, ea videlicet tentatione, quæ decipit miſeros vt peccent. *Encom. D. Iacobi.*

Evcherivs Lugdunenſis denique, ex eadem ſententia demonſtrat, tentationem Domini probationem eſſe; tentationem autem dæmonis vel carnis, deiectionem. A paſſionibus ergo & concupiſcentiis illa tentatio eſt, concludit ille, cùm humiliati deiicimur: à Domino autem, cùm probati gloriamur, & ideo Dominus intentator malorum eſt, &c. Hucuſque ex ſanctis patribus.

Obſeruandum ſecundò tam ex libris. b. Irenæi aduerſus hæreſes, quàm potiſſimũ ex eiuſdem ſcripto aduerſus Blaſtum, cuius meminit Euſebius; hæreſim iſtam, quæ Deum malorum *l. 3. c. 12. & l. 4. c. 77.*

peccatorúmque authorem conſtituit, iam natam fuiſſe temporibus Apoſtolorum, authore videlicet Simone mago, qui omnium hæreticorum parens vocatur ab eodem ſancto martyre Irenæo. Propugnatores deinde habuit Valentinianos, Marcioniſtas, & Manichęos. Eandem præſenti ſęculo ab inferis reuocarunt Melanthon & Bucerus: ille ſcribens, *Adulterium Dauidis, ſæuitiam Manlij, & proditionem Iudæ, æquè opera Dei eſſe, atque ipſa conuerſio beati Pauli*: iſte comment. ad Rom. pagin. 71. 72. Hos ſequuti ſunt Oecolāpadius in c. 10. Iſaię, & Petrus Vermilius in c. 2. libri primi Regum. Caluinius eò dementiæ peruenit, vt numeratis aliquot hominum & diabolorum atrociſſimis ſceleribus, de his ſcriberet: *Satam & ſceleſti latrones miniſtri fuerunt, Deus author. Deus hoc opus ſuum pronunciat. Deus præcipuus eſt author: Satanas verò tantùm miniſter, &c.* Beza & quotquot infauſto Hugnoſticorum nomine comprehenduntur, eadem blaſphemia ſunt commaculati.

Annot. in c. 8. ad Romanos. 1524.

Inſtit. l. 1. c. 18. §. 1. & 2.

Ea porrò hæreſis primò grauiſſima contumeliâ Dei ſummam bonitatem, ſanctitatem, & innocentiam afficit, imò execrandum ſerit atheiſmum. Nam ſi Deus omnium peccatorum præcipuus author eſt, non eſt ſummè bonus, ſummè ſanctus, & ſummè innocens, nec fons omnium bonorū. Igitur nec Deus. Quemadmodum enim hominis natura & finitio penitus tollitur, ſi dicatur incapax rationis, ignis ſi frigidus; aquæ, ſi non liquida; terrę, ſi nō ponderoſa; & ſolis ſi expers luminis ſit, quoniam

hæc illorum naturæ prorſus aduerſantur: ita & iniquitates ſi Deo vt authori affingantur, eum omnino tollunt, quoniam ſuapte natura iuſtus & ſanctus eſt, imò ipſe ſua iuſtitia, innocentia, & ſanctitas. Enimuerò vt eſt ſine quantitate magnus, & ſine tempore ſempiternus: ita ſine qualitate bonus, iuſtus, & ſanctus. Igitur, qui Deum bonum & ſanctum negat, authorem malorum eum comminiſcens, Deum omnino eſſe negat. *Aug. l. Meditat. c. 12. & 29. Item Manualis, c. 2.*

Secundò, prædicta hęreſis nullum diſcrimen conſtituit inter Deum verum & diabolum, inter Chriſtum & Belial. Hic enim ab affectis dicitur mendax, homicida ab initio, & in veritate nõ ſtetiſſe, rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, tentator, aduerſarius, calumniator, accuſator fratrum, ſerpens antiquus, princeps tenebrarum, ſpiritus immundus, &c. quibus appellationibus vniuerſa peccata illi vt ſuaſori & authori, tribuuntur. Ergo ſi Deus eorum præcipuus author eſſet, Satan ſolùm miniſter, vt Caluiniani blaſphemant, non tantùm cum ipſo Satana confunderetur: verùm (horreſco referens) & eodem longè deterior appareret, vt eſt potentior. *Io. 8. Iob 41. Matth. 4. Apoc. 12.*

Tertiò, eadem hæreſis negat Deum æquiſſimum eſſe iudicem orbis terrarum, iuſtiſſimúmque vltorem omnium malorum. Etenim ſi iniquitas apud Deum, quomodo, ait Paulus, hunc mundum iudicabit? Aut quo iure iniquitates in aliis plecteret, quarum pręcipuus fuiſſet author, iniqui verò tantùm miniſtri? *Rom. 4.*

Quartò, ſi Deus eſſet præcipuus author furti, ſacrilegij, mendacij, homicidij, adulterij, blaſphemiæ: nónne ab his operibus ſuis iure denominaretur fur, ſacrilegus, mendax, homicida, adulter, & blaſphemus? Ecquis tam horrenda & nefanda æquis auribus vel animis ferre poſſet?

Quintò, ſi omnium peccatorum Deus eſt præcipuus author, certè non eſt is verus Deus, quem annunciauerunt Prophetæ, quem venerati ſunt Patriarchæ, quem lex timendum præcipit, quem prędicauerunt Apoſtoli, & in quem Martyres, Confeſſores, Virgines, patres noſtri toto corde crediderunt & ſperauerunt. Ille ſiquidem grauiſſimis legibus prohibet peccata, aborret à ſceleribus, nõ vult iniquitatem, damnat omnia crimina, arguit impios, & flammis æternis animaduertit in omnes operatores iniquitatis. Iſte contrà, omnium peccatorum præcipuus eſt author, Satan verò tantùm miniſter, &c. Quia verò in hanc hæreſim ampliùs diſſeruimus in Dialogis, hîc eam nonper ſequemur vlteriùs.

Obſeruandum tertiò, longè ſalubrius & iuſtius eſſe hominibus peccata ſua humiliter agnoſcere, ingenuè cõfiteri, ac ſibimetipſis imputare, ſupplices denique veniã illorũ poſtulare, quã illa proteruè excuſare, vel aliis adſcribere. Equidem Adam, Eua, Cain grauiùs & peccauerunt, & punit ſunt, quòd excuſationes quæſierunt in peccatis. E contrariò Dauid Manaſſes, Magdalena, Petrus, latro delicta ſua humili-

ter agnoſcentes, veniam mox ſunt conſequuti. Vnde Tertullianus. Tantum confeſſio releuat delictorum, quantum diſſimulatio aggrauat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumacię. Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur, &c. *l. de pœnitentia.*

Deus enim intentator malorum eſt:

Ipſe enim neminem tentat.

Ratione valida propoſitionem confirmat, videlicet, Deum neminem tentare, quoniam ipſe naturâ bonus eſt, & nullis malis ſolicitari vel maculari poteſt. Diabolus autem ſolicitat, quia & ipſe plurimis & maximis ſcatet peccatis, & inſania ſemper peccãdi cupiditatẽ totus inardeſcit. Deus enim dicitur ἀπείρασος τῶν κακῶν, quod actiuè & paſſiuè poteſt intelligi. Paſſiuè ſenſus eſt, Deus malis noſtris tẽtari non poteſt. A quo enim tentaretur, cùm lucem habitet inacceſſibilem? adeóque naturâ bonus & ſanctus ſit, vt ſit ipſe ſua bonitas & ſanctitudo? Deinde purior ſit, quàm vt in eo quodcunque malum poſſit hærere? Quemadmodum ergo lux pura non admittit tenebras, ſic neque Dei natura peccatum.

Sed præſtat actiuè legere, quòd ſcilicet Deus neminem tentat, neminem impellit, neminem ſolicitat ad lapſum: ſed prodit euerſos iam per propriam malitiam. Atque hæc ratio habet remotionem cauſæ alienæ & minimè veræ, quam tamen homines reprobi ſolent ad velanda excuſandáque ſcelera ſua proferre.

Verùm ne improbi de peccatis conuicti, ideoque iuſtè multari videantur, ad aliquot ſanarum ſcripturarum teſtimonia confugiunt.

Iſa.45. Ait enim Deus, inquiunt: *Ego Deus faciens pacem, & creans mali.* Et Amos propheta vehementi

Amos.3.

l. 4.77. hocipſum affirmat negatione: *Si eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus?* Reſpondent poſt

In c. 3. lamentat.

Iræneum martyrem & Hieronymum Theologi, illa de malis pœnæ, vt potè fame, peſte, bello, aliíſque ſæculi calamitatibus, intelligenda eſſe: non autem de malis culpæ, ſeu de peccatis & iniquitatibus. Aut ſi cum Tertulliano loqui malueris, de malis ſuppliciorum, non autem delictorum illa dicuntur à prophetis.

Nec ſic tamẽ adhuc ſibi factum ſatis putant homines improbi, quando ſubiiciunt, Deum induraſſe cor Pharaonis: conuertiſſe cor Ægy-

Iſa.6. ptiorum vt odirẽt populum ſuum, & dolum

Rom.1. facerẽt in ſeruos ſuos: quoſdam excæcare: alios

Io.13. conuertere in reprobum ſenſum, & paſſiones ignominiæ: denique Iudæ proditori dixiſſe, *quod facis, fac citius*: quibus culparum ſuarum cauſas in Deum opt. & max. conantur referre. Ad hæc omnia prior & facilis eſt reſponſio, videlicet, Deum dici hæc facere, tollẽdo gratiam ſuam, non immittendo malitiam. Poſterior, iſthæc ſimplici permiſſioni diuinæ adſcribenda, non operationi. Cæterùm ex hac Apoſtoli doctrina manifeſtiſſimum & certiſſimum eſſe, nec peccatum, nec peccati vel minimam ſuſpicionem in Deum cadere poſſe. Sed præſtat de his tentationibus copioſiùs dicere.

DE

DE TENTATIONE.

TEntationis etymō Hebraïcum eſt à NISAH, quod eſt ſignum, ſiue iudicium. *Naſa* enim quod eſt tentare, tunc planè fit, quando ſigno aut indicio aliquo volumus quidpiam agnoſcere. Græcum eſt Πειρασμὸς, & Πειραςὴς, tentator: & πειράζω tanto: & πειράζομαι ἀπὸ τῆς πεῖρας, quo eſt experientia. 1.

Eſt autem tentatio, vt quidam definiunt, experimenti ſumptio de eo quod tētatur, an ſciat, an poſſit, an velit quod tentatione ab eo exquiritur. Alij dicunt: Tentatio eſt exploratio, ad eliciendam ignotæ rei notitiam. Cauſa efficiens eſt is qui tentat; formalis, actio tentandi: finalis, quod præſertim exquiritur ac intenditur, ſeu bonum, ſit, ſeu malum; materialis, res ſubiecta qua de agitur. 2.

Tentant porrò aut Deus, aut homo, aut diabolus. Deus dicitur tentare hominem, id eſt, probare ac explorare, ídque ſemper bono fine, nimirum, vt homo ſibimetipſi & proximis innoteſcat, atque ſic vel præmio vel ſupplicio dignus appareat. Tentauit Abrahā, dicēs: *Tolle filiū tuum vnigenitum, & offer illum in holocauſtum, &c.* Vt ſingularis eius fides ac obedientia cunctis mortalibus innoteſceret. Promittens manna Iſraëli ait: *Vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.* Et prohibens audire pſeudoprophetas, inquit per Moyſen: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non.* Et alibi Dominus: *Ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue: vt in ipſis experiar Iſraël, vtrū cuſtodiant viam* 3.

Gen. 22. Exod. 16. Deut. 13. Ioſue. 2.

Domini, an non. Innumera ſunt iſtiuſmodi exēpla tum huius vocis ac ſignificationis, tum etiā rei aliis dictionibus ſignificatæ, vt probationis aut explorationis. Hæc enim omnia peritè vult AVGVSTINVS, intelligenda eſſe de tentatione probationis tantùm: non de tentatione deceptionis. Abrahā quoque tentauit Deus, inquit, vt pia eius obedientia probaretur, ſæculis in notitiam proferenda, non Deo. Et plerunque aliter animus humanus ſibipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi experimento & tentatione, quodammodo interrogante reſpondeat.

Epiſt. 146. *l. 16. de ciuit. 32.*

4. Chriſtus quoque dixit ad Philippum, *Vnde ememus panes vt manducent hi? tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* In hoc facto, ait Auguſt. ignorantiam diſcipuli voluit interrogando quod ſciebat, oſtendere. Nam & aliquando interrogamus quod ſcimus, ſcire volentes, vtrum & ille ſciat quem interrogamus.

Io. 6. *Tract. 24. in Io.*

5. Homo frequenter tentat alium hominem, velut dicitur: *Regina Saba venit tentare Salomonem in ænigmatibus.* i. in rebus obſcuris ac difficilibus eximiā illius ſapientiā explorauit, ac experta eſt. Et in Apocalypſi celebratur Epiſcopus Epheſinus, quòd tētaſſet eos qui dicebāt ſe Apoſtolos eſſe, & inueniſſet eos mēdaces. Sic etiā loquitur Tullius. Tēto te, quo animo accipias. Experiar, & tentabo omnia. Homines in pręliis belli fortunā tentare ac periclitari ſolēt. Nationes, quas nunquā popul⁹ Rom. neque laceſſendas bello, neque tētandas putauit. Et in ſacris dicitur, Dauid indutus arma Saulis, tentaſſe, ſi cum his in-

3. Reg. 10. *2. Par. 9.* *Apoc. 2.* *Tullius.* *1. Reg. 17.*

cedere valeret. Adeò tentandi vox etiam ad alia transferatur, quorum periculum facere placet.

Cùm de diabolo dicitur, notat eius impios conatus & impetus, quibus homines abducere ſtudet à vera via & ſalute, ad errores & perditionẽ æternã. Ad hoc referẽda ſunt illius aduerſus primos parẽtes & ſanctos Iob, Dauid, Tobiã, & alios, praua conſilia. In Euangelio legitur: *Accedens tentator dixit: Si filius Dei es, &c. Tentabatur à diabolo. Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri Spiritui ſancto? Ne vos tentet is, qui tentat. Ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram.* Sic enim tentare, eſt ad malum ſolicitare, prouocare, & pro viribus impellere. 6.

Matth. 4. Luc. 3. Act. 5. 1. Theſſ. 3. 1. Cor. 7.

Hodie autem acriter diſputatur inter Catholicos & Caluinianos, an Deus hoc modo & ſenſu tentet homines; illis negãtẽ, iſtis affirmantẽ, partẽ cunctis viribus defendentibus, imò & cũ authore ſuo dicentibus, *Deum improborũ peccata decernere, conſulere, ordinare: eoſdem ſeducere, ad peccãdum inclinare, in peccatis indurare, omnia hominum ſcelera eius voluntate & decreto fieri. Satã & ſceleſtos homines illorũ tãtũ miniſtros eſſe, Deũ verò præcipuum authorẽ, &c.* quas omnes ſententias vt teterrimas in ſummã Dei bonitatẽ & ſanctitatẽ blaſphemias copiosè retulimus & ſolidè cõfutauimus Dialogo ſecundo prioris hebdomadis. Et has ſanè hîc Apoſtolus vt apertiſſimè ſic grauiſſimè reprobat & damnat, dicens: *Nemo cùm tentatur*, id eſt, ad peccandum ſolicitatur, *dicat, quoniã à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe neminem tentat.* Nec his tribus de infinita 7.

Cal. inſtit. & l. contra libert.

ſanctitate Dei propoſitis contētunt, fontē peccatorum aperiens, & velut digito indicans, ſub-
8. dit: *Vnuſquiſque tentatur à propria concupiſcētia, &c.*

In oratione Dominica rogamus quidē, ne Pater ille cœleſtis nos inducat in tētationē, vbi de illa maligni tentatione diſſeritur, vt ſequēs oratio, *Sed libera nos à malo*, ſeu maligno, ſatis demōſtrat. Non enim per ſeipſum inducit Deus, inquit Auguſtinus, ſed induci patitur eū, quē ſuo auxilio deſeruerit ordine occultiſſimo ac meritis. Cauſis etiam ſæpè manifeſtis dignū iudicat ille quē deſerat, & in tentationē induci ſinat. Et idem alibi concedit, Satanā diuina permiſſione transfigurare ſe in angelū lucis ad tētandū eos, quos ita vel erudiri opus eſt, vel decipi iuſtū eſt. Deū autē vel inducere, vel impellere homines ad peccandū, & perpetuò, & conſtanter, & vbique negat. Petimus igitur à Deo, nō, ne ipſe nos inducat: ſed ne vel à diabolo, vel à carne, vel à mūdo nos induci & abduci patiatur ad malum; ſicut quondā permiſit Dauidem, Petrum, Thomam, & alios plurimos.

l. 1. de ſer. Dom. in monte c. 14.

l. 19. ciuit. c. 9.

9. Homines verò tentant Deū variis modis. Ac primò quidē ſummā illius patientiā atque longanimitatem explorāt ſua impœnitentia, & in peccando nimia perſeuerātia: videlicet, an perpetuò pergat noſtrā tolerare malitiā: & nō potiùs tandem aliquando iniquitatū noſtrarū pertæſus, nos grauiſſimè puniat. Sic Hebræi in deſerto multoties murmurādo, patientiā eius tentauerunt. Ab hac tentatione Sapiens ſic vnumquēque reuocat: *Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Et*

Eccl. 5.

ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorũ miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Et Paulus adfirmat huiuſcemodi peccatores, qui diuitias Diuinæ bonitatis, patientiæ, & longanimitatis contemnũt, iram ſibi theſaurizare in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. *Rom. 2.* 10.

Secundò tentãt eius infinitã potẽtiam, de eadem vel dubitando, vel apertè eã denegãdo. Primùm fecerunt Iſraëlitæ in deſerto Raphidim, vbi nõ erat aqua ad bibẽdũ populo: quib⁹ murmurantibus dixit Moyſes: *Quid iurgamini contra me? Cur tentatis Dominũ?* Appoſuerũt adhuc peccare ei, & tentauerunt eũ, & malè locuti ſunt de Deo dicentes: *Nũquid poterit parare menſam in deſerto? Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare mẽſam populo ſuo?* Eadẽ malitia & iniquitate perciti Capernaitę illorũ poſteri, de coæterni filij eius immẽſa poteſtate ambigẽtes dixerũt. *Quomodo poteſt hic nobis dare carnẽ ſuã ad mãducãdũ?* His omnibus ætate quidem inferiores, ſed impietate lõgè ſuperiores Caluiniani & Bezani, hoc infelici ſæculo clamitant: Doctrinam de potentia Dei abſoluta, *commentum eſſe profanum & deteſtabile. Nec admittendam, nec credendam eſſe vniuerſaliter autumant hanc b. Gabrielis propoſitionem, Nõ eſt impoſsibile apud Deum omne verbum.* 11.

Exod. 17. *Pſ. 77.* *Io. 6.* *Inſt. l. 3. c. 23. §. 2. l. 2. aduerſ. Heshuſſ.*

Tentant tertiò illius Diuinam prouidẽtiam, quando quærũt, an poſſit, an velit eos tẽpore famis enutrire, ex imminẽtib⁹ plurimis periculis liberare: & promiſſis ſuis fidẽ facere. Sic Iſraël quadraginta annis Deum frequẽter tentauit in deſerto, nunc carnes, nũc panes, mox aquas tan-

tis contentionibus exigendo, vt graues de his
Pſ. 94. Heb. 3. querelas Dominus iaciat: N*olite* inquit, *obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione ſecundũ diẽ tẽtationis in deſerto, vbi tẽtauerunt me patres veſtri, &c.* His
autẽ Deo ſeſe opponebãt, ac cũ eo cõtẽdebãt, illius cõtra ſeipſos iram prouocantes ac irritãtes.

12. Tentant & illius paternã ſolicitudinẽ atque curam qui ſponte periculis ſeſe exponunt, quæ vel prudenter cauere poſſunt, vel propriis cõſiliis ac virib⁹ effugere. Scribit enim Auguſtinus
Gen. 12. l. 16. ciuit. c. 19. de Abrahamo dicẽte vxorẽ eſſe ſororẽ ſuam: Si periculum quantum cauere poterat, non cauiſſet, magis tentaſſet Deũ, quàm ſperaſſet in eo.
P. de labore monach. c. 27. Alibi etiam plurimis contẽdit, in perſecutionibus vtẽdum eſſe fuga, ſicut Paulus, Petrus, Prophetæ aliquando ſunt vſi: tempore famis & neceſſitatis, laborandũ manibus inſtar Pauli: & induſtria quam Deus nobis conceſſit, ne illum
l. 22. cont. Fauſt. c. 36. tẽtare videamur. Rurſũmq. alibi ex multis colligit. Pertinet ad ſanã doctrinã, vt quãdo habet quod faciat homo, nõ tentet Dominũ Deũ ſuũ.

13. Tentant & infinitã Dei ſapientiã, qui dicũt:
Pſ. 72. Pſ. 93. *Si eſt Deus? & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* Et in peius
Iob. 22. proficientes inquiunt: N*on videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Et rurſum: N*ubes latibulũ eius, nec noſtra conſiderat.* Quæ vt epicureiſmos & atheiſmos palã & ſeuerè Sapiẽs prohibet, docétque omnia prorſus Deo nota eſſe: nihílque eũ
Eccl. 16. latere poſſe: N*on dicas*, inquiens, *A Deo abſcondar: & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? &c.*

14. Ad tẽtationes Dei etiã refertur Phariſæorum

conatus ac prauũ ſtudiũ, quo ſæpius Chriſtum tentauerũt, quærẽtes ab eo, *ſignũ de cælo: ſi licebat tributum dare Cæſari, an non: quod eſſet mandatũ magnum in lege, &c.* Matth. 12. 20. 22. Malo etenim animo & fine iſthæc petebãt, ſperãtes ſe reperturos aliquid in eo vnde iuſtæ reprehẽſionis, aut certè veriſimilis cõfutationis occaſionẽ arriperẽt: adhæc eos impellẽte vel inuidia, vel diffidẽtia, vel importuna curioſitate. Quibus omnibus non ſolùm tentatur Deus, ſed & ad iracũdiam prouocatur, quaſi vellent aduerſus illius maieſtatem homines decertare, aut iudicio contendere.

Sumitur nihilominus locutio *Tentare Deum*, 15.
aliquãdo in bonã, aut ſaltem tolerabilẽ partem: vt Gedeon non ſine petitione tamẽ veniæ, dixit *Iudic. 6.* ſe tentaturum ſecũdò, vt cognoſcat ex Dei miraculo in rore, an velit per eũ liberare Iſraëlem: quod ei benignè conceſſum eſt. Contra verò Achaz ex hypocriſi & perfidia recuſans ſibi *Iſa. 7.* oblatum vltrò ſignum, dixit ſe nolle tẽtare Dominum, atque ſic eo indignum ſe reddidit

Chriſtus quoque dicitur tentatus per omnia 16.
nobis ſimiliter, vt affici poſſet ſenſu infirmitatũ noſtrarũ. Et rurſum, *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* *Heb. 4.* Quibus non tantùm illæ tentationes, & diabolicæ ad peccandum externę ſolicitationes ſignificãtur: ſed & omnis generis afflictiones, anguſtiæ, dolores, & paſſiones, quas pro nobis & viuens & moriens pertulit. Tẽtatus eſt Dominus à diabolo, ait Auguſtinus, deſiderio carnis, quãdo dictum eſt ei: *Si filius Dei es, dic lapidibus iſtis, vt* *Heb. 2.* *Matth. 4.* *Tractat. 2. in 1. ep. Io.*

panes fiant, quando eſuriuit poſt ieiunium. Tentatus eſt deſiderio oculorum, quando tentator dixit, *Mitte te deorſum, &c.* Si enim faceret miraculum, non videretur niſi aut ceſſiſſe aut curioſitate feciſſe. De ambitione ſæculi tentatus eſt, quando eleuauit eum in excelſum, & dixit, *Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtrat⁹ adoraueris me.* De elatione regni terreni voluit tentare Regẽ ſæculorũ,
17. Adhæc, tentatio frequenter ſumitur metonimicè, id eſt, effectus pro cauſa: hoc eſt, pro afflictione, aduerſitate, & cruce, qua ſeruorũ ſuorũ Deus fidem, patientiam, & conſtantiã examinat & probat. Sic ait Moyſes ad Iſraëlẽ: *Vt in deſerto*
Deut. 8. *affligeret & tentaret te Deus*: vbi tentare ſignificat affligi, caſtigari, & examinari. In eodẽ libro
Deut. 7. plagæ illæ quibus afflixit Dominus totã Ægyptum, vocãtur tẽtationes magnæ. Cæcitas quæ
Tob. 2, & 11. ſancto Tobiæ accidit, dicitur tentatio. Hæc enim afflictione examinata & probata eſt eximia eius patientia & virtus. Dauid hoc quoque nomine exilia & ærumnas ſuas comprehendit
Pſ. 17. & 25. dicens: *Quoniam in te eripiar à tentatione. Proba me Deus, & tenta me, &c.* metaphora ſumpta ab argentariis, aurum argentúmque examinantibus & probãtibus in fornace. Hoc velut expo-
Eccl. 27. nens & comprobans Sapiens ait: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.*
Luc. 22. Chriſtus denique dicẽs Apoſtolis, *Vos eſtis qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis*, de tribula-
Luc. 18. tionibus & ærumnis intelligit. *Qui tẽpore tentationis recedunt, &c.* id eſt, perſecutionis & aduer-
2. Petr. 2. ſitatis. *Nouit Domin⁹ pios ex tẽtatione eripere*, id eſt ex infirmitatibus, vinculis, carceribus, gladiis,

ignibus,beſtiis,æquuleis,patibulis,liberare.

Quinetiã vox *tentationis* pro ſuo effectu à Paulo vſurpatur,id eſt,pro peccato, in quod carnis, mundi,& diabolicis ſuaſionibus homines ſæpe abducuntur. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* Peccata veſtra ſaltem non niſi leuia & humana ſint, non malitioſæ rebelliones, non agnitæ veritatis oppugnationes, non diabolica obſtinatio,nõ peccata in Spiritum ſanctũ,&c. 1.Cor.10.

Quæritur tandem, an fugiendæ, deprecandæque ſint omnes prorſus tentationes? Reſpõdetur: Si tentationes ſunt res aduerſæ, non debemus abſolutè orare, vt nullo modo ab his premamur,cùm apertè Paulus dicat: *Qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutiones patientur. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Et Chriſtus iubet baiulare crucem iis, qui volunt venire poſt ſe. Sed ſi dubitemus in iis deficere, aut illis gloriam Dei impediri, poſſumus orare Deum, vt eas auertat à nobis. Sic Paulus orabat, vt liberaretur ab inſidiis Iudæorum. Suppliciter verò deprecandum, vt Deus det vires,id eſt, fortem & conſtantem animum ſub cruce: aut eam pro ſua pietate mitiget, vt ferendo ſimus. Ad hæc, ſi carne laborante, & exhorreſcente, nimiùm affligi videamur, pias & feruentes preces fundamus ad Patrem, vt nos liberet, quomodo, quando,& quãtum eius ſapientiæ, & nobis ſalutare viſum fuerit: vt ſuo exemplo Chriſtus in horto nos docuit. 19. 2.Tim.3. Act.14. Luc.14. Rom.15. Matth.26.

Sin verò, tentationes ſint ſuggeſtiones ad peccata & ſcelera,ac incerta victoria, timórq; 20.

ciendo, abſtrahendo, & ineſcando. Ἐξέλκειν enim id dicitur, quod extra viam rapit. Sic mẽs & iudicium à praua cupiditate tranſuerſum rapitur extra præceptorum Dei tramitem. Δελεάζειν verò, incautum aliquo fuco & blandimento fallere: vt capiuntur incauti piſces, & auiculæ ſtolidæ propoſita aliqua ſpecie alimenti. Sic ſenſus noſtri falluntur, hominémq; in plurima abſtrahunt & rapiunt ſcelera, dum oſtenſam ſibi voluptatem, bonúmque ſolùm apparens auidè perſequuntur.

Hinc autem primùm attende, præcipuam omnium peccatorum cauſam & originem intra nos eſſe ac degere, non extra: ideo nec cæli, nec ſtellæ, nec fata, nec aliquæ aliæ cauſæ externæ ſunt hac ratione accuſandæ, vt *excuſationes quæramus in peccatis*, & ſordibus propriis bonas Dei creaturas cõmaculemus. Nam vnuſquiſq; ad malum ſolicitatur à propria cupiditate ſua. Si propria, ergo reſidet in vnoquóque noſtrum. Atque hi ſunt fructus carnis, enumerati ab Apoſtolo, videlicet, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, ſectæ, inuidiæ, rixæ, diſſenſiones, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur.* Idem quoque alibi ſcribit: *Si ſecundùm carnẽ*, id eſt, inordinatos appetitus corruptæ carnis, *vixeritis; moriemini.* Quæ omnia ab his Chriſti verbis desũpta ſunt: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Et hæc ſunt quæ coinquinant hominem.*

Pſ. 140.

Gal. 5.

Rom. 8.

Matth. 15.

Contemplare etiam, ex quanta rectitudine ac felicitate, in quantam obliquitatem, miſeriam, & deprauationem proprio peccato natura humana ceciderit. Initio nullam ad malum habuit procliuitatem, imò omnem ad bonum inclinationem & promptitudinem: nunc verò adeo corrupta eſt, vt ad omnia ſcelera ex ſeipſa prona ſit, & in eadem præceps ruat, ſi non à Deo ſeruetur & cohibeatur. *Non inuenio in me,* ait Apoſtolus, *id eſt, in carne mea bonum.* Terra eſt maledicta, quæ non niſi ſpinas & tribulos, id eſt, damnabiles cupiditates gignit. Non poſſumus cogitare aliquid boni ex nobis. Nemo poteſt dicere Dominum IESVM, niſi ex Spiritu ſancto. Hanc naturæ noſtræ corruptionem probè cognoſcens AVGVSTINVS, ait: Quòd cecidi, fuit ex me: & quòd ſurrexi, ex te. Aperuiſti mihi oculos, & vidi quoniam tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & quòd gloriari non valet ante te omnis caro, nec iuſtificatur omnis viuens: quoniam ſi quid boni eſt, parui vel magni, donum tuum eſt, & noſtrum non niſi malum eſt.

Rom 7. Gen. 3. 1. Cor 3. & 12. Soliloquiorum c. 15. Iob. 7.

Diſce quoque à beato BERNARDO, hanc concupiſcentiam quantumuis abſtrahat & alliciat, non tamen cogere voluntatem, nec præcipere arbitrij noſtri libertatem. Semper enim manet verum, quod Dominus dixit ad Cain: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et quod Sapiens ſcribit: *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, adiecit illi mandata & præcepta, bonum & malum, vitam & mortem, ad quodcunque*

P. de gratia & lib. arb. Gen. 4. Eccl. 15.

voluerit, apponat manum ſuam. Hoc ipſum præſenti ſæculo diligenter eſt notandum & inculcandum aduerſus Simonis Magi, Marcionis, & Manichæorum, per Lutheranos & Caluinianos inſtauratas impietates: quibus hominem omni arbitrio libero à ſe exutum, in belluarum ſortem traducere conantur. Quid enim aliud homo eſt, ſi arbitrio, eodémque libero penitus careat, quàm canis, quàm equus, quàm aſinus, quàm porcus? Ipſa namque experientia euincit actiones hominum præ beſtiarũ paſſionibus, omnino contingentes & liberas eſſe. Deinde, hæc hæreſis tollit omnem æquitatem, omnem rationem, omne iudicium, omnem ſuppliciorum & præmiorum rationem, omnem legem, omnem adhortationem, omnem orationem. Ad quid enim iſthæc, ſi in homine nulla ſupereſt libertas? ſi omni neceſſitate feratur? Contrà verò vniuerſa ſcriptura docet hominis poteſtati plurima relicta eſſe. *Si volueritis & audieritis me*, inquit Dominus, *bona terræ comedetis. Apposui tibi ignem & aquam, vitam & mortem, &c. Volui vos congregare, & noluiſtis. Nunquid & vos vultis abire?*

Clemens l.3. Recog. Tertull. l.1. aduerſ. Marc. Aug. lib. cõtra Fauſtum.

Iſa. 1. Deut. 30. Matth. 23. Io. 6.

Præterea, ex hoc loco docet CYRILLVS Alex. valdè lubricam & periculoſam eſſe vitam humanam, quando nobis incedendum ſit inter voluptates peccata præcurrentes, & feruentes concupiſcentias, quæ ad varia crimina ſolent allicere. Idem rurſum ſcribit: Voluptas ſuis præſtigiis menti imponit, eámque impellit, vt nihil opinetur eſſe, ſi præuaricetur legem Dei,

Dialogo ad Palladium.

communicat indignè, piiſſimum præceptorem oſculò tradit, laqueo denique ſe ſuſpendit: atq; his gradibus ad Gehennæ mortem ſempiternam deſcendit, &c.

Boatus EFFREM Syrus accepta ex hoc loco occaſione, huiuſmodi verbis vnumquémque noſtrum hortatur, Noli ſordidis cogitationibus immorari, ne quando te ducant in actum turpitudinis. Sed eas execrare, & abs te repelle, vt ſerena & tranquilla ſit anima tua. Ora Dominum intentiùs, vt cordis tui cogitationes illuminet. Idem rurſum; Si obſcœna cogitatio aditum inuenerit, per quem poſſit ad animam penetrare, primùm quidem venenata dulcedine oblectat eam, donec captam atque deuictam proſternat, eámque morti tradat perpetuæ. Hęc ergo cogitatio turpis, tanquam laqueus animæ noſtræ eſt, niſi ſtatim orationib⁹, lacrymis, ieiuniis & vigiliis à noſtro pectore excludatur. Docet item quibus verbis orandum ſit, ſcribens: Si quis veſtrum præoccupatus fuerit cogitationibus ſordidis, non negligat: ſed effundat cor ſuum in conſpectu Dei, & ingemiſcens defleat & dicat, Exurge Domine, & intende iudicio meo, & iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam. Opus manuum tuarum ſum, vt quid relinquis me? Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris humilitatis meæ? Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meā. Suſcipiat me gratia tua Domine, vt nō peream. Si ita permanſeris, & inuocaueris Deum, confeſtim amator hominum Deus mittet gratiam

Serm. de moderat. riſu.

l. 1. de beatitudine animæ, c. 2.

l. 2. de compunct. cordis c. 3.

Pſ. 34.

Iob. 14.

Pſ. 12.

Pſ. 142.

ſuam in cor tuum, & conſolationem tibi, & requiem à laboribus tuis, & ab impugnatione tua conferet.

l. primo ad Monimum. Diuus FVLGENTIVS Ruſpenſis Epiſcopus ex eadem 6. Iacobi ſententia docet Deum neminem ad mortem animæ primam, in qua naſcuntur paruuli (i. peccatum originis): vel in quam concupiſcentiâ ſua abſtracti & inlecti recidunt criminoſi (i. peccatum actuale): ſed bene ad mortem ſecundam, quam neceſſe patiantur, retribuente iuſtiſſimo iudice, impios deſtinare. Et iterum; Peccati initium nihil aliud eſſe, quàm inordinatarum rerum inordinatam dilectionem, quæ ſponte perdendo dilectionis ordinem perdit & ſalutem: & ad hoc non eſſe à Deo prædeſtinatam rationalem creaturam. *Sub finem libri.* *Epiſt. 4.* Iterúmque idem ſcribit: In vincendis propriis cupiditatibus magnam eſſe certaminis difficultatem, quia non extrinſecus ex altero, ſed intrinſecus ex ſeipſo certanti homini concupiſcentiæ carnalis generetur aduerſitas.

l. 50. hom. ho. 42. AVGVSTINVS, quoque poſt citatam D. Iacobi ſententiam infert, Vel mortem time, ſi peccatum non times. Noli conſentire concupiſcentiæ tuæ. Non eſt vnde concipiat, niſi de te. Conſenſiſti? Quaſi concubuiſti in corde tuo, ſurrexit concupiſcentia, parit peccatum, peccatum generat mortem. Ergo ne abſtraharis à concupiſcentia tua, nega te illi. noli eam ſequi, illicita eſt, laſciua eſt, turpis eſt, alienat te à Deo, &c.

Epiſt. ad Euſtoch. His addo HIERONIMVM exclamantem,

Beatus

Beatus qui cùm cœperit cogitare, ſtatim allidit paruulos ſuos ad petram. Petra autem eſt Chriſtus. Et rurſum, Dũ paruulus eſt hoſtis, interfice vt illius nequitia elidatur in ſemine.

DAMASCENVS eundem D. Iacobi locum laudaturus, priùs omnium noſtrum peccatorũ nomine, ita conqueritur: Me miſerum, qui ne illud quidem meminerim, Deũ mente cernere atque animæ vocem obſeruare. Hoſtis meus ad peccatum me adiuuãs, hoc mihi proponit, Deũ ad miſericordiam propenſum eſſe, méque peccantem toleraturum. Ac minimè ſtatim percuſſus, non propterea finem peccandi feci, verùm potius veniam contempſi, ac Dei lenitatem animíque æquitatem contempſi, &c. *l.* 1. *parallelorum. c.* 12.

Nec prætereundum eſt Caluinianos hîc turpiter & nequiter hallucinari, cùm autumant omnem concupiſcentiam, etiam ſi voluntatis conſenſus non accedat, peccatum eſſe coram Deo. Etenim D. Iacobus concupiſcentiã apertè diſtinguit à peccato; nec illi peccatum affingit, donec peperit. Non parit autem niſi volũtate in opus planè conſentiente: non ſunt igitur peccata, carnis cupiditates quantumuis fœdæ, ſceleratæ, & nefandæ, modò non accedat conſenſus. Alioquin, cùm ipſam concupiſcentiam nihil aliud eſſe dictitent, quàm naturam hominis deprauatam, ſubſtantias quaſdam naturâ malas & prauas cum Manichæis conſtituerent. AVGVSTINVS de his diſſerens, concludit, Concupiſcentiam ipſam quantumlibet ferueat, ebulliat, & tumultue- *l.* 6. *contra Iulian. c.* 5. *&* 7. *&* *l.* 1. *de nuptiis & concup. c.* 23. 25. 26.

tur in carne, coram Deo non eſſe peccatum in regeneratis, donec acceſſerit plena voluntatis conſenſio, & approbatio. Vocatur autem peccatum, inquit, quia eſt affectus peccati originis; ſicut ſcriptura dicitur manus, quòd eam manus fecerit: & loquutio appellatur lingua, quòd à lingua procedat. Quando verò lege diuina dicitur, *Non concupiſces*, voluntatis prauus affectus, & in rem turpem malámque conſenſus prohibetur.

l. 1. contra duas epiſt. Pelagian. c. 13.

Obſerua quoque Deum ſic odio habere ac deteſtari omne genus peccati mortalis, vt illud æterna gehennæ pœna & morte puniat. Nam ſempiterna priuatio viſionis ac fruitionis diuinæ, animarum vera mors eſt, de qua dicitur: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*. Et Apoſtolus ſcribit: *Qui talia agunt, digni ſunt morte. Stipendium peccati mors.* Et in Apocalypſi, Infernus & ſtagnum ignis dicuntur mors ſecunda. Huic morti ſi adiiciantur tenebræ exteriores & interiores, flammæ inextinguibiles, vermes æterni, fletus, ſtridor dentium, frigora, fames, fumi, fœtores, vlulatus, improperia dæmonum, cæteræque pænæ tam corporeæ quàm ſpirituales reprobis debitæ, profectò pluſquam ſtupidi & bruti erimus, niſi ipſa peccata toto corde oderimus atque fugerimus. Iure beatus EFFREM ait: Beatus qui execratus fuerit peccatum & malitiam; & Deum ſolùm & benignum, & redemptorem peccatorum dilexerit. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, &c.*

Ezech. 18. Rom. 1. Rom. 6. Apoc. 20. & 21.

l. de beatitud. animæ. c. 1.

Pſ. 31.

Nota poſtremò, Apoſtolum non ſic peccati nomen ad actus externos peccantium reſtringere, quaſi praua deſideria, quæ intus clauſa & ſuppreſſa manent, non totidem eſſent peccata. Sed ideo dicit peccatum conſummatum generare mortem, eò quòd internum delictum præcedit externum, velut radix fructum, & cauſa effectum. Deinde, quia in opere exteriori magis apparet deformitas peccati, augetur culpa, ſcandalum aliis datur, & praua incurritur conſuetudo. Cæterùm, in cogitatione mala quantumuis latente, ac deſiderio affectúque peccandi etiam culpa committitur, ſempiternis flammis vindicanda, tametſi in actum externum minimè prodeat. Ait enim Chriſtus: *De corde* *Matth.* 15. *exeunt alæ cogitationes, quæ inquinant hominem.* Coarguit & ipſe non rarò Iudæorum cogitationes dicens: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quo docuit & cogitationes Dei oculos non effugere: & de his tandem iudicium futurum eſſe. Hinc beatus EFFREM nihil dubitat, *l. 1. de com-* etiam cogitationes noſtras in cœlis ſcriptas *punctione* eſſe: & cõſcientias noſtras, quæ nobiſcum ope- *cordis, c. 7.* rantur, aduerſum nos teſtimonium laturas.

15. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectiſſimi.*

Superiorem diſputationem huiuſmodi exhortatione concludit. q. d. Hactenus ſatis probauimus nullius peccati, nulliúſque impuritatis Deum authorem eſſe: quinimò ſcelus eſſe hoc leuiter ſuſpicari. Nemo ergo in eum delicta ſua referat: ſed quiſque ſibi potius proprias iniquitates adſcribat, & de his cum Da-

uide, Manaſſe, & Niniuitis, cum Petro, Magdalena, & latrone grauiſſimis quondam peccatoribus, pœnitentiam agat, & veniam poſtulet, quandiu locus datur, & tempus relictum ſibi conſpicit: aliâs & multiplici & damnabili errore ſeipſum inuoluet ad ſempiternum exitium.

Vide autem quàm ſeriò, quámque grauiter & frequenter Apoſtolus eorum errores coarguat, qui Deum peccatorum impulſorem, conſultorem, & authorem comminiſcuntur. Et tamen Caluinianos adhuc nec pudet nec piget iſtud verbis & ſcriptis affirmare, vti ſuperiùs, & in Dialogis noſtris euicimus atque confutauimus.

16. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.*

Encom. D. Iacobi. Hæc eſt ſeptima huius Epiſtolæ exhortatio, qua, vt docet Metaphraſtes, oſtendit Apoſtolus, Deum eſſe fontem vberrimum, imò & abyſſum omnium bonorum ſiue corporalium, ſiue ſpiritalium: eadem operâ perimens omnem arrogantiam & ſuperbiam, perſuadénſque Deo potius quàm ſibipſi adſcribere, quod fuerit rectè factum. Δόσις, quod priore loco ponitur, idem ſignificát quod Δώρημα poſteriore collocatum: Eſt itaque repetitio ſynonymi, emphaſis cauſa. Non deſunt tamen qui *datum* ad naturam, & *donum* ad gratiam referant: quoniam vtrámque fecit & confert Deus.

Senſus autem eſt. Quicquid in nobis eſt veræ cognitionis, quicquid puri ſyncerique affectus, id à nobis non oritur; ſed è ſublimi proficiſcitur, ab authore omnium bonorum venit: quicquid verè bonum eſt, à fonte totius perfectionis obtingit: quicquid legitimum ac perfectum eſt, quicquid verè lucidum eſt, id nobis ex ſeſe mittit ille Pater & princeps omnis veræ lucis. Dona ſunt veriùs, quàm præmia; liberalitas eſt, veriùs quàm merces. Fas igitur non eſt, vt hinc quicquam nobis arrogemus: ſed pro noſtris malis miſericordiam eius interpellemus, pro bonis liberalitati eius gratias agamus. Ille vt incommutabilis eſt, ſempérque ſui ſimilis, ita nihil eſt apud eum, quod vlla viciſſitudine caliginis offuſcetur, &c.

Aiunt porrò Theologi tria eſſe genera donorum Dei. Primùm naturæ, quo viuimus, mouemur, & ſumus. Sub hoc comprehendunt corpus humanum cum omni decore, robore, ſanitate, membris, viribus & ſenſibus, quibus communitum eſt. Deinde animam rationis participem, naturâ immortalem, liberam, intelligentem, volentem, præteritorum recordantem, gratiæ & gloriæ diuinæ capacem, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factam, ipſiúſque corporis formam eſſentialem. Hæc enim duo non minori beneficio Dei nobis donata ſunt, quàm olim primis parentibus noſtris, tametſi aliter conferantur. Dauid namque fatetur extractum ſe fuiſſe à Deo de ventre matris ſuæ. Et Iob ſingulas

Act. 17.

Gen. 2.
2. *Mach.* 7.
Pſ. 21.

conceptionis & conformationis ſuæ partes diuinis manibus aſſignat dicens, *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, &c.* horum beneficiorum recordatione & contemplatione animum ſuſtentans, ne aduerſis penitus frangeretur. Hæc igitur non tam naturæ, parentum, aut ſecundarum cauſarum affectus ſunt, quàm dona Dei præclara & optima, deſcendentia à Patre luminum: quibus qui ad res nefarias abutuntur, in donatorem non parum ſunt contumelioſi.

Secundum genus donorum Dei eſt, gratiæ ſuæ gratis datæ, ſiue (vt in ſcholis loquimur) gratum facientis. Ad primam ſpeciem pertinent fides, ſpes, prophetia, miraculorum poteſtas, ſcientia linguarum, interpretatio ſermonum, Apoſtolatus, Epiſcopatus, ſacerdotiũ, doctoratus: & alia chariſmata, quæ ſine caritate poſſunt haberi. Ad alteram verò, caritas, remiſſio peccatorum, iuſtificatio, &c. Ad has etiam ſpecies attinent ſeptem dona
Iſa. 11. Spiritus ſancti, quæ ab Iſaïa connumerantur, videlicet, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini. Præterea, duodecim fructus
Gal. 5. ſpiritus à Paulo recenſiti, nimirum caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longaminitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Spectant etiam ad ſuperiùs dictas ſpecies illæ octo beatitudines Euá-

gelicæ per ipſummet Chriſtum explicatæ in monte. Item & conſilia euangelica; virtutes cardinales ſeu morales; opera miſericordiæ tam corporeæ quàm ſpiritalis: denique vniuerſæ virtutes Chriſtianæ, cuiuſmodi ſunt humilitas, oratio, ieiunium, &c. Iſthæc porrò verè deſurſum ſunt, verè dona deſcendentia à Patre luminum: ne quis de illis glorietur, vel aduerſus alium infletur aut inſoleſcat. Scribit de hoc Auguſtinus, Qui de bono tuo ſibi gloriam quærit, & non tibi quærit, hîc fur eſt & latro: & ſimilis diabolo qui voluit furari gloriam tuam. Qui laudari vult de tuo dono, & non quærit in illo laudem tuam, ſed ſuam: licèt laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur. Qui autem laudatur ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te.

Matth. 5. *Matth. 25.* *Soliloq. c. 15.*

Tertium genus eſt donorum cæleſtium & ſempiternorum, cuiuſmodi ſunt beata corporum reſurrectio, immortalitas, claritas, ſubtilitas, ſplendor, & aliæ dotes à Deo promiſſæ, & à beato Apoſtolo deſcriptæ. Hinc animarum in gratia confirmatio, æterna Dei viſio & fruitio, angelorum & ſanctorum beata conſociatio, & cætera omnia quæ ad cæleſtis beatitudinis plenitudinem ſpectant. De his Iſaïas & Paulus adfirmant, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hæc & ſi pro mercede bonorum operum red dantur, nihilominus donationes & data ſunt Patris lumi-

1. Cor. 15. *Iſa. 64.* *1. Cor. 2.*

num, quoniam & ipſa bona ac merita quibus redduntur, ex gratia procedunt quæ datur à Deo. Sícque verum & certum eſt quod ſcribitur: *Gratia Dei vita æterna. Reliquiæ per dilectionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* quoniam & ipſæ virtutes, & bona opera, pro quibus datur, ex ipſa gratia præueniente, cooperante, & coronante omnino pendent. Atque hæc de tribus donorum Dei generibus, quorum primum & perfectum & bonum eſt: ſecundum, perfectius & melius: tertium, perfectiſſimum & optimum: ſed omnia deſurſum ſunt deſcendentia à Patre luminum.

Rom. 6. Rom. 11. Eph. 2. Aug. l. de gratia & libero arb. c 8. 9. 15. 16. 20. & 21.

Quoniam verò ſanctiſſimi & doctiſſimi Patres iſtum beati Iacobi locum copiosè explicant, ſimúlque illius vſum abundanter tradunt, præſtat ex eorum ſcriptis & verbis id colligere. DAMASCENVS in primis ex eo tradit, Dei dona & beneficia iis qui honeſtè viuunt, mercedis loco à Spiritu ſancto repẽdi: & quòd venia indigni ſunt, qui diuinam gratiam muneribus & pecuniis mercantur. Exemplum profert Simonis magi, ad quem Petrus dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c.* Iterúmque, quòd Deus aliquorum ſaluti conſulens, non ſtatim dona ſua ipſis impertit, ne maiori ſupplicio reddantur obnoxij. Demum, quòd Pater largitur: miniſtrante Filio, ac ſuppeditante Spiritu ſancto, non ita largitur vt fert Diuinæ maieſtatis poteſtas, ſed vt accipientibus conducit.

l. 3. parallelorum. c. 112.

Act. 8.

FVLGENTIVS inde colligit, nos nec bona poſſe cogitare, nec facere, niſi Deus largiatur qui operatur in nobis velle & poſſe, pro ſua bona voluntate: ac idcirco prohibemur tam in noſtra fide, quàm in noſtro opere, tanquã noſtrum nobis aliquid vendicare. Dicit enim Vas electionis, *Quid habes, quod non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et in ſancto Euãgelio Præcurſoris Domini vox eſt, *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi datum ei fuerit de cœlo.* *l.1.ad Monimum.* *1.Cor.4.* *Io.1.*

PHILO Carpathiorum Epiſcopus ex eodem loco docet, tantam eſſe inter Chriſtum & Eccleſiam ſponſam eius beneuolentiam, amicitiam, & diuinæ caritatis coniunctionem, vt tam omnia inter ſeſe communia habeant, vt par coniunctiſſimorum amicorum. In eóque nos ſalutariter admoneri, omnia bona noſtra ex ipſius gratia prouenire, nihílque boni Sponſæ ineſſe, quod non ab ipſius Sponſi largiſſimo bonorum omnium fonte emanarit. Id quod ipſe teſtatur, cùm ait: *Sine me, nihil poteſtis facere.* *Com.in Cãtica cant.* *Io.15.*

CYRILLVS Alex. ex eadem ſententia contendit, Chriſti Domini, & totius religionis eius notitiam, verè domum Dei eſſe, iuxta quod alibi ſcriptum eſt, *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Idem rurſum ait: Quemadmodum ramorum arboris qualitas & nutrimentum præbetur à radice, ſic virtus fructuum ſpiritualium à Deo nobis conceditur. Ipſe origo, ipſe radix omnium eſt. Chriſtus quaſi vitis, nos autem palmites. Et iterum alibi, citato D. Iacobi loco, ſubiicit, Aduerte diligenter, quòd *l.4.in Io.c.42.* *Io.6.* *l.10. in Io.c.13.* *Io.15.* *l.4.theſauri c.5.*

ex Patre luminum varia diuinarum gratiarum demittitur copia: quas omnes Paulus per Spiritum ſanctum dari aſſerit, qui diuidit ſingulis (*1. Cor. 12.*) provt vult.

(*Conc. 4. in Pſal. 118.*) AVGVSTINVS inde probat aduerſus Pelagianos, ſolas liberi arbitrij noſtri vires non ſufficere ad diuina mandata adimplenda: ideóque omni poſita præſumptione & ſuperbia, dicendum eſſe Deo: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* (*l. 10. Conf. c. 29. & 37.*) Præcepiſti tu quidem Domine; ſed vtinam quod præcepiſti fiat mihi. (*Solloquior c. 18.*) Vnde & alibi, non rarò, idem pater ſic Deum alloquitur: Iube quod vis, & da quod iubes. Eadem reperies etiam apud Fulgentium, Epiſtola 4. quę eſt ad Probam, verè probam mulierem.

(*l. 12. collat. c. 10. Collationis Paphnutij c. 17. Collat. Cheremonis 3. c 3.*) IOANNES Caſſianus hinc efficit, neminem poſſe perfectionem virtutum, vel promiſſam beatitudinem ſuis tantùm viribus obtinere. Poſtea, ipſam fidem cui tota religio & ſalus noſtra nititur, à Domino concedi. Inde quoque, quòd ſine adiutorio Dei, non ſolùm perfectio caſtitatis, ſed omnino nihil boni perfici poſſit.

(*l de ſcala clauſtraliũ.*) BERNARDVS denique propter hoc apoſtolicum teſtimonium adfirmat, Lectiones & meditationes parum prodeſſe, niſi orationis auxilio per Dei gratiam conualeſcant, quia ſcriptum eſt, *Omne donum perfectum & optimum deſurſum eſſe.* Et hactenus de ſanctis patribus.

Vlterius verò notandum, Deum ſuperiùs enumerata dona ſua aliquando immediatè ac per ſemetipſum hominibus conferre: aliquan-

do autem per miniſteria beatorum angelorum, *Iſa.6.*
ſicut per vnũ purgauit labia Iſaiæ, per alterum
Danielem edocuit, & per alios ſæpiſſimè cæte- *Dan.9.& 11.*
ros prophetas.

Contemplare etiam in homine nihil boni eſſe, quod ipſi ſit proprium aut naturale. Apoſtolus enim nihil excipit dicens, *Omne datum &c.* Et adiiciens *deſurſum eſſe*, docet non ex noſtris promptuariis deſumi. Adeò omnes declinauerunt, inutiles facti ſunt, vt non ſit qui ex ſe faciat bonum. Inſuper, *Senſus & cogitationes humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua.* Rectè igitur contendit Auguſtinus, nec ipſos etiam paruulos à malis ex ſe liberos eſſe. Imbecillitas membrorum infantilium, ait ille, innocens eſt, non animus infantium. Vidi ego & expertus ſum zelantem paruulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus, amaro aſpectu, collactaneum ſuum, &c. *Pſal.13.* *Gen.6. & 7.* *l.1. confeſſ. c.7.*

Animaduerte denique, ſuperiora dona Dei eſſe omnino ad veram iuſtitiam & ſalutis æternæ conſequutionem neceſſaria. Garriant ergo Philoſophi quantum volent de virtutibus moralibus: iactent Iudæi ceremonias ſuas: glorientur Phariſæi & hypocritæ in externa ſanctitate ſua: nunquam tamen coram Deo iuſti & ſalui erunt, niſi his à Patre luminum acceptis donationibus perfectis & optimis. Homo quidem naturâ capax eſt gratiæ, & ſupernaturalis fœlicitatis: ſed neutram poteſt ſola duce naturâ conſequi. Donis ergo de cœlo profectis & infuſis iuuetur & perducatur neceſſe

eſt. Hæc abſcondita ſunt à ſapientibus & prudentibus ſæculi: ſed Filius Dei per Apoſtolos ſuos reuelauit ea paruulis. Quin & ipſis aperuit ſenſum vt intelligerent ſcripturas, in quibus hæc myſteria continentur.

Matth. 11.

Luc. 24.

Deſcendens à Patre luminum:

Hæc poſſunt bifariàm intelligi. Primò vt *Pater* ſumatur pro prima ſanctiſſ. Trinitatis perſona, quæ principium effectiuum eſt non ſolũ vniuerſæ creaturæ, ſed etiam productiuum Filij & Spiritus ſancti. Horũ vterque eſt Deus de Deo, lumẽ de lumine, & Deus verus de Deo vero: non tamen tres dij, aut tria lumina, ſed vnus & ſolus verus Deus in vnitate ſubſtantię, & trinitate perſonarum. Ac de Filio quidem dicitur: *Ipſe eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et de ſeipſo iuſtificatur: *Ego ſum lux mundi.* Spiritus quoque vtrique eſt coæternum & conſubſtantiale lumen; quandoquidem frequenter ſeipſum præclaræ cuiuſdam lucis manifeſtauit ſpectaculo. Atque hæc ſententia placuit D. Cyrillo Ieroſolymitano, cùm ſcripſit: Et Deus multorum quidem abuſiuè dictus pater: vnius verò & ſolius naturâ & veritate vnigeniti Filij Domini noſtri Iesv Christi. Non in tempore pater eſſe incipiens, ſed ſemper Vnigeniti pater exiſtens. Hac magis quàm aliis dignitatibus venerandus: & non ex affectione pater factus, non ex coniunctione, non per ignorantiam, nõ deficiens, non diminutus, non alteratus. *Omne enim donum perfectum deſcendit à Patre luminum.* Pater ergo ap-

Io. 1.

Io. 8.

Matth. 3. & 17.

Act. 2. & 7.

Cathecheſ. 7.

poſitè dicitur *pater*.i. fons & principium luminum ſupernaturalium, nimirum Filij quem genuit ab æterno, & Spiritus qui ab eodem procedit.

Paucis itaque verbis, ſed magnificis planéque diuinis, hîc Apoſtolus comprehendit ſanctiſſimæ Trinitatis adorandum myſterium & diuinarũ emanationum reſerat ſecretum. Veriſimile eſt ergo, veteres Theologos hinc occaſionem ſumpſiſſe, vt cùm de hoc myſterio differerent, illud ipſum, exponendi gratia, compararent cum lumine, in quo ſpectatur ſplendor, calor, & ipſum lumen: quæ tria & diſtincta, & coæua ſunt: & tamen vnum quoddam videntur. Inſuper, vt lumen ſine vello ſui detrimento, alterum & tertium lumen facilè producit: ſic & Pater ſine vlla Deitatis ſuæ diſtractione aut iactura filium gignit, & Spiritum producit, eadem Deitate participes. *Dionyſ. c.2. diu. nom. Iuſt. Tertul. Hilar. Nazian.*

Secundò, voce *Patris* poteſt pro tota Trinitate ſumi, ſicque D. Iacobus rectè nominat vnũ & trinum Deum, patrem luminum tam ſpiritalium quàm corporeorum. Spiritalia ſunt omnes reuelationes, colluſtrationes & inſpirationes, quibus fidelium mentes illuminantur, & inter denſiſſimas huius mundi tenebras dirigunt greſſus ſuos in viam pacis. Corporea lumina ſunt ſol, luna, cæteræ planetæ, ſtellæ, aſtra: quæ Deus mundi initio creauit, vt diuiderent diem à nocte, eſſentque nobis in ſigna, tempora, dies, menſes, & annos. Horum itaque conſideratione, Deus iure dicitur *pater luminum*. *Gen.* I.

Nec deſunt qui; *A patre luminum* interpretentur, ab eo qui fons eſt & author omnium bonorum. Sic enim *patris* nomen interdum generaliter accipiunt pro authore: & luminis appellatione, omnis bonorum ſpecies in ſacris litteris intelligitur: ſicut contrà, tenebræ calamitates deſignant.

Gen.4.

Quocunque autem modo iſtud intelligas, habes ſemper magnificum Dei veri ornamentum, ac epithetum ſingulare. Eſt enim fons omnis boni, recti ac veri, & ab eo omnes haurire neceſſum eſt. Rogemus & nos hunc optimum & humaniſſimum patrem noſtrum, *Deus meus, illumina tenebras meas, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, &c.*

Pſal.17. *Pſal.12.* *Pſal.30.*

Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.

Hic eſt inſignis locus de Dei perpetua conſtantia & immutabilitate, quæ opponitur aſſiduis & variis creatorum luminum mutationibus. Apoſtolus enim perſeuerans in metaphora ſua, qua Deum appellauit *patrem luminum*: nequis illum inſtar Solis nunc ſplendeſcere, mox obumbrari: nunc iſta mundi parte, mox alia rotari: nunc ad hunc polum, mox ad alterum accedere: ſic mutari Deum exiſtimaret; his verbis conſtanter adfirmat, illum omnis prorſus mutationis expertem eſſe: nec apud eum vllas eſſe obumbrationes, viciſſitudines, tranſmutationes, aut cuiuſcunque ſucceſſionis obſcuritates. Græcè eſt, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς

ἀποσκίασμα. τροπὴ autem mutationẽ & conuerſionem ſignificat:quã vocẽ Proclus in ſphęra, pro Solis reciprocatione ſumit. Ergo τροπῆς ἀποσκίασμα dicitur obũbratio Solis, quæ fit per vices, & à tropico in tropicum aſſiduas conuerſiones. Non ſic autem Deus noſter, non ſic *pater luminum* conuertitur aut mutatur: ſed lumen eſt increatum, conſtans, & perpetuum omnis gratiæ & bonitatis. *Jlle enim lux eſt*, ait Diſcipulus prædilectus, *& tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Auguſtinus legit, nec momenti obumbratio, & ita ῥοπῆς quod momẽtum ſignificat, pro τροπῆς legiſſe videtur: & huiuſmodi eſſet ſenſus: apud quem nec vlla trãſmutatio, nec etiam momentanea obumbratio. *1. Io. 1.* *l. 11. de ciu. Dei. c. 21.*

Cæterùm, in his primũ aduerte quàm rectè iuréque Theologi ſcholaſtici dixerunt, Deum eſſe actum purum, ſummè ſimplicem, ſummè neceſſarium, æternum, & prorſus immutabilem. Hanc veri Dei perfectionem nec impurus magus Balaam ignorauit, quando dixit: *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Quanto magis putas ſanctos prophetas, Apoſtolos, & patres eandem aſſeruiſſe? *Tu autem idem ipſe es,* ait Pſaltes, *& anni tui non mutabuntur.* Solus habet immortalitatẽ, i. incommutabilitatem. Et de ſeipſo Deus conteſtatur, *Ego Deus, & non mutor.* Auguſtinus, Deum ſine ſui vlla mutatione, cuncta mutabilia facientem: & ſine vllo temporali motu temporalia moderãtem deſcribit. Qui & rurſum ſic Deum alloquitur: Amas, nec æſtuas: zelas, & ſecurus *Num. 23.* *Pſal. 101.* *Tim.* *Malach. 3.* *l. 1. de Trin. c. 1.* *l. 1. Confeſſ.*

c.4. & l. Medit.c. 49.& Manualis.c.1. es:pœnitet te, & non doles: iraſceris, & tranquillus es:opera mutas, & non mutas conſiliū. Author quoque Speculi apud eundem,c. 30.& 31.ſic Deum alloquitur:Deus trine & vne,Deus omnipotens,apud quem non eſt tranſmutatio, & ideo apud te curſus temporis diei noctiſque alternatione nequaquam variatur. Deus lux vera,quę ſine acceſſu ea quæ eligis, illuſtras: & ſine receſſu ea quæ reſpuis deſeris: & ideo in te nullus defectus, nulla mutabilitas venit, &c. Qui ampliora his deſiderarit, conſulat Dionyſium Areop. lib. de cæleſti hierar. c.3. & lib. de Diuinis nom.c.5. Iuſtinum mart. q.36. & 51. ad Orthodoxos: Irenęū lib. 2.c.28.& 47.&c.Boëthij verſus tantùm ſubiiciam:

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum,cœliquè ſator,qui tempus ab æuo,
Ire iubes,ſtabiliſque manens,das cuncta moueri,
&c.

Intuere rurſum contrà,omnem prorſus creaturam multis& aſſiduis mutationibus eſſe ſemper obnoxiam. Vnde author de eccleſiaſticis Cap 58. dogmatibus apud Auguſtinum dicit, Cognoſcimus nihil eſſe natura immutabile,niſi ſolùm Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Greg.l.5. Mor.c.22. Nam etſi natura angelica contēplationi Creatoris inhærendo, in ſtatu ſuo immutabilis permanet:eo tamē ipſo quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet. Diuus Petrus de cœlis ſcribit: *Cæli & elementa calore ſoluentur,ideo cælos nouos expectamus.* Et de vniuerRom.8. ſis Paulus affirmat: *Omnis creatura vanitati ſubie-*

cta

cta eſt non volens. Ioannes denique ait: *Præterit figura huius mundi:* Auguſtinus inconſtantiam vitæ vniuſcuiuſque noſtrum in ſeipſo ſic exprimens ſcribit. Nunc gaudeo, ſtatim triſtor: nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, ſtatim morior: nunc felix appareo, ſemper miſer: nunc rideo, iam fleo. Sicque omnia mutabilitati ſubiacent, vt nihil vna hora in vno ſtatu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat, ſubſequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit, &c. *Soliloquiorum, c. 2.*

17. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.*

Iſta ſententia propoſitis Diuinæ bonitatis operibus atque beneficiis, turſum eorum coarguit blaſphemiam, qui Deum authorem peccatorum faciebant: confirmátque eſſe potius fontem cauſamque omnium bonorum. Græcè eſt βυληθεὶς, id eſt, *voluntate*, non neceſſitate: alij, *quia voluit*: alij, *deſtinata voluntate*: alij, *volens*: alij, *gratuita beneuolentia.* ἀπεκύησεν, progenuit.

Aduenit primò ad beneficium creationis, quo nos cùm nihil omnino eſſemus, ſponte nos condiderit rationis, gratiæ, & gloriæ capaces: idque per Verbum ſuum, i. conſubſtantialem & coæternum ſibi Filium. *Nam per ipſum omnia facta ſunt. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Creationem verò generationis nomine non rarò ſignificari indicat Moyſes ſcribens: *Io. 1.* *Rom. 11.*

Gen.2. *Hæ ſunt generationes cœli & terræ, in die quando creata ſunt.*

Reſpicit Apoſtolus ſecundò, ad regenerationem ſpiritalem quæ fit in Baptiſmo, in quo
Matth.28. accedente verbo, per Chriſtum præſcripto, ad aquæ elementum, fit ſanamentum primum & maximum totius legis euangelicæ, quo renaſcimur, & renouamur Deo in filios adoptionis. Huius neceſſitatem effectúmque mirabi-
Io.3. lem Chriſtus aſſeruit d. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei.*
Ephеſ.5. Paulus quoque prædicauit, & Chriſtum Eccleſiam ſuam mundare lauacro aquæ in verbo vitæ. Et alibi rurſum: *Nos ſaluos fieri per laua-*
Tit.3. *crum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.*

Tertiò, contemplandum nobis obiicit iuge propemodum beneficium iuſtificationis, quo à peccatis actualibus & lethalibus in dies liberamur, & Deo vitæque cœleſti progignimur *verbo veritatis*, i. Chriſti IESV doctrina & aliis per ipſum in hunc finem inſtitutis, & traditis
Reſponſ. ad tertiam obiect. Arrianor. Eccleſiæ ſuæ ſacramentis. Beatus namque Fulgentius ex hoc Iacobi loco & aliquot aliis, rectè contendit homines iuſtificatos, appellari
Pſal.50. & 102. nouas creaturas, & nouos homines: & verba creandi ac generandi frequenter ſignificare
1.Cor.5. 147. illam ſanctificationem, renouationem, & iu-
Gal.6. ſtificationem, qua in dies per Chriſti verba &
Epheſ.4. merita renouamur & recreamur.

Quàm magnifica, quàm præclara, pla-

neque diuina putas eſſe tria hæc beneficia? Ac vt de primo paucis agamus, certè magnum fuit ex impuriſſimo terræ limo, Diuinis manibus in humanam carnem transformari, longè maius anima viuente, ratiocinante, immortali, & imaginem ac ſimilitudinem ſummi illius Creatoris referente, conditâ donari: maximum autem ad diuinæ gloriæ ſempiternam participationem & fruitionem creari. Exurgat igitur vnuſquiſque noſtrum in gratiarum actiones, & cum Auguſtino dicat: Potuit quidem manus tua Domine, me lapidem, vel auem, vel ſerpentem, vel belluam aliquem creare, & ſciuit: ſed noluit propter ſuam bonitatem. Quare ergo ego non ſum lapis, vel arbor, vel aliqua belua? Quia ſic ordinauit bonitas tua; & vt hoc ordinaret, non præceſſerunt merita mea.

Gen. 2.

Soliloq. c. 9.

Id autem illis opponit, vt ſcribit Oecumenius, qui mundum, & in eadem hominem, caſu productum nugantur, quod dicit, Deum *voluntariè*, id eſt, deſtinata voluntate, deliberatione, & graui conſilio nos genuiſſe, id eſt, creaſſe. Hinc Pſaltes: *Fecit cœlos in intellectu*, id eſt, ſumma ſapientia & mirabili artificio. Præcipuáſque mundi partes diuina poteſtate & ſapientia conditas alibi verſibus ſuis canit, dicens, *Cœlos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum. Solem in poteſtatem diei: lunam & ſtellas in poteſtatem noctis.* Deinde extendiſſe cœlum ſicut pellem: fundaſſe terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Ordinatione il-

Pſal. 135.

Pſal. 118.
Pſal. 135.
Pſal. 103.
Pſal. 118.

lius diem perſeuerare; Æſtatem & ver illum plaſmaſſe,&c.

Pſal.73. Et ne quis ignoraret per quem condita ſint omnia: vel ſuſpicaretur Filium Dei ſimili cum mundo & homine, ratione conditum fuiſſe, ſubdit. Nos & reliqua omnia progenita eſ-
Pſal.32. ſe. *Verbo veritatis*, id eſt, per Verbum illud, de
Orat. 4. cont. Arri. quo in Pſalmis: *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* De hoc Athanaſius ait: Suum Verbum Deus ex natura gignens, & non prædeliberat: cùm Pater in Verbo reliqua omnia, quæ voluntate decernit, & faciat, & condat, quemadmodum Iacobus Apoſtolus docuit, *Volens progenuit nos*
l.12. cõfeſſ. c.7. *Verbo veritatis.* His conſentit Auguſtinus: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens in principio quod eſt in te, in Sapientia tua quæ nata eſt de ſubſtantia tua feciſti ali-
l.13.confeſſ. c.5. quid de nihilo. Et idem poſtea, Tu Pater in principio, quòd eſt Sapientia de te nata, æqualis tibi & coęterna, id eſt, in Filio tuo feciſti cœlum & terram,&c.

Regenerationis quoque beneficium Diuina voluntate atque beneuolentia nobis datum eſſe, vel inde ſatis apparet, quòd nulla cauſa alia à ſeipſo inductus fuerit Deus, vt Baptiſmum inſtitueret, eidémque tantam virtutem tribueret, vt corpus tangens animam cunctis ſordibus abluat; eandem ſanctiſſimo charactere ſibi conſignet: & ſpiritali adoptione coniungat. Adamus peccatorum tenebris obſcuratus, genuit nos tenebrarum filios: ſed

felicius nos regenuit Pater cœleſtias, vt iã veluti denuo conditi, ſanctitate vitæ nouæ origini reſpondeamus. Gignunt nos patres corporum naturâ filios iræ, gignit nos conditor animarum filios gratiæ. Dat poteſtatem filios Dei fieri. Si filij, ergo hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Quæ iuſtitia propria, quæ bona opera aut merita præceſſerunt in paruulis, vt hæc conſequantur? Nulla prorſus, præter merita Chriſti. Ita benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in Chriſto. Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo. *Ephes. 2.* *Io. 1.* *Rom. 8.* *Ephes. 1.*

Tertium beneficium, quod in iugi à peccatis actualibus iuſtificatione & ſanctificatione conſiſtit, quis pro dignitate celebrabit? Beneficium, idque magnificum & omnino gratuitum iure dixerim, quia ſcribit Apoſtolus, *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, iuſtificati gratis per ſanguinem Chriſti.* Ne non gratis inferretur ſupplicium, inquit Auguſtinus, ideo gratis præſtitum eſt beneficium. Et idem alibi, Antequam gratia iuſtificetur, vt iuſtus efficiatur, impius quid eſt, niſi impius? Quem ſi meritum ſequeretur, quid eius merito, niſi ſupplicium redderetur? Si ergo gratia, iam non ex operibus eſt: alioquin iam gratia non eſt gratia, &c. Itaque modis omnibus patet tantùm abeſſe, vt Deus deſtinet vel impellat, vel ſolicitet nos ad peccandum, vt penitus è contrario, naturâ ſit beneficentiſſimus, & gratuita beneuolentia nos gignat, perditos regeneret, *Rom. 3.* *Expoſit. 2. in Pſal. 18.* *Epiſt. 106.* *Rom. 4.* *Rom. 11.*

& lapſos iuſtificet ſolius Verbi ſui meritis & gratia.

Quid porrò retribuemus ei, pro tot tantiſque beneficiis? Certè, ſi omnia membra noſtra verterentur in linguas, ſcribit Auguſtinus, ad rependendum tibi laudes, nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra. Idemque poſtea, Scio Domine, quia ex hoc quod me feciſti, debeo tibi meipſum: & quia me redemiſti, & pro me homo factus es, deberem tibi pluſquam me, ſi haberem, &c. Sed in quem finem ita Deus nos *voluntariè genuit*? Reſpondet Apoſtolus;

Medit. c. 15.

Cap. 39.

Vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.

Id eſt, ſuperioribus diuinis beneficiis voluit Deus hominem eſſe caput, principem, & præſtantiſſimam omnium creaturarum aſpectabilium. Si enim ἀπαρχεῖν, cum quibuſdam, pro primitiis accipiamus, ſenſus erit, vt excellentiores ac præſtantiores ſimus inter omnes creaturas mortales. Alioquin ſenſus eſt, ideo nos genuit, & multis beneficiis cumulauit, vt incipiamus eſſe noua quædam ac ſpiritalis creatura Dei. Vocem τινα, *aliquod*, dicitur ſimilitudinis nota, ac ſi dicat Apoſtolus, nos quodammodo eſſe primitias. Quod etſi quidem reſtringant ad eos, qui primi fuerunt ad doctrinam euangelicam vocati: pertinent tamen ſine vllo diſcrimine ad omnes Chriſtianæ religionis profeſſores.

Ex his porrò intueri licet, Hominem eſſe omnium à Deo creatorum præcellentiſſimum: imò, vt etiam Philoſophos non latuit, quodammodo finis omnium. Superat enim dignitate naturæ cœlos omnes, aſtra omnia, elementa vniuerſa, & cuncta animantia: quandoquidem *propter ipſum omnia facta ſunt*, eidémque vt Domino ac imperatori ſuo ſubiecta. *Dominamini piſcibus, &c. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Beneficiis autem regenerationis & iuſtificationis homo Chriſtianus efficitur Filius Dei, frater & cohæres, imò etiam viuum membrum Chriſti, conſors angelorum, ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei: cui dignitati nihil penitus valet comparari. Quinimò beatiſſimi angeli adeò regeneratos & renatos homines ſuſpiciunt & venerantur, poſteaquam præſertim hominem Chriſtum in dextera Patris regnantem conſpexerunt, vt ab hominibus adorari recuſent. Vni enim noſtrorum dixerunt: *Vide ne feceris. Deum adora, Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Accedit, quòd ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium eorum qui hæreditatem ſalutis ſunt accepturi. Contemplantes denique æternum Dei Filium non angelos, ſed ſemen Adæ, Abrahæque ſecum in vnitatem aſſumpſiſſe perſonæ, non audent ſe nobis hac in re comparare: ſed malunt neceſſitatibus noſtris inſeruire, & Chriſtum hominem ſuppliciter adorare.

Gen. 2. *Pſal. 8.* *Apoc. 19. & 21.* *Heb. 1.* *Heb. 1.* *Pſal. 99.* *Heb. 1.*

His adde ſummam & ineffabilem Dei in totum genus humanum dilectionem: quæ non exiguam illi confert dignitatem. Hanc

Medi.c.13. animo reuoluens Auguſtinus extra ſe rapitur, & clamat. Quomodo nos amaſti Pater ſan-

Rom.8. cte & bone? Quantum nos dilexiſti pie Conditor, qui etiam proprio Filio non peperci-

Philip.2. ſti, ſed pro nobis impiis tradidiſti illum? Et

Soliloq.c.13. hoc in mortem crucis? Et alibi, Perieram in peccatis, venundatus eram, veniſti pro me vt redimeres me, & in tantum me dilexiſti, vt ſanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexiſti me Domine, pluſquam te, quia mori voluiſti pro me, &c. Quæ autem dignitas

Pſal.147. *Deut.4.* huic poteſt comparari? *Non fecit taliter omni nationi. Non eſt natio tam grandis, quæ habeat Deum appropinquantem ſibi.* Recte ergo ac iure optimo Iacobus Chriſtianos appellat omnium rerum creatarum præſtantiſſimos at-

1.Petr.2. que digniſſimos. Et Petrus: genus electum regale ſacerdotium; gentem ſanctam, populum acquiſitionis, &c. Pudeat igitur pluſquam belluinæ ingratitudinis. Pigeat à cætero dæmonibus ac peccatis inſeruire, &c.

10. *Scitis autem fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

Iſta octaua exhortatio apoſtolica tribus conſtat præceptis moralibus. Primo, de facultate audiendi: ſecundo, de cohercenda linguæ petulantia: tertio, de ira moderanda. Græci recen-

tiores legunt, ὥϛε ἀδελφοὶ, *itaque fratres.* Nec habent τὸ, *autem*: quod tamen noſter interpres legit. Suſpecta verò eſt Græca lectio, tum quòd illatiua particula ὥϛε, præſupponat aliquid priùs dictum de auditu vel loquela: tum quòd facilis eis fuit lapſus ex ἴϛε, *ſcitis*, quod legit vetus interpres, in ὥϛε *itaque*: quod eſt in recẽtioribus codicibus. Accedit quod Beda, Auguſtinus, & alij veteres nobiſcum legerunt, *Scitis autem; &c.* videlicet, vera & ſancta eſſe quæ ad vos ſcribo.

Quantum autem ad primum præceptum attinet, certum eſt ſenſum auditus; id eſt, facultatem percipiendi omnes ſonos ac voces, imò etiam aures ipſas quæ ſunt organa illius, quin & eiuſdem potentiæ vſum, quantumvis naturalia videantur, eſſe præclara & mera dona Dei. Qui enim condidit totum corpus humanum, animámque viuentem infudit ei, hunc quoque ſenſum, & ad ſalutem æternam conſequendam valdè commodum, & ad vitæ mortalis vtilitatem neceſſarium, ſimul condidit & contulit. Ait namque ad Moyſem. *Quis fecit os hominis?* *Exod.* 4. *Aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? Nonne ego?* Hinc Dauid. *Aures autem perfeciſti mihi. Qui plantauit aurem, non audiet?* Et Chriſtus aurem Malchi gladio Petri *Pſ.* 39. auulſam loco ſuo reſtituit, hoc miraculo confir- *Pſ.* 93. mans, & aures, & harum vſum à Dei nutu pendere. Ideo etiam in lege, ſurdorum curam habens, prohibuit ne quis eis malediceret. *Non*

maledices ſurdo, nec pones coram cæco offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum. Quaſi dicat,
Leu. 19. Licèt ſurdus contumelias & improperia non audiat, Deus tamen qui ſic fecit illum, audit & vindicat. In euangelio multos ſurdos clementer à Filio Dei curatos legimus, quibus oſtenſum eſt, eos Deo omnipotenti curæ eſſe. La-
Matth. 11. *Mar.* 7. *l.*3.*cap.* 9. ctantius cōcudit plus in auribus, quàm in oculis ſitum eſſe, quoniam & doctrina, & ſapientia percipi ſolis auribus poteſt, oculis ſolis non poteſt. Et Apoſtolus docet, Fidem eſſe ex auditu. Idem rurſum Lactantius docet aurium duplicitatem incredibilem, pulcritudinem præ ſe fer-
Rom. 10. *l. de opific. Dei, c.* 8. te, quòd tum pars vtraque capitis ſimilitudine ornata eſt: tum vt venientes altrinſecus voces faciliùs colligantur. Sed & forma ipſa aurium mirandum in modum à Deo ficta, quòd earum foramina noluit eſſe nuda & inobſcepta, quod & minus decorum, & minus vtile fuiſſet, &c.

Cùm itaque & aures, & audiendi facultas ſint à Deo, operepretium eſt iuxta hanc D. Iacobi adhortationem, vt *omnis homo ſit velox ad audiendum* verba diuinorum mandatorum, vt illa diſcat, meditetur die ac nocte, & operibus
Heb. 1. adimpleat omnibus diebus vitæ ſuæ: quantùm enim ſacrilegium eſſet, Deum vel per prophetas & Apoſtolos, vel per Angelos, vel per
Matth. 18. Filium ſuum, vel per ſeipſum nobiſcũ loquentem non promptè & attentè exaudire? *Qui Ec-*
Rom. 10. *cleſiam non audierit, ſit tibi* (inquit) *tanquam ethnicus & publicanus.* Nam ex verborum diuinorum

ſedula auditione Fides naſcitur, creſcit, & roboratur: Spes, animæ firma anchora confirmatur: Caritas accenditur & augetur: cæteræ omnes virtutes & in animis hominum gignuntur, adoleſcunt, creſcunt, & ad optatum vitæ finem mortales perducunt. *Heb. 6.* *Pſ. 118.*

Quod dicit, *velox ad audiendum*, non ad inanem & infructuoſam auditionem refertur, ſed ad diligentem in opere, & eum qui audita ſtudet opere complere, quaſi dicat; Quando tam humaniter & benignè vobiſcũ loquitur Deus, támque liberaliter ſemetipſum offert: vos quóque illi beneuolos, attentos, dociles, & obedientes præbete. Idcirco dicitur: *Beati qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Et Sapiens dicit, *Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam; & ſi dilexeris audire, ſapiens eris.* Ideo multoties recitatur & laudatur diligentia feruórque turbarum, quæ omnibus, adeóque potus & cibi ſolicitudine relicta, ex omni parte properabant ad Chriſtum, vt ex illius ore verbum Dei audirent, &c. At nunc, quanta hominum pars à veritate auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur? Periculoſas, imò & prorſus damnabiles hæreticorum conciones excipiunt? Auertunt aures, ne percipiant clamores pauperum & oppreſſorum? &c. *Luc. 11.* *Io. 8.* *Eccl 6.* *Io. 6.* *Matth. 14.*

Tardus ad loquendum.

Secundum præceptum eſt, de cohercenda linguæ petulantia & loquacitate. Lingua autem,

& ipſa loquendi facultas eſt ſingulare Dei beneficium, ſoli homini conceſſum, vt tam ex totius corporis formatione, quàm ex diuinis miraculis & iudiciis in homines mutos luculenter apparet. Cùm rurſum, vnicam vniuerſorum hominum linguam in multas, id eſt, vt Clemens Ro. cenſuit, in ſeptuaginta & duas confudit, dum turris Babel ædificaretur: aſinæ quoque Balaam conceſſit in humanas voces erumpere: Heliodorus ſanctiſſimi tẽpli direptor, diuino iudicio mutus iacuit: Zacharias ſacerdos in pœnam incredulitatis ſuæ nouem menſes omni ſermone caruit: Apoſtolis denique data eſt omnium intelligẽtia & facultas linguarũ; nónne palam fecit omnibus tam linguã, quàm vſum humani ſermonis, ex ipſo & per ipſum eſſe? Certè Lactãtius docet poteſtatem loquendi tam mirabile ac diuinum opus eſſe, vt ille ſolus explicare valeat, qui condidit atque conceſſit.

Matth. 9. 12. & 15. Mar. 7. & 9. Gen. 11. Num. 23. 2. Petr. 2. 2. Mach. 3. Luc. 1. Act. 2. l. 7. c. 9. l. de opific. c. 18.

Idem rurſum; quattuor linguæ officia elegãter deſignat, primum, motibus ſuis voces articulatas formare: ſecundum, quaſi interpretem animi latentes cogitationes efferre ac exprimere: tertium, contritos & commolitos dentibus cibos colligere, & in ventrem tranſmittere: quartum, potum iuuare, quando porrecta & cauata illum deguſtat & colligit. Subiungit autem de eius ſitu & mirabili diſpoſitione. Hæc palati concauo tanquam teſtudine tegitur, eámque dentium ordine ſapiens Deus, quaſi

l. de opific. Dei. c. 10.

muro circunuallauit. In auibus autem acuminata & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones, & ſonorum varios modos exprimit, &c.

Hac igitur abutendum diſtrictè vetat Apoſtolus, videlicet, ne temerè, irreuerenter, ac omni decore & timore poſito loquamur de Deo, iudiciis, ac operibus eius, aut occultis conſiliis eius ſuper filios hominum. Multa potius ſilentio veneretur & adoret, propriam agnoſcendo & confitendo imperitiam, quàm audacter profiteri ac exponere præſumat. Etenim ſi Paulus audiuit arcana Dei, *quæ non licebat homini lo-* 2.Cor.12.
qui, ſapientiam tantùm loquebatur inter per- 1.Cor.2.
fectos, imperfectis lac potum dabat non ſoli- 1.Cor.3.
dum cibum: profectò nimium præcipites & imprudentes ſunt, qui de Diuinis iudiciis temerè loquuntur. Vult enim D. Iacobus hominem Chriſtianum *tardum eſſe ad loquendum*, tum in priuatis colloquiis, tum maximè in publicis Eccleſiæ conuentibus: id eſt, non niſi probatus & miſſus legitimè, docendi munus vſurpet, Priùs ſit humilis diſcipulus & auditor, quàm magiſter aut doctor. Non temerè, non illotis manibus in ſuggeſtum prodeat: ſed dicturus, circunſpectus ſit & prudens, ne lingua mentem præcurrat. Non glorietur in copia, & multitudine verborum, non in volubilitate linguę.
Nam ſi de omni verbo otioſo tandem aliquãdo *Matth.* 12.
reddenda eſt ratio, quanto magis de eo ſermone qui loco & nomine Dei in Eccleſia pronuncia-

tur? Salomon quoque ſcribit: *In multiloquio non deerit peccatum.* Et iterum, *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis ſperanda eſt quàm illius correptio.* Et alius Sapiens: *Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam.* Philoſophi denique rectè iudicauerunt, naturam duas aures dediſſe homini, vnam tantùm linguam: vt multa auſcultans, pauca loqueretur. ANTONIVS Meliſſa poſt laudatum hunc D. Iacobi locum, refert interrogatum Ariſtotelem, quamobrem cùm alios doceret loqui, ipſe taceret; dixiſſe: Cos quidem ipſa non ſcindit, cultros autem acuit. Simonidem quoque dixiſſe: Nunquam ſe pœnituiſſe ſilentij, ſermonis autem ſæpiùs. Hoc tãtùm ex Bernardo ſubnectam, Iuge ſilentium, cogit cæleſtia meditari. De linguæ vitiis paulò poſt copioſiùs dicemus.

Prou. 12. Prou. 22. Eccl. 20. Serm. 73. Epiſt. ad Suggerium Abbatem.

Et tardus ad iram.

Tertium præceptum eſt de ira moderanda & cohercenda: Hanc autem duobus definit Ariſtoteles. Primò, ira eſt libido cum dolore ſperatæ punitionis, propter apparentem contemptum ſui, vel ſuorum, contra id quod oportebat. Secundò, ira eſt feruor ſeu calor ſanguinis in corde. Hanc vltimam definitionem probant Plinius, & medici omnes. Vtráque grata eſt Damaſceno ſcribenti: Ira eſt ebullitio ſanguinis in corde. Eſt etiam vlciſcendi libido. Conſentit Auguſtinus l. 14. de ciuit. c. 15.

l. 2. rhetoric. c. 20. l. 3. de animab. c. 1. l. 11. natur. hiſt. c. 38. l. 2. de fide orth. c. 16.

Tres porrò iræ ſpecies enumerat Gregorius Papa. Prima, inquit, eſt bilioſa ſiue fellea, quæ

P. 5. Moral. c. 30.

citò accenditur, & citò quieſcit:& hæc habet minus periculi & malitiæ. Eſt enim inſtar ſtupæ,leuiter ſuccendentis & euaneſcentis. Hanc Tullius nominat,excandeſcentiam:Logici,paſſionem. Secunda ſpecies iræ, dicitur, propriè, iracundia, cùm videlicet acceptæ iniuriæ memoria in animo diuturniorem moram trahit. Et hæc deterior eſt quàm prima, quoniam tenacior, & altiùs infixa hæret. Tertia eſt infenſior,quia odium ſeu furor, omnem captans occaſionem vlciſcendi. Et hæc omnium teterrima eſt,quoniam incendium animo conceptum occultat, donec peracta vindicta, extinguatur. Atque hæc de iræ finitionibus & ſpeciebus.

Illa porrò vlciſcendi libido, ſeu ira,in genere ac per ſeipſam conſiderata,indifferens eſt ad vitium atque virtutem: & idcirco nec vniuerſaliter,nec abſolutè hîc omnem iram damnat Apoſtolus: ſed tantùm dicit, vt homo *tardus ſit ad iram*, id eſt, lentus, & prudens in ea moderãda. Nam virtus eſt, quando rationem ducem ſequitur, vt iuſtitiæ actus magis ſtrenuè & generosè quis exerceat, vindictámque ſumat & de improbis ſecũdùm rectæ rationis iudicium, & iuſtitiæ ordinem. Iſtiúſmodi irâ,ſeu potiùs zelo, accenſus Chriſtus flagris expulit de templo eos,qui domum Patris ſui faciebãt ſpeluncam latronum, & domum negociationis. Iterum, quando inſidiatores Phariſæos, *cum ira circunſpiciens, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis*

Io. 2. *Matth.* 21. *Mar.* 3.

illorum: fuit & in ſanctis prophetis, vt in Moyſe, quando Pharaonis aula eiectus eſt: quando in cultores vituli, effractis ſacrarum legum tabulis, excanduit: & quãdo in Datan, Core, & Abyronem diuinam vltionem accerſiuit. Eadem accenſi Phinees, Samuel, Samſon, Iephte, Gedeon, Dauid, Helias, Ioſias, Mathatias, Iudas Machabæus, de improbis & ſceleratis hoſtibus populi ſui vindictam ſumpſerunt. Iuſtinus Martyr ex facto Eliſæi, qui pueros illuſores feris diſcerpendos tradidit, probat ſeueritatem aduerſus inemendabiles eſſe vtiliorem, quàm patientia. Hilarius quoque ſcribit, patres piè & miſericorditer iraſci contra peccata filiorum, & præſentis vindictæ ſeueritatem adhibere ad ſalutem ſpiritus, ſicut Paulus Corinthium inceſtum *tradidit Satanæ ad interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet in die iudicij*. Cõſentit Auguſtinus ſcribens: Non omnis qui iraſcitur, odit filios. Nam diſciplinam non damus, niſi aliquantulum iraſcendo & indignando: nec tamen daremus, niſi amaremus.

Exod. 11. *Exod.* 32. *Num.* 16. *Queſt.* 80. *ad orthod.* *In pſ.* 59. 1. *Cor.* 5. *Ser.* 26. *de ver. Dom.*

Ira porrò peccatum eſt capitale & lethale, quando rectæ rationis non ſequitur regulam, ſed præuenit, eamdémque excæcat, peruertit, & aut ad vindictam propriam ſumendam de eo qui non meruit, (vt quando Saul in odium Dauidis, Sacerdotes Nobe crudeliſſimæ internecioni tradidit: Pharao paruulos Hebræorum demergi præcepit: & Herodes Bethleemiticos infantes in Saluatoris odium perdidit) aut vltra quàm meruit: aut non ſecundùm legitimum

1. Reg. 22. *Exod.* 1. 3. *Matth.* 2.

ordinem iuris: aut denique non propter debitum finem, qui eſt conſeruatio iuſtitiæ, ac improborũ correptio atque repreſſio. Hoc autem iræ peccatum coarguitur & diſtrictè prohibetur tum hoc D. Iacobi loco, tum multis aliis Scripturarum diuinarum ſententiis. Ait namque Chriſtus: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio*, Paulus iubet ab illa penitus abſtinendum: *Omnis indignatio & ira tollatur à vobis. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Sapiens verò ab illius incommodis deterret: *Vir iracundus rixas prouocat: Noli eſſe amicus homini iracundo; neque ambules cum homine furioſo, &c.* — *Matth. 5.* — *Eph. 4.* — *Prou. 22.*

19. *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.*

Hæc eſt ratio præcepti, ducta ab iræ plurimis & grauiſſimis incommodis. Senſus autem eſt, Homo ira percitus & inflammatus nullum Diuinæ iuſtitiæ locum derelinquit: quãdoquidem in eo nulla reſidet humanitas, nulla cõmiſeratio, nulla religio, nulla æquitas, nulla iuſtitia, caritas nulla. *Ira ergo viri iuſtitiam Dei non operatur*, quoniam Dei timores, amorem & obedientiam tollit ex animo, proximorum dilectionem extinguit, & à cunctis bonis operibus, quibus Deo grati reddimur, homines reuocat. Itaque nullus eſt iuſtitiæ Dei locus, quandiu ira regnum obtinet: Niſi faceſſat feruor contentionis, nunquam Deo præſtabimus illam ſilentij moderationem, de qua nuper dictum eſt. Ex animis igitur tanquam teterrima bellua extrudatur & pereat.

Sed præſtat huius quædam incommoda ex ſacris ſcriptoribus recenſere, vt cuncti ab ea velut contagioſa peſte, ſibi caueant. Per iram

l.5. Mor. c.30. (inquit GREGORIVS) iuſtitia Dei relinquitur, ſicut ſcriptum eſt: *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*, quia dum perturbata mens iudicium ſibi rationis exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſo-

Prou. 22. cialis & humanæ amittitur. Noli ergo eſſe

Prou. 17. amicus homini iracundo. Concordia rumpi-

Iſa. 66. tur, lux veritatis amittitur, & ſancti ſpiritus ſplendor extinguitur. Iræ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, nequaquam recognoſcuntur amici, &c.

EFFREM Syrus tractatu de virtutibus & vitiis, cap. de iracundia, ſcribit: Homo iracundus audiat Apoſtolum Iacobum dicentem, *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*. Verè miſer & infelix eſt, qui hac animi perturbatione vincitur, occidit enim animam ſuam. Is & animi tranquillitate caret, & commoda corporis valetudine; quia ſemper & animus eius angitur, & corpus morbo vexatur. Iracundia caro marceſcit, pallor inuadit, cogitatio diſtrahitur, mens turbatur, & ratio confunditur. Iracundus omnibus eſt inimicus, à patientia & caritate remotus eſt, vanis rumuſculis permouetur, leuicula de cauſa rixas prouocat, vbi non requiritur eò ſeſe ingerit, & vbiq; relinquit odium ſui. Conuitiis oblectatur, ad humanitatem infirmus eſt, & ſtrenuus ad im-

probitatem: apud Deum certè & homines deſpectus eſt, & nullius pretij. Quod cùm ita ſit iracundiam fugite, &c.

BASILIVS magnus de eadem ait, Vbi ſenſuum rationem ſemel exturbauerit affectus iracundiæ, hominem prorſus efferat, atque in belluas degenerare cogit, adeò vt eum eſſe hominem ampliùs non ſinat. Quod enim venenatis animalibus venenu m eſt, id concitatis eſt ira. Rabie corripiuntur vt canes, aſſiliunt vt ſcorpij, mordent veluti ſerpentes. Irati ſeipſos non cognoſcunt, ſed neque familiares. Propter iram mucro acuitur, atque hominis humana manu audetur mors. Eius cauſa fratres mutuam cognationem exuunt, parentes naturalis pietatis obliuiſcuntur. *Hom. de ira.*

CHRYSOSTOMVS iracundos comparat cum hominibus furioſis & vexatis à dæmonibus, imò verò & his peius habere iudicat quòd illi rarò à cõcepto furore ſanentur, iſti frequenter. *Hom. 47. in Io.*

IOANNES Caſſianus, iræ mortiferum virus de receſſibus animæ noſtræ funditus eruendum perſuadet, eo quòd oculũ mentis obcæcet, nec iudicium rectæ diſcretionis acquirat, nec honeſtæ cõtemplationis intuitum, nec maturitatem conſilij poſſideat, nec vitę participes, nec iuſtitiæ tenaces, ſed ne ſpiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus exiſtere, quia *turbatus eſt*, inquit, *præ ira oculus meus*. Nec ſapientiæ participes effici, nec vitam immortalitatis conſequi, nec iuſtitiæ moderamina valebimus obtinere, quia *ira viri iuſtitiam Dei nõ operatur, &c.* *l. 8. coll. c. 1.* *Pſ. 6.*

l.1. parallelorum, c. 32. DAMASCENVS poſt citatum hunc D. Iacobi locum, Baſilium iracundiæ mala deſcribentem addit: Ob iram fræni expers lingua eſt, ianuâ os caret, manus petulantes ſunt. Hinc contumeliæ, probra, plagæ. Ob iram enſis acuitur, &c.

l.1. de ira, c.1. Quid quod etiam huius ſæculi ſapiẽtes ſummis viribus ab ea cunctos deterrent? Nam Seneca teſte, vt furentium certa indicia ſunt audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus, color verſus, crebra ſuſpiria: iraſcentium eadem ſigna ſunt: flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, æſtuans ab imis præcordiis ſanguis, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridẽs, gemitus, mugitus, ſermo præruptus, complosæ manus, humus pulſata pedibus, & totum concitatum corpus, &c.

l.7. exẽpl. c.2. Plato (authore Baptiſta Fulgoſio) de ira diſputans, monebat auditores, vt iratos ſeſe in ſpeculis contemplarentur. Nam cùm faciem ſuam furibundam, & per omnia frenetico ſimilem viderent, eo dedecore in poſterum territi, ab iracundia facilè temperabant.

l.4. tuſcul. quæſt. Tullius quoque ait, Ira quandiu perturbat animum, dubitationem inſaniæ non habet: cuius impulſu exiſtit etiam inter fratres tale iurgium: Quis homo te exuperauit vnquam gentium impudentia? Quis autem malitia te? &c. Alterum porrò & Thyeſtem tragœdiis memoratiſſimos intelligit, ſe mutuis conuiciis

laceſſentes, & alternis verſibus contumelias intorquentes. Poſſet etiam hoc referri ad filios Atrei, qui inter ſe diſſidentes conuitientur, paternos mores imitati.

Curtius etiam refert Alexandrum Orientis victorem, ſubita ira correptum, Clytum nutricis ſuæ filium (à quo fuerat ad Granicum amnem ſeruatus) interfeciſſe: & cùm paulò poſt ad ſe rediiſſet, ereptum telum ex Clyti vulnere, in ſeipſum doloris impatiētiâ vertiſſe, niſi ſuorum manibus fuiſſet prohibitus.

Sextus Aurelius & Plutarchus laudant illud Athenodori Philoſophi documentum, quo Auguſto Cæſari perſuaſit, cùm ira eum cepiſſet, nihil prius neque diceret, neque faceret, quàm ipſa viginti quatuor literarum Græcarum elementa ſecum ipſe percurriſſet: vt ita concitatio illa, quæ momentoſa eſt, mente aliò traducta, parui temporis interiectu langueſceret. His autem admonemur, impetum iræ cohibendum eſſe, omnéſq; occaſiones deuitandas, quòd ea perturbatio hominem extra ſe dejiciat, & in belluam transformet. Hanc qui vicerit, hoſtem ſe viciſſe omniū maximū & pernicioſiſſimum dicere nōn iniuriâ poteſt. Qui ampliora deſiderat, euoluat totum Plutarchi librum De ira cohibenda: & Valerium Max. l. 9. c. 3.

20. *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundātiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.*

Hæc eſt nona huius capitis exhortatio, qua eleganti metaphora ab agricolatione petita,

docet Apoſtolus omnia tum corporis tum animæ vitia extirpāda eſſe, vt doctrina Chriſti ſincero corde ſuſcipiatur, inſeratur, & fructificet: quemadmodum agricolæ ſemina ſua terræ mādaturi, curant in primis lapidibus, tribulis, ſpinis, & cæteris id genus, agrum expurgare, vt feliciùs creſcant, & vberiùs matureſcant. Alludit autem Apoſtolus ad hanc Domini parabolam, *Semen eſt verbum Dei, cuius pars ſuper petras, pars ſecus viam, pars inter ſpinas, pars denique in terram bonam cecidit: & ortum fecit fructum, &c.* Senſus porrò eſt; Si toto pectore, viri Chriſtiani, cupitis Euangelicam doctrinam in vobis fructum facere, priùs noxias cupiditates ſemē Diuinum ſuffocantes cohercere, & animos integros, dociles, & manſuetos præſtare oportet. Non enim hæret ſemē verbi in terra ſenticoſa, nō paluſtri, non arenoſa; ſed purgatam, ſolidam, ac egregiè cultam poſtulat. Repurgate igitur agros cordium veſtrorum ab omni ira, maledicentia, gula, ebrietate, ſcortatione, cæteriſque ſordibus, quibus coram Deo verè inquinātur & prophanantur hominum animæ. Procul quoque ſint à vobis vanæ, impiæ, & malitioſæ cogitationes: cōtrà verò, omni modeſtia & facilitate animum ad audiendum & ſeruandum verbum Dei componite, ſicque non vulgarem aut temporalem fructum, ſed cęleſtem ac æternū inde colligetis.

Matth. 13.

In his primùm attende, duo præſertim vitia humana per Apoſtolum hîc coargui & damnari, immunditia nimirum & malitia: eo quòd animos inquinent atque perturbent, ne verbo

Dei attendamus & obtẽperemus. Nomine autem *immunditiæ* cõprehendit omnes impuritates, quæ ex gula, ebrietate, fornicatione, adulterio, incæſtu, ſacrilegio, mollitie, & quibuſuis luxuriæ ſpeciebus oriuntur. De his enim Chriſtus ait: *De corde exeunt mala cogitationes, homicidia, adulteria, &c. & hæc ſunt quæ inquinant hominem.* Matth. 18.
Aduerſantur quippe his prohibitionibus Diuinis, *Non concupiſces vxorem, non ancillam proximi tui.* Exod. 20.
Paulus quoq; volens omnes Chriſtianos mundos & cõtinentes eſſe, ſcribit: *Omnis ſermo malus,* id eſt, ſpurcus & turpis, *de ore veſtro non procedat.* Ephes. 4.
Et rurſum; *fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos.* Hinc Auguſtinus, Caſtitas cum humilitate, Spiritus ſancti meretur habitationem, quem expellit immunditia libidinis, dicente Scriptura, *Corpus peccato ſubditum Spiritus ſanctus effugiet*: Vbi autem immunditia corporis eſt, ibi habitatio Diaboli, qui maximè gaudet in iniquitate corporis noſtri. Ideo ſecũdum Apoſtoli admonitionem, *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Ephes. 5. Ser. 249. de temp. Sap. 1. 2. Cor. 7.

Malitia porrò ſecundùm eundem Auguſtinũ, eſt nocendi amor. Malitia delectatur malo alieno. Ambroſij autem ſententia, Nihil aliud eſt, quàm mentis deprauatio. Tullio verò, eſt verſuta & fallax ratio nocendi: quæ omnia in eundem ſenſum recidunt. Hoc autem peccatum Bernardus cõparat cum curru, qui ſæuitia, audacia, impatientia, & impudẽtia, veluti quatuor rotis vehitur & trahitur. Ambroſius illud Pſal- l. 50. hom. ho. 20. In pſ. 118. l. 3. de nat. Ser. 30. in Cantica.

mi explicās, *Diſcedite à me maligni*, ſcribit: Vbi malignitas eſt, ibi cuſtodia cæleſtiū mandatorū eſſe non poteſt. In maleuolam enim animā non intrabit ſapientia. Simplicem mentem diligit Chriſtus: odit autem & refugit vitiorū cōtagia,
Matth. 11. dicēs: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*
Pſ. 6. Malignos repellit dicēs: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Malitia enim fons peccati eſt.

Hinc quoque meditare, verbum Dei appellari *inſitum*, non tantùm quòd ſeminetur & ſpargatur in agris cordium, miniſterio concionatorum; ſed etiam quòd non inſit nobis à natura, verùm & quòd de foris procedat, id eſt, aliunde ad nos perueniat. Natura namq; omnino agreſtes, ſteriles & infructuoſi ſumus, ideóque opus eſt, vt mundemur, colamur, & domeſtico ſurculo quaſi cicuremur & renouemur, vt fructus dulces, & vitæ æternæ conducibiles proferre
Io 3. valeamus. Simili ratione & Chriſtus reſurre-
Eph. 4. *Coloſſ. 3.* ctionē, & Paulus, veteris hominis exſpoliationem nobis ſummopere neceſſariam eſſe docuerunt. Præcipit ergo Iacobus, vt noua in nobis fiat *inſitio*; qua veluti cum corde noſtro verbum Dei auditum coaleſcat.

Conſpice etiam, omnem modeſtiam, mititatem, & docilitatem à doctrinæ euāgelicæ auditoribus requiri: & talem mentis facilitatem ad diſcendū neceſſariam eſſe, qualem Propheta de-
Iſa 66. ſcribit, cùm dicit: *Super quem requieſcet Spiritus*
Matth. 5. *meus, niſi ſuper humilem & quietū?* Et Chriſtus adfirmat mites beatos eſſe, quoniā ipſi poſſidebūt

terrã, nimirũ, viuentiũ. Ferocia Pauli prius edomanda fuit, quàm Apoſtolus fieret. Immanitas & barbaries Pharaonis, Herodis, Pilati, Annæ, Caiphæ, Neronis, Domitiani, &c. effecerunt, vt verbum Dei, ac proinde ſalutem æternam à ſe repellerent. Nec mirandum ſi tam pauci etiam nunc in Dei ſchola proficiant, quando vix centeſimus quiſque ſpiritus ſui ferociam deponat, vt ſe Deo comiter ſubiiciat, ſed omnes ferè elati, arrogantes, & refractarij accedant. *Act.9.*

Perpende item magnificentiſſimum cœleſtis doctrinæ encomium, quòd certam animarum noſtrarum ſalutem ex ea conſequamur. Ergo illam inſtar theſauri incõparabilis, expetere, amare, & magnificare debemus. Nõ quòd ſalus noſtra in externo vocis humanæ ſonitu propriè incluſa ſit: ſed quòd Deus hoc vtitur medio, vt fidem, ſpem, caritatem, & alias ſalutares virtutes cordibus infundat, quibus homines ipſe ſaluare propoſuit. Ideo Paulus verbum iſtud diuinum appellat *Verbum ſalutis*: &, *Virtutem Dei ad ſalutem omni credenti*. An non ergo acriter caſtiganda hominum plurimorum ignauia, qua ſermonem iſtum faſtidiunt, negligunt, derident, qui ſalutis æternæ cauſa eſt? *Matth.13.* *Epheſ.1.* *Rom.1.*

Obſeruanda, demum ex beato THOMA Aquinate, Verbum Dei octo modis audiendum eſſe. Primò, attenta aure. Nam *qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Secundò, corde ſuſcipiendum eſt, dicente Domino, *Ponite verba mea in cordibus veſtris*. Tertiò, intellectu conſeruandum & medi- *Io.8.* *Deut.4.*

Luc 2. tandum inſtar Virginis, ſeruantis omnia verba Dei in corde ſuo. Quartò, affectu guſtandum, Heb. 6. Apoſtolo referente, quoſdam *guſtaſſe verbum Dei bonum*. Quintò, ore iugiter habēdum, quòd Ierem. 1. dictum ſit Ieremiæ; *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Rom. 2. Sextò, opere faciendum, quoniam *non auditores legis iuſti ſint apud Deum, ſed factores.* Septimò, memoria retinendum & cuſtodiendum; quan- Luc 11. doquidem beati dicantur, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Octauò, animo reuerendum, imitatione piarum populi turbarum quæ ſequebantur Chriſtum, vt illud ex illius ore exaudirent, quemadmodum in Euangelio non ſemel refertur, &c. Vt ergo huic diuino ſemini reſpondeamus, deponamus à nobis omnem immunditiam, quam nobis omnes contraximus à primo parente, & actualibus deinceps vitiis, excutiamus præterea ſuperfluitatem malitiæ, id eſt, inutiles, imò etiam impios de rebus Diuinis ſermones, qui naſcuntur ex malitia & ignorantia. Attentè verò ac religioſè quæramus, audiamus, ſuſcipiamus inſitum & datum nobis deſuper illud verbum Dei, per quod nos regenerat, & ad ſe pertrahit Pater noſter cœleſtis.

21. *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos.*

Decima, eſt exhortatio Apoſtolica, de bonis operibus præſtandis, & profeſſione Chriſtiana piis moribus exornanda. Vult autem hic Frater Domini dicere. Phariſæi verba legis memoriter tenent, eiuſdem præſcripta ferunt in membra-

nis,phylacteriis,veſtibus, frontibus:ſed vita & moribus legem non exprimunt. Philoſophi multa garriunt de ſummo bono, de virtutibus moralibus & politicis:at nihil opere præſtant. Pſeudo prophetæ ac hæreſiarchæ Euangelium iactant,verbum Dei crepãt, fidem in Chriſtum crebris ſermonibus vſurpant,& id ſatis ſibi eſſe prædicant. Verùm,turpiſſimè fallunt & falluntur homines miſerrimi,cùm non in lingua,ſed in vita piáque conuerſatione: non in ſermone, ſed in virtute conſtitutum ſit regnum Dei. Vobis ergo non debet eſſe ſatis doctrinam Euangelicam aure percepiſſe, credidiſſe, baptizatos fuiſſe,totius legis Moſaycę & Chriſtianæ myſteria didiciſſe. Quod Chriſti philoſophia verbis & ſcriptis docet,vita & operibus eſt exprimendum:& quod ille moribus geſſit, pro viribus eſt imitandum. Neceſſe eſt diſcipulos eius ad normam præceptoris totam vitam inſtituere. Qui Euangelium ſolummodò audiunt, qui de Chriſto diſputant egregiè,qui pſalmos ſuauiſſimè cantillant, qui alios docent eruditè, & corruptiſſimam vitam viuunt, ſolo titulo ac nomine Chriſtiani dicuntur: reuera verò ſunt hypocritæ, illuſores, ſeductores, hæretici, & pſeudochriſtiani.

Ex his autem in primis rectè colligunt & concludunt doctores orthodoxi aduerſus Simonianos, Gnoſticos, Eunomianos, Lutheranos & Caluinianos ſolius fidei prædicatores, bona opera hominibus adultis omnino neceſſaria eſſe ad iuſtitiam & ſalutem conſequẽdam.

tur? Salomon quoque ſcribit: *In multiloquio non*
Prou. 12. *deerit peccatum.* Et iterum, *Vidiſti hominem velo-*
Prou. 22. *cem ad loquendum? Stultitia magis ſperanda eſt quàm*
Eccl. 20. *illius correptio.* Et alius Sapiens: *Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam.* Philoſophi denique rectè iudicauerunt, naturam duas aures dediſſe homini, vnam tantùm linguam: vt multa auſ-
Serm. 73. cultans, pauca loqueretur. ANTONIVS Meliſſa poſt laudatum hunc D. Iacobi locum, refert interrogatum Ariſtotelem, quamobrem cùm alios doceret loqui, ipſe taceret; dixiſſe: Cos quidem ipſa non ſcindit, cultros autem acuit. Simonidem quoque dixiſſe: Nunquam ſe pœ-
Epiſt. ad Suggerium Abbatem. nituiſſe ſilentij, ſermonis autem ſæpiùs. Hoc tātùm ex Bernardo ſubnectam, Iuge ſilentium, cogit cæleſtia meditari. De linguæ vitiis paulò poſt copioſiùs dicemus.

Et tardus ad iram.

Tertium præceptum eſt de ira moderanda
l. 2. rhetoric. c. 20. & cohercenda: Hanc autem duobus definit Ariſtoteles. Primò, ira eſt libido cum dolore ſperatæ punitionis, propter apparentem contemptum ſui, vel ſuorum, contra id quod opor-
l. 5. de animab. c. 1. tebat. Secundò, ira eſt feruor ſeu calor ſanguinis
l. 11. natur. hiſt. c. 38. in corde. Hanc vltimam definitionem probant Plinius, & medici omnes. Vtráque grata eſt
l. 2. de fide orth. c. 16. Damaſceno ſcribenti: Ira eſt ebullitio ſanguinis in corde. Eſt etiam vlciſcendi libido. Conſentit Auguſtinus l. 14. de ciuit. c. 15.

P. 5. Moral. c. 30. Tres porrò iræ ſpecies enumerat Gregorius Papa. Prima, inquit, eſtublioſa ſiue fellea, quæ

citò accenditur, & citò quieſcit: & hæc habet minus periculi & malitiæ. Eſt enim inſtar ſtupæ, leuiter ſuccendentis & euaneſcentis. Hanc Tullius nominat, excandeſcentiam: Logici, paſſionem. Secunda ſpecies iræ, dicitur, propriè, iracundia, cùm videlicet acceptæ iniuriæ memoria in animo diuturniorem moram trahit. Et hæc deterior eſt quàm prima, quoniam tenacior, & altiùs infixa hæret. Tertia eſt infenſior, quia odium ſeu furor, omnem captans occaſionem vlciſcendi. Et hæc omnium teterrima eſt, quoniam incendium animo conceptum occultat, donec peracta vindicta, extinguatur. Atque hæc de iræ finitionibus & ſpeciebus.

Illa porrò vlciſcendi libido, ſeu ira, in genere ac per ſeipſam conſiderata, indifferens eſt ad vitium atque virtutem: & idcirco nec vniuerſaliter, nec abſolutè hîc omnem iram damnat Apoſtolus: ſed tantùm dicit, vt homo *tardus ſit ad iram*, id eſt, lentus, & prudens in ea moderãda. Nam virtus eſt, quando rationem ducem ſequitur, vt iuſtitiæ actus magis ſtrenuè & generosè quis exerceat, vindictámque ſumat & de improbis ſecũdùm rectæ rationis iudicium, & iuſtitiæ ordinem. Iſtiúſmodi irâ, ſeu potiùs zelo, accenſus Chriſtus flagris expulit de templo eos, qui domum Patris ſui faciebãt ſpeluncam latronum, & domum negociationis. Iterum, quando inſidiatores Phariſæos, *cum ira circunſpiciens, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis*

Io. 2. *Matth. 21.* *Mar. 3.*

illorum: fuit & in ſanctis prophetis, vt in Moyſe, quando Pharaonis aula eiectus eſt: quando in cultores vituli, effractis ſacrarum legum tabulis, excanduit: & quãdo in Datan, Core, & Abyronem diuinam vltionem accerſiuit. Eadem accenſi Phinees, Samuel, Samſon, Iephte, Gedeon, Dauid, Helias, Ioſias, Mathatias, Iudas Machabæus, de improbis & ſceleratis hoſtibus populi ſui vindictam ſumpſerunt. Iuſtinus Martyr ex facto Eliſæi, qui pueros illuſores feris diſcerpendos tradidit, probat ſeueritatem aduerſus inemendabiles eſſe vtiliorem, quàm patientia. Hilarius quoque ſcribit, patres piè & miſericorditer iraſci contra peccata filiorum, & præſentis vindictæ ſeueritatem adhibere ad ſalutem ſpiritus, ſicut Paulus Corinthium inceſtum *tradidit Satanæ ad interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet in die iudicij*. Cõſentit Auguſtinus ſcribens: Non omnis qui iraſcitur, odit filios. Nam diſciplinam non damus, niſi aliquantulum iraſcendo & indignando: nec tamen daremus, niſi amaremus.

Exod. 11. *Exod. 32.* *Num. 16.* *Quæſt. 80. ad orthod.* *In pſ. 59.* *1. Cor. 5.* *Ser. 26. de ver. Dom.*

Ira porrò peccatum eſt capitale & lethale, quando rectæ rationis non ſequitur regulam, ſed præuenit, eamdémque excæcat, peruertit, & aut ad vindictam propriam ſumendam de eo qui non meruit, (vt quando Saul in odium Dauidis, Sacerdotes Nobe crudeliſſimæ internecioni tradidit: Pharao paruulos Hebræorum demergi præcepit: & Herodes Bethleemiticos infantes in Saluatoris odium perdidit) aut vltra quàm meruit: aut non ſecundùm legitimum

1. Reg. 22. *Exod. 1. 3.* *Matth. 2.*

ordinem

ordinem iuris: aut denique non propter debitum finem, qui eſt conſeruatio iuſtitiæ, ac improborũ correptio atque repreſſio. Hoc autem iræ peccatum coarguitur & diſtrictè prohibetur tum hoc D. Iacobi loco, tum multis aliis Scripturarum diuinarum ſententiis. Ait namque Chriſtus: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio,* Paulus iubet ab illa penitus abſtinendum: *Omnis indignatio & ira tollatur à vobis. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Sapiens verò ab illius incommodis deterret: *Vir iracundus rixas prouocat: Noli eſſe amicus homini iracundo; neque ambules cum homine furioſo, &c.*

Matth. 5.

Eph. 4.

Prou. 22.

19. *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.*

Hæc eſt ratio præcepti, ducta ab iræ plurimis & grauiſſimis incommodis. Senſus autem eſt, Homo ira percitus & inflammatus nullum Diuinæ iuſtitiæ locum derelinquit: quãdoquidem in eo nulla reſidet humanitas, nulla cõmiſeratio, nulla religio, nulla æquitas, nulla iuſtitia, caritas nulla. *Ira ergo viri iuſtitiam Dei non operatur,* quoniam Dei timores, amorem & obediẽtiam tollit ex animo, proximorum dilectionem extinguit, & à cunctis bonis operibus, quibus Deo grati reddimur, homines reuocat. Itaque nullus eſt iuſtitiæ Dei locus, quandiu ira regnum obtinet: Niſi faceſſat feruor contentionis, nunquam Deo præſtabimus illam ſilentij moderationem, de qua nuper dictum eſt. Ex animis igitur tanquam teterrima bellua extrudatur & pereat.

Sed præſtat huius quædam incommoda ex ſacris ſcriptoribus recenſere, vt cuncti ab ea velut contagioſa peſte, ſibi caueant. Per iram

l.5. Mor. c.30. (inquit GREGORIVS) iuſtitia Dei relinquitur, ſicut ſcriptum eſt: *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*, quia dum perturbata mens iudicium ſibi rationis exaſperat; omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſo-

Prou. 22. cialis & humanæ amittitur. Noli ergo eſſe

Prou. 17. amicus homini iracundo. Concordia rumpi-

Iſa. 66. tur, lux veritatis amittitur, & ſancti ſpiritus ſplendor extinguitur. Iræ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, nequaquam recognoſcuntur amici, &c.

EFFREM Syrus tractatu de virtutibus & vitiis, cap. de iracundia, ſcribit: Homo iracundus audiat Apoſtolum Iacobum dicentem, *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*. Verè miſer & infelix eſt, qui hac animi perturbatione vincitur, occidit enim animam ſuam. Is & animi tranquillitate caret, & commoda corporis valetudine: quia ſemper & animus eius angitur, & corpus morbo vexatur. Iracundia caro marceſcit, pallor inuadit, cogitatio diſtrahitur, mens turbatur, & ratio confunditur. Iracundus omnibus eſt inimicus, à patientia & caritate remotus eſt, vanis rumuſculis permouetur, leuicula de cauſa rixas prouocat, vbi non requiritur eò ſeſe ingerit, & vbiq; relinquit odium ſui. Conuitiis oblectatur, ad humanitatem infirmus eſt, & ſtrenuus ad im-

probitatem: apud Deum certè & homines deſpectus eſt, & nullius pretij. Quod cùm ita ſit iracundiam fugite, &c.

BASILIVS magnus de eadem ait, Vbi ſenſuum rationem ſemel exturbauerit affectus iracundiæ, hominem prorſus efferat, atque in belluas degenerare cogit, adeò vt eum eſſe hominem ampliùs non ſinat. Quod enim venenatis animalibus venenum eſt, id concitatis eſt ira. Rabie corripiuntur vt canes, aſſiliunt vt ſcorpij, mordent veluti ſerpentes. Irati ſeipſos non cognoſcunt, ſed neque familiares. Propter iram mucro acuitur, atque hominis humana manu audetur mors. Eius cauſa fratres mutuam cognationem exuunt, parentes naturalis pietatis obliuiſcuntur. *Hom. de ira.*

CHRYSOSTOMVS iracundos comparat cum hominibus furioſis & vexatis à dæmonibus, imò verò & his peius habere iudicat quòd illi rarò à cõcepto furore ſanentur, iſti frequenter. *Hom. 47. in Io.*

IOANNES Caſſianus, iræ mortiferum virus de receſſibus animæ noſtræ funditus eruendum perſuadet, eo quòd oculũ mentis obcæcet, nec iudicium rectæ diſcretionis acquirat, nec honeſtæ cõtemplationis intuitum, nec maturitatem conſilij poſſideat, nec vitę participes, nec iuſtitiæ tenaces, ſed ne ſpiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus exiſtere, quia *turbatus eſt*, inquit, *præ ira oculus meus*. Nec ſapientiæ participes effici, nec vitam immortalitatis conſequi, nec iuſtitiæ moderamina valebimus obtinere, quia *ira viri iuſtitiam Dei nõ operatur, &c.* *l. 8. coll. c. 1.* *Pſ. 6.*

laceſſentes, & alternis verſibus contumelias intorquentes. Poſſet etiam hoc referri ad filios Atrei, qui inter ſe diſſidentes conuitientur, paternos mores imitati.

Curtius etiam refert Alexandrum Orientis victorem, ſubita ira correptum, Clytum nutricis ſuæ filium (à quo fuerat ad Granicum amnem ſeruatus) interfeciſſe: & cùm paulò poſt ad ſe rediiſſet, ereptum telum ex Clyti vulnere, in ſeipſum doloris impatiẽtiâ vertiſſe, niſi ſuorum manibus fuiſſet prohibitus.

Sextus Aurelius & Plutarchus laudant illud Athenodori Philoſophi documentum, quo Auguſto Cæſari perſuaſit, cùm ira eum cepiſſet, nihil prius neque diceret, neque faceret, quàm ipſa viginti quatuor literarum Græcarum elementa ſecum ipſe percurriſſet: vt ita concitatio illa, quæ momentoſa eſt, mente aliò traducta, parui temporis interiectu langueſceret. His autem admonemur, impetum irę cohibendum eſſe, omnéſq; occaſiones deuitandas, quòd ea perturbatio hominem extra ſe deiiciat, & in belluam transformet. Hanc qui vicerit, hoſtem ſe viciſſe omniũ maximũ & pernicioſiſſimum dicere nõn iniuriâ poteſt. Qui ampliora deſiderat, euoluat totum Plutarchi librum De ira cohibenda: & Valerium Max. l. 9. c. 3.

20. *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundũtiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.*

Hæc eſt nona huius capitis exhortatio, qua eleganti metaphora ab agricolatione petita,

docet Apoſtolus omnia tum corporis tum animæ vitia extirpāda eſſe, vt doctrina Chriſti ſincero corde ſuſcipiatur, inſeratur, & fructificet: quemadmodum agricolæ ſemina ſua terræ mādaturi, curant in primis lapidibus, tribulis, ſpinis, & cæteris id genus, agrum expurgare, vt feliciùs creſcant, & vberiùs matureſcant. Alludit autem Apoſtolus ad hanc Domini parabolam,

Matth. 13. *Semen eſt verbum Dei, cuius pars ſuper petras, pars ſecus viam, pars inter ſpinas, pars denique in terram bonam cecidit: & ortum fecit fructum, &c.* Senſus porrò eſt; Si toto pectore, viri Chriſtiani, cupitis Euangelicam doctrinam in vobis fructum facere, priùs noxias cupiditates ſemē Diuinum ſuffocantes cohercere, & animos integros, dociles, & manſuetos præſtare oportet. Non enim hæret ſemē verbi in terra ſenticoſa, nō paluſtri, non arenoſa; ſed purgatam, ſolidam, ac egregiè cultam poſtulat. Repurgate igitur agros cordium veſtrorum ab omni ira, maledicentia, gula, ebrietate, ſcortatione, cæteríſque ſordibus, quibus coram Deo verè inquinātur & prophanantur hominum animæ. Procul quoque ſint à vobis vanæ, impiæ, & malitioſæ cogitationes: cōtrà verò, omni modeſtia & facilitate animum ad audiendum & ſeruandum verbum Dei componite, ſicque non vulgarem aut temporalem fructum, ſed celeſtem ac æternū inde colligetis.

In his primùm attende, duo præſertim vitia humana per Apoſtolum hîc coargui & damnari, immunditia nimirum & malitia: eò quòd animos inquinent atque perturbent, ne verbo

Dei attendamus & obtẽperemus. Nomine autem *immunditiæ* cõprehendit omnes impuritates, quæ ex gula, ebrietate, fornicatione, adulterio, incæſtu, ſacrilegio, mollitie, & quibuſuis luxuriæ ſpeciebus oriuntur. De his enim Chriſtus ait: *De corde exeunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, &c. & hæc ſunt quæ inquinant hominem.* *Matth.* 18.
Aduerſantur quippe his prohibitionibus Diuinis, *Non concupiſces vxorem, non ancillam proximi tui.* *Exod.* 20.
Paulus quoq; volens omnes Chriſtianos mundos & cõtinentes eſſe, ſcribit: *Omnis ſermo malus,* id eſt, ſpurcus & turpis, *de ore veſtro non procedat.* *Epheſ.* 4.
Et rurſum; *fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos.* Hinc Auguſtinus, Caſtitas cum humilitate, Spiritus ſancti meretur habitationem, quem expellit immunditia libidinis, dicente Scriptura, *Corpus peccato ſubditum Spiritus ſanctus effugiet*: Vbi autem immunditia corporis eſt, ibi habitatio Diaboli, qui maximè gaudet in iniquitate corporis noſtri. Ideo ſecũdum Apoſtoli admonitionem, *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* *Epheſ.* 5. *Ser.* 249. *de temp.* *Sap.* 1. 1. *Cor.* 1.

Malitia porrò ſecundùm eundem Auguſtinũ, eſt nocendi amor. Malitia delectatur malo alieno. Ambroſij autem ſententia, Nihil aliud eſt, quàm mentis deprauatio. Tullio verò, eſt verſuta & fallax ratio nocendi: quæ omnia in eundem ſenſum recidunt. Hoc autem peccatum Bernardus cõparat cum curru, qui ſæuitia, audacia, impatientia, & impudẽtia, veluti quatuor rotis vehitur & trahitur. Ambroſius illud Pſal- *l.* 50. *hom.* *ho.* 20. *In pſ.*118. *l.*3. *de nat.* *Ser.* 30. *in Cantica.*

mi explicás, *Diſcedite à me maligni*, ſcribit: Vbi malignitas eſt, ibi cuſtodia cæleſtiũ mandatorũ eſſe non poteſt. In maleuolam enim animã non intrabit ſapientia. Simplicem mentem diligit Chriſtus: odit autem & refugit vitiorũ cõtagia,
Matth. 11. dicẽs: *Diſcite à me, quiaq mitis ſum, & humilis corde.*
Pſ. 6. Malignos repellit dicẽs: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Malitia enim fons peccati eſt.

Hinc quoque meditare, verbum Dei appellari *inſitum*, non tantùm quòd ſeminetur & ſpargatur in agris cordium, miniſterio concionatorum; ſed etiam quòd non inſit nobis à natura, verùm & quòd de foris procedat, id eſt, aliunde ad nos perueniat. Natura namq; omnino agreſtes, ſteriles & infructuoſi ſumus, ideóque opus eſt, vt mundemur, colamur, & domeſtico ſurculo quaſi cicuremur & renouemur, vt fructus dulces, & vitæ æternæ conducibiles proferre
Io 3. valeamus. Simili ratione & Chriſtus reſurre-
Eph. 4. *Coloſſ. 3.* ctioné, & Paulus, veteris hominis exſpoliationem nobis ſummopere neceſſariam eſſe docuerunt. Præcipit ergo Iacobus, vt noua in nobis fiat *inſitio*; qua veluti cum corde noſtro verbum Dei auditum coaleſcat.

Conſpice etiam, omnem modeſtiam, mititatem, & docilitatem à doctrinæ euãgelicæ auditoribus requiri: & talem mentis facilitatem ad diſcendũ neceſſariam eſſe, qualem Propheta de-
Iſa 66. ſcribit, cùm dicit: *Super quem requieſcet ſpiritus*
Matth. 5. *meus, niſi ſuper humilem & quietũ?* Et Chriſtus adfirmat mites beatos eſſe, quoniã ipſi poſſidebũt

terrã, nimirũ, viuentiũ. Ferocia Pauli prius edomanda fuit, quàm Apoſtolus fieret. Immanitas & barbaries Pharaonis, Herodis, Pilati, Annæ, Cayphæ, Neronis, Domitiani, &c. effecerunt, vt verbum Dei, ac proinde ſalutem æternam à ſe repellerent. Nec mirandum ſi tam pauci etiam nunc in Dei ſchola proficiant, quando vix centeſimus quiſque ſpiritus ſui ferociam deponat, vt ſe Deo comiter ſubiiciat, ſed omnes ferè elati, arrogantes, & refractarij accedant. *Act. 9.*

Perpende item magnificentiſſimum cœleſtis doctrinæ encomium, quòd certam animarum noſtrarum ſalutem ex ea conſequamur. Ergo illam inſtar theſauri incõparabilis, expetere, amare, & magnificare debemus. Nõ quòd ſalus noſtra in externo vocis humanæ ſonitu propriè incluſa ſit: ſed quòd Deus hoc vtitur medio, vt fidem, ſpem, caritatem, & alias ſalutares virtutes cordibus infundat, quibus homines ipſe ſaluare propoſuit. Ideo Paulus verbum iſtud diuinum appellat *Verbum ſalutis*: &, *Virtutem Dei ad ſalutem omni credenti.* An non ergo acriter caſtiganda hominum plurimorum ignauia, qua ſermonem iſtum faſtidiunt, negligunt, derident, qui ſalutis æternæ cauſa eſt? *Matth. 13.* *Epheſ. 1.* *Rom. 1.*

Obſeruanda, demum ex beato THOMA Aquinate, Verbum Dei octo modis audiendum eſſe. Primò, attenta aure. Nam *qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Secundò, corde ſuſcipiendum eſt, dicente Domino, *Ponite verba mea in cordibus veſtris.* Tertiò, intellectu conſeruandum & medi- *Io. 8.* *Deut. 4.*

Luc 2. tandum inſtar Virginis, ſeruantis omnia verba Dei in corde ſuo. Quartò, affectu guſtandum, Heb. 6. Apoſtolo referente, quoſdam *guſtaſſe verbum Dei bonum*. Quintò, ore iugiter habēdum, quòd Ierem. 1. dictum ſit Ieremiæ; *Ecce dedi verba mea in ore tuo*. Rom. 2. Sextò, opere faciendum, quoniam *non auditores legis iuſti ſint apud Deum, ſed factores*. Septimò, memoria retinendum & cuſtodiendum; quan- Luc 11. doquidem beati dicantur, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Octauò, animo reuerendum, imitatione piarum populi turbarum quæ ſequebantur Chriſtum, vt illud ex illius ore exaudirent, quemadmodum in Euangelio non ſemel refertur, &c. Vt ergo huic diuino ſemini reſpondeamus, deponamus à nobis omnem immunditiam, quam nobis omnes contraximus à primo parente, & actualibus deinceps vitiis, excutiamus præterea ſuperfluitatem malitiæ, id eſt, inutiles, imò etiam impios de rebus Diuinis ſermones, qui naſcuntur ex malitia & ignorantia. Attentè verò ac religioſè quæramus, audiamus, ſuſcipiamus inſitum & datum nobis deſuper illud verbum Dei, per quod nos regenerat, & ad ſe pertrahit Pater noſter cœleſtis.

21. *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos.*

Decima, eſt exhortatio Apoſtolica, de bonis operibus præſtandis, & profeſſione Chriſtiana piis moribus exornanda. Vult autem hic Frater Domini dicere. Phariſæi verba legis memoriter tenent, eiuſdem præſcripta ferunt in membra-

nis,phylacteriis,veſtibus, frontibus:ſed vita & moribus legem non exprimunt. Philoſophi multa garriunt de ſummo bono, de virtutibus moralibus & politicis:at nihil opere præſtant. Pſeudo prophetæ ac hæreſiarchæ Euangelium iactant,verbum Dei crepāt, fidem in Chriſtum crebris ſermonibus vſurpant,& id ſatis ſibi eſſe prædicant. Verùm,turpiſſimè fallunt & falluntur homines miſerrimi,cùm non in lingua,ſed in vita piâque conuerſatione: non in ſermone, ſed in virtute conſtitutum ſit regnum Dei. Vobis ergo non debet eſſe ſatis doctrinam Euangelicam aure percepiſſe, credidiſſe, baptizatos fuiſſe,totius legis Moſaycę & Chriſtianæ myſteria didiciſſe. Quod Chriſti philoſophia verbis & ſcriptis docet,vita & operibus eſt exprimendum:& quod ille moribus geſſit, pro viribus eſt imitandum. Neceſſe eſt diſcipulos eius ad normam præceptoris totam vitam inſtituere. Qui Euangelium ſolummodò audiunt, qui de Chriſto diſputant egregiè,qui pſalmos ſuauiſſimè cantillant, qui alios docent eruditè, & corruptiſſimam vitam viuunt, ſolo titulo ac nomine Chriſtiani dicuntur: reuera verò ſunt hypocritæ, illuſores, ſeductores, hæretici, & pſeudochriſtiani.

Ex his autem in primis rectè colligunt & concludunt doctores orthodoxi aduerſus Simonianos, Gnoſticos, Eunomianos, Lutheranos & Caluinianos ſolius fidei prædicatores, bona opera hominibus adultis omnino neceſſaria eſſe ad iuſtitiam & ſalutem conſequēdam.

Sunt enim iſta ſummi ac æterni Dei de bonis operibus præcepta,lege euangelióque probata,
Deut.6. Exod.20. & promulgata, *Diliges Dominum Deum tuum ex*
Matth.22. *toto corde tuo,ex tota mẽte tua, ex omnibus viribus*
Luc 10. *tuis: & proximum tuum ſicut teipſum. Sabbatum ſanctifica.Honora patrem & matrem.* Rurſum clariſſima & certiſſima hæc Chriſti verba de bo-
Matth.5. nis moribus.*Beati pauperes ſpiritu,mites,miſericordes,lugentes,pacifici,mũdo corde,perſecutionem patien-*
Matth.6. *tes.Luceant bona opera veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Omnis qui*
Matth.7. *audit verba mea & facit ea,aſſimilabitur viro ſapienti,qui ædificat domum ſuam ſupra petram.Si vis ad vi-*
Matth.19. *tam ingredi,ſerua mandata.* Paulus quoque hanc pſeudoapoſtolorum hæreſim damnans diſertè
Rom.2. clamat:*Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum:ſed*
Apoc.1. *factores.*Et Ioannes in Apocalypſi: *Beatus qui audit & ſeruat verba prophetiæ huius.* Si quis autem requirat, quænam ſint illa bona opera ad iuſtitiam augendam,& conſequutionem ſalutis neceſſaria? Breuiter reſpondetur,primò Chriſtum Dei filium horum catalogum contexuiſſe, d.
Matth.25. *Eſuriui,& dediſtis mihi manducare:ſitiui,&c.*Hinc, ea bona opera eſſe,quę in prima & ſecunda Decalogi tabula comprehenduntur. Inde, fructus ſancti Spiritus quos Paulus enumerat in epiſt. ad Gal.c.5. Ponant in cœlum os ſuum Caluiniani, & hęc vt peccata mortalia poſt Lutherum & Caluinum damnent & prohibeant, ſi audent,&c.

Liquidò etiam patet,hos ſolius fidei prædicantes & miniſtros,& ſeipſos,& auditores ſuos

turpiter fallere, atque damnabiliter ſeducere. Sunt itaque per apoſtolicam cenſuram viri fallaces, mendaces, fraudulenti, veteratores, illuſores, & animarum proditores atque perditores: quandoquidem ſecum in æternam mortẽ pertrahunt eos, quibus perſuadent ſolam auditi verbi fidem homini ſatis eſſe ad iuſtitiam & ſalutem. Nam ad hoc verbum Dei annunciatur, vt nos noſtráque omnia ad illius normam componamus, quo vni Deo veram præſtemus non modo audientiam, ſed & obedientiã. Hoc & factis expreſſit, & parabolis confirmauit coæternus eius Filius, quando infrugiferæ ficui maledixit: & virginibus ſolam lampadem gerentibus dixit: *Neſcio vos.* Ecquid aliud voluit his verbis, *Omnem palmitem non ferentem fructum, Pater in ignem mittet? Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur?* Matth. 21. & 25. Io. 15. Matth. 7.

Rectè igitur iuréque ſcribit Gregorius: Vera fides eſt quæ verbo credit, & moribus non contradicit. Et Chryſoſtomus: fides recta nihil proficit, ſi vita praua eſt. Auguſtinus quoque in Enchiridio c. 17. fruſtra credit, qui non amat. Et Ambroſius lib. 2. offic. c. 20. Graue peccatum eſt ſciuiſſe quid facias, non ſciuiſſe quod faciendum cognoueris. Idémque alibi: Quomodo illis qui ſolum Deum patrem prædicant, ſpes nulla eſt ſi non profiteantur in eadem veritate & Filium: ita huius ſpes fruſtra eſt, qui ſolam fidem habet ſine operibus. Hom. 29. in Euang. Hom. 61. in Ioan.

Damaſcenus citato præſenti D. Iacobi loco, rectè piéque contendit, mandata Dei ſeruantes l. 2. parallelorum, c. 18.

verè ſeruari: non cuſtodientes autem, in æternum perire.

Irenæus denique ſcribit, nos per auditum noſtrum vocem Domini Dei noſtri percipere, vt imitatores quidem operum, factores autem ſermonum eius facti, communionem habeamus cum ipſo, &c. Sed de operum neceſſitate & meritis poſtea copioſiùs dicetur.

22. *Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo.*

23. *Conſiderauit enim ſe, & abiit, & oblitus eſt qualis fuerit.*

Sumpta à ſpeculo eleganti ſimilitudine, clariùs explicat iſte ſacrorum Ieroſolymorum ſanctiſſ. Antiſtes, quàm ſit vanum & inutile audiuiſſe verbum Dei, & non cogitaſſe de moribus ſecundùm illius præſcriptum corrigendis. Quaſi dicat, Vultis noſſe quàm fruſtrà ſacris de verbo Dei lectionibus aut concionibus accõmodat aures is qui ſecundùm eius normam formámque vitam ſuam non componit? Similis eſt homini contemplanti vultum ſuum natiuum ac naturalem in obiecto ſibi ſpeculo terſiſſimo. Hic enim per refractas in vitro faciei ſuæ ſpecies, formam ſuam intuetur; & ſi quas habet labes, rugas, aut ſordes ſimul animaduertit. Interea verò nihil curat maculas abſtergere, ſordéſve abluere, ideóque non alius à ſpeculo diſcedit, quàm acceſſit. Imò atque ſemel receſſit, propter debilem impreſſionem factam in oculis, nec meminit quidẽ diſtinctè ac pro-

priè qualem ſeſe conſpexit: Ita qui verbum Dei auribus tantùm percipit, in eo & conſcientiæ ſuæ perſpexit latebras, & iudicij ſui audiuit ſententiam: ſed inutiliter, ſi ad illius amuſſim viuere negligat.

Græci exponunt, quòd qui auditor tantùm eſt verbi, videt in ſacrarum literarum ſpeculo qualis quantúſque ſit: nimirum quod ad Dei gloriam conditus eſt, & ad ipſius effictus ſimilitudinem. Sed quia auditor tantùm, non item factor eſt Diuini verbi, non eſt illi curæ ad prototypi effigiem ſe componere: nō magis quàm illi qui ſe in ſpeculo contemplatus, ſtatim abiit oblitus qualis fuerit, & vultus ſui næuos abſtergere non curauit.

Hîc autem primùm obſeruemus, vniuerſam ſcripturam ſacram ſiue legatur, ſiue pro concionibus exponatur, puriſſimū ac ampliſſimum eſſe noſtrarū animarū ſpeculū. In eo enim cum primis Deus totū ſemetipſum, id eſt, cū ſua infinita poteſtate, ſapientia, bonitate, miſericordia, iuſtitia, & maieſtate animis noſtris obiicit contemplandum: vt à nobis ſicut decet, noſcatur, diligatur, colatur, & inuocetur. De iſtiuſmodi ſpeculo Paulus ait: *Videmus nunc*, videlicet faciem Dei, nō clarè vt Angeli, *ſed per ſpeculum*, 1. Cor. 13. ſcripturarum nimirum quibus ſeſe manifeſtat: *& in ænigmate: tūc autem*, id eſt, in vita cæleſti, *videbimus facie ad faciem*. Eóque tempore implebitur quod idem Apoſtolus ſcribit: *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem transformemur imaginem.* 2. Cor. 3.

Ex eodem ſpeculo etiam quiſque notet, qualis ſit iuxta corporis conditionem, nempe ex
Gen. 2. viliſſimo terræ limo primùm, deinde ex immūdo
Iob. 14. do humani ſeminis conformatus excremento: & tandem in putidum cadauer & puluerem reuerſurus: altóſque propterea demittat ſpiritus. Secundùm animam verò, Diuinæ maieſtatis flatus, id eſt, cœleſtis, immortalis, & ſanctiſſimę Trinitatis vera viuénſque imago. Proferenda ergo morum ſanctitate, & portanda huius Patris cœleſtis imago, ſicut peccando imaginem
1. Cor. 15. terreſtris portauimus ac expreſſimus. *Exuamus*
Coloſſ. 3. *veterem hominem cum actibus ſuis, & induamus nouum qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit illum.*

Idem quoque ſpeculum cũctis oſtentat horribilem & miſerabilem totius generis humani lapſum, quo per originis delictum omnes con-
Epheſ. 2. cipimur & naſcimur filij iræ, mortis & gehen-
Gen. 3. næ. *Nam omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.*
Pſal. 13. *Homo comparatus eſt iumentis inſipientibus. Omnes in*
Pſal. 48. *Adam peccauerunt. Per vnum hominem peccatum*
Rom. 3. 5. 6. 7. *intrauit in mundum, & per peccatum mors, &c.*

Conſideranda rurſus in eodem occurrunt vniuerſorum hominum plurima & grauiſſima
Gen. 6. & 7. peccata, quibus ad iram concitatus Deus, *pœnituit ſe hominem feciſſe*, atque eundem de facie terræ per aquas diluuij delere conſtituit, & deleuit. *Omnis quippe caro corruperat viã ſuam.* Quin etiam peccatorum expertes volucres cœli, & innocentia cuncta animantia terræ in delicti humani grauiorem damnationem cum hominibus

minibus perierunt.

Quid non denique non ſpectandum mentibus noſtris obiicit tam nobile ſpeculum? Non peccata patriarcharum, prophetarum, Iudæorum, Gentium? Non à Deo perpetuò damnatam hominum ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, gulam, inuidiam, iram, ingratitudinem, infidelitatem? Non etiam his aduerſa, Diuina præcepta atque mandata? Et vt ſummatim dicam, in eo Scripturarum ſpeculo intueri licet, quicquid aut fugiendum, aut expetendum ſit nobis, vt bene beatéque viuamus.

Nec diſſimulandũ, huius Diuini ſpeculi contemplationem nõ ſolùm inutilẽ, ſed & damnabilem cunctis fore, niſi agnitas conſcientiarum ſordes abluerimus, & animorum decori ac pulcritudini ſtuduerimus. Etenim *ſeruus ſciẽs voluntatem domini ſui, & non faciẽs, vapulabit plagis multis.* Luc 12. Matth. 10. Tollerabilius erit Sodomitis legem Dei neſcientibus, quàm Capernaitis Chriſtum cum Euangelio ſuo contemnentibus. Hinc Bernardus æquè piè ac iure monet: Euangelicum ſpeculum veritatis nemini blanditur, nullum ſeducit: talẽ in eo ſe quiſque reperiet, qualis reipſa fuerit. Ser. 1. de ſeptem panibus. Dicit enim Scriptura, *Si quis eſt auditor verbi, & nõ factor, &c.* Nos autẽ fratres, non ſic, ſed conſideremus noſmetipſos in ſacri Euangelij lectione, vt proficiamus ex ea, & corrigamus ſecundùm eam, ſi quæ inuenimus in nobis corrigenda.

Auguſtinus quoque ait: Mandata Dei ſiue cùm leguntur, ſiue cùm memoria recoluntur, Ser. 4. in Pſal. 118.

tanquam ſpeculum intuenda ſunt, ſecundùm Apoſtolum dicentem: *Si quis eſt auditor verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum*

Pſal.118. *ſuum in ſpeculo.* Dicat ergo quilibet noſtrũ cum Dauide, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, &c.*

Hom.31. Author operis inperfecti in Matth. apud Chryſoſtomum, ad hęc appoſitè ſcribit: Quẽadmodum ſi pluuia ſuper lapidem cadat, deſuper quidem ſudat, intus autem ſiccus eſt, quia non deſcendit humor in eum: ſic & homini mundano quando loqueris verbum Dei, tantummodo ſonus verbi deſuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nihil deſcendit.

14. *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.*

Iam à fructibus & vtilitatibus bonorũ operum Apoſtolus excitat omnes ad ſedulam fructuoſámque auditionem verbi Diuini: illos cõſequenter coarguens, qui illud perfunctoriè & contemptim auſcultant. Senſus talis eſt, Quiſquis ad ſpeculum Diuini verbi conſcientiæ ſuæ vultum & cordis intimos receſſus contemplatus fuerit, atque infracto animo piis moribus ſeipſum excoluerit hic verè iuſtus, verè ſanctus, verè Chriſtianus & beatus erit: non quòd ſolũmodò illud audierit, ſed quòd eidem crediderit, & obedierit. Nemo ergo veſtrũm deſes ſedeat, nemo remiſſus aut otioſus iaceat, nemo ignau⁹

Gal.6. ſit. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Operari oportet donec dies eſt: venit enim nox in qua

nemo poteſt operari. Operum hîc locus eſt, hoc tempus eſt: pręmiorum autem ſæculũ futurum. Quæ hîc ſeminauerit homo, illic & metet.

Ergo lex Euangelica ſiue per ſeſe cõſideretur, ſiue cum Moſayca cõparetur, multis iuſtiſque de cauſis perfecta lex eſt, eadẽque perfectæ libertatis. Nã eius profeſſione primò liberamur à grauiſſimis oneribus circumciſionis, ſacrificiorum, purificationum, neomeniarum, tabernaculorum, ceremoniarum & vmbrarum, quibus vetus ille populus Hebræorum adeo grauatus fuit, vt Petrus eam legem appellet, *Onus graue quod neque patres neque filij portare potuerunt.* Et Rabbi Moſes Ægyptius ſcribit, Iudęos obligatos fuiſſe ad obſeruanda ducenta decem & octo præcepta affirmatiua ſecundùm numerũ membrorum corporis humani: & trecenta ſexaginta quinque negatiua, ſecũdùm numerũ dierum anni. Paulus etiã Paradiſ. libro 4. cœleſtis agriculturæ, ex aliis Cabalicis receſet, tot affirmantia præcepta huius populi ceruicibus impoſita fuiſſe, quot oſſa ſolida ſuſtentant corpus humanum: videlicet, ducẽta quadraginta & octo negantia tot quot neruorum & venarum meatus, nimirum trecenta ſexaginta quinque. Contrà verò, vniuerſa lex Euangelica hoc vno ſermone cõpletur, DILIGES. *Qui enim diligit hãc implet legẽ.*

Act. 15.
l. 3. perplexorum, c. 56.
Matth. 22.
Rom. 13.

Ad hæc, perfectæ libertatis lex eſt, quòd nihil aliud ſpiret præter amorẽ, caritatẽ, & gratiam: è contrariò, lex Moſis minas intẽtet, atque terrores. Idcirco Auguſtinus rectè dixit: Breuis differẽtia Euãgelij & legis eſt Amor & Timor.

Nam Moſis lex peccata tantùm oſtendebat, arguebat, damnabat, non condonabat. Supplicia minabatur, peccatū ſuis prohibitionibus irritabat & accendebat: gratiam nullam ex ſeſe conferebat.

Deut. 31. *Maledictus omnis* (inquit Moſes) *qui nō permanſerit in omnibus operibus legis. Maledictus omnis*

Deut. 21. *qui pendet in ligno. Si non ſeruaueris hæc, maledictus*

Deut. 27. 28. *eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Irritā quis faciens*

Heb. 10. *legem iſtam, abſque vlla cōtradictione duobus aut tribus teſtibus morti adiudicabatur.* Ideóque appellatur,

2. Cor. 3. *Miniſtratio mortis & damnationis deformata*

Gal. 4. *in lapidibus.* Comparatur item cum Agar ancilla, filios ſeruitutis generante. Rurſum, cum ſeueris tutoribus & actoribus paruulorum. Eadē nihil

Heb. 10. ad perfectū adduxit, ſed vmbra tantùm fuit futurorum bonorum, &c. Lex autem Euangelica trāſgreſſores ad pœnitentiam appellat, veniam repromittit, & omnem gratiam Sacramentorum ſuorū virtute ac efficientia diſpoſitis elargitur. Hæc rurſum Dei amorem, pietatem, mititatem, humanitatem erga amicos & inimicos exhibendam ſuadet: Dei in totum genus humanum effuſam miſericordiam vbique annūciat: ampliſſimis propoſitis præmiis vniuerſos ad ſui amorē & obſeruationē allicit. Quod enim tam ferreum pectus, quod non emollirent hæ

Matth. 11. Saluatoris dulciſſimæ imitationes: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā vos?*

Matth. 9. *Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Veni quærere*

Luc 19. *& ſaluum facere quod perierat. Eum qui venit ad me,*

Io. 5. *non eiiciam foras, &c.*

Dicitur præterea lex Euangelica perfectè libera, ſeu perfectæ libertatis, eo quòd Chriſtus

cōditor illi9,profeſſores eius à quadruplici ſeruitute & miſeria liberet. Prima peccatorū, quādo ea vel per Baptiſmum, vel per Pœnitētiæ ſacramentū remittit. Secunda dæmonū, quos inuocatione nominis ſui,exorciſmis, crucis conſignatione,aquæ luſtralis aſperſione,ieiunio,ſalutari corporis ſui ſacrificio, tā ex domibus quā ex corporibus credentiū potenter expellit. Tertia mortis & corruptionis,cùm glorioſam corporum reſurrectionem promittit,dicens: *Omnes* *Io.5.*
qui in monumētis ſunt,audiēt vocē Filij Dei & viuēt. *1.Cor.15.*
Quarta inferorum, cæleſtē beatāque vitā cul- *Matth.5.*
toribus ſuis repromittens; *Beati pauperes,quoniam* *Matth.24.*
ipſorum eſt regnum cælorum. Et reapſe confert in- *& 25.*
quiens. *Euge ſerue bone,intra in gaudium Domini tui. Venite benedicti,poſſidete regnum,&c.*

& perſeuerauerit in ea.

Requirit Apoſtolus conſtantiam & perſeuerantiam in legis Euāgelicæ meditatione ac obſeruatione. Nam qui durat in conflictu, victor tandem ex acie diſcedit. Qui legitimè certauerit,coronabitur. Sunt autē plurimi inſtar arundinum leues & incōſtantes,quos Chriſtus tandem euomet de ore ſuo. Sunt qui ad tempus credunt,& in tempore tentationis recedunt. *Luc 8.*

hic beatus in facto ſuo erit.

Hæc D.Iacobi oratio huc ſpectat, vt perſuadeat hominem iuſtiorē, ſanctiorē, imò & beatiorem fieri coram Deo per bona opera:quæ in fide & caritate perficiuntur. Omnis doctrina Apoſtolica in hoc eſt,vt bona opera perſuadeat, his incredibilē mercedē, imò & vitā æternam

repromittat, vt omnes ad illorũ ſtudiũ alliciat. *Qui bona fecerunt* (ait Chriſtus) *procedent in reſurre-*
Io 5. *ctionẽ vitæ. Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata.* Illo-
Matth. 19. rum ſtudioſis dicturus eſt; *Venite ergo benedicti Pa-*
Matth. 25. *tris, poßidete regnũ paratũ vobis à conſtitutione mũdi.*
Io. 13. Ergo regnũ cœlorũ merces eſt bonorũ operum. *Beati eritis, ſi feceritis ea. Beatus ſeruus quem inuenerit Dominus vigilantem. Beati qui in Domino moriuntur.*
Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos, &c.*

Econtrario verò miſeri ſunt, qui leges diuinas aſpernantur, Deum factis negãt, nec profeſſionem Chriſtianam bonis operibus exornant. Theſauros ſibi non reponunt in cœlo, vt tandem recipiantur in æterna tabernacula, &c.

Miſerrimi autem hæretici, qui poſt Caluinũ & Bezam vociferant, *bona opera non eſſe neceſſaria ad iuſtitiam & ſalutẽ, Opera quantũlibet iuſta, eſſe corã Deo peccata, nec aliud mereri quàm æterna ſupplicia.* Quis hæc audiens & animo reponẽs, operib⁹ miſericordię vacabit? Aliena reſtituet? Proximũ vt ſeipſum diliget? Inimicũ eſuriẽtẽ cibabit? Franget eſuriẽti panẽ ſuũ? Nudum operiet? Patrem & matrẽ honorabit? Deũ ex toto corde ſuo amare ſtudebit? Apagete tam impios, terros, & ſatanicos errores. Sed de his aliàs.

25. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænãs linguã ſuã, ſed ſeducens cor ſuũ, huius vana eſt religio.*

Hæc eſt duodecima, eadémque poſtrema huius primi capitis Epiſtolæ adhortatio, quæ duabus partibus abſoluitur. Prior eſt de falſa & hypocritica religione fugienda: poſterior, de vera & germana capeſſẽda. Hic porrò ſẽſus eſt: Duo

ſunt fontes vberrimi vitiorũ; Cariſſimi, cor nimirum, & lingua: quos qui non prudenter cuſtodierit, fruſtra Chriſti nomen iactabit, fruſtra pij ac timẽtis Deũ titulos præ ſe feret, fruſtra de fide ac Euangelio gloriabitur. *Nam ex abundãtia cordis os loquitur. De corde exeunt cogitationes malæ, quæ coinquinant animam, Prauũ eſt cor hominis, & inſcrutabile. Senſus & cogitatio humani cordis prona ſũt ad malũ ab adoleſcentia ſua.* Linguæ autẽ vitia quis enumeraret? Hac non ſolùm cõuitiis & obtrectationibus, mẽdaciis & falſis teſtimoniis peccãt homines aduerſus proximos: verùm & horrendis blaſphemiis atque hæreſibus cõtra Deũ omnipotentẽ inſurgunt, eius maieſtatem lacerant, veritatẽ impugnant, de ſanctiſſima Trinitate perſonarum, de vnitate eſſentiæ, de prouidentia, de prędeſtinatione, de iuſtitia, & iudiciis eius, temerè & irreuerenter loquũtur. Hi quantumlibet in Deũ ſe credere iactitent, fallunt tamen & falluntur turpiſſimè: ſunt enim falſi fratres: & ait coapoſtolus & frater b. Iudas, *nubes ſine aqua, arbores autumnales bis mortuæ, fluctus feri maris, deſpumãtes ſuas blaſphemias, ſidera errãtia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Non ſunt frumẽta, ſed zizania in agro Domini. Non ſunt oues, ſed lupi in veſtimentis ouium. Non ſunt boni beatíque ſpiritus, ſed ſatanæ miniſtri transformati in angelos lucis, &c.

Luc 6. Matth. 15. Ierem. 17. Gen. 7.

Notandum autem in primis, Linguę vitia hîc appoſitè taxari, cùm de Euangelicæ legis obſeruatione agatur. Nã qui craſſiora vitia exuerunt, vitiis linguæ vt plurimũ ſunt obnoxij. Qui ne-

que adulter erit,neque fur,neque ebrioſus, neque homicida,quin poti' externa ſanctimoniæ ſpecie fulgebit,aliorum famam lacerando,ſe iactabit:zeli quidem prætextu, ſed obtrectãdi libidine. Ita Phariſæus intra ſe dicebat: *Hic ſi eſſet propheta,ſciret quæ & qualis eſſet mulier quæ tangit eum.* Et alius eiuſdem furfuris: *Non ſum ſicut cæteri hominum,aut hic Publicanus.* Proinde hîc veros Dei cultores ac verè religioſos Apoſtolus diſcernit ab hypocritis, qui Phariſaico ſupercilio ita turgent, vt laudem captent ex aliorum omnium ſuggillatione.

Luc 7. *Luc 18.*

Apolog. 1. NAZIANZENVS rectè æſtimat pietatem (quæ & religio dicitur) non in multũ,& ſæpe de Deo loquendo,poſitam eſſe, ſed vt plurimùm in tacẽdo: ſempérque minus periculum eſſe audire, quàm loqui conſentit. AVGVSTINVS de ſeipſo, cùm ab errore Manichæorum ad orthodoxã fidem accedere meditaretur,ſcribẽs:Cùm te Domine in ſilentio quærerẽ, magnæ voces erãt ad miſericordiã tuã tacitę cogitationes animi mei. Cõtra verò,de Fauſti Manichęi multiloquio ait: Erat magnus laqueus diaboli,& multi implicabãtur in eo per illecebrã ei' ſuauiloquẽtiæ, &c.

l. 7. Confe. c. 7. *l. 5. Conf. c. 3.* *Ser. 3.*

Author quoque ſermonũ ad fratres in eremo, apud eundẽ,loquacitatẽ ſic dãnat:Sermo vanus vanæ cõſciẽtiæ index eſt.Qualis es,tales ſermones loqueris:& qualis fueris in factis, talis eris in verbis.Verboſitas hominẽ facit ioculatorẽ, dignitatẽ deponit,honores rapit,inimicos infinitos acquirit.Magis eſt linguã frenare, quã capere ciuitatẽ:quia illud inſultat exteri',iſtud interiùs.O lingua,tu periculũ immittis,tu luctum

producis, diſcordiam ſpargis, proditionis & detractionis venenum paris, & ad infernum perducis, &c. *l.3.in Io.c. 26.*

CYRILLVS Alex. multiloquium effrenatæ linguæ etiam ex hoc D. Iacobi loco his coarguit. Imperito ſermone, taciturnitas præſtantior eſt: vnde ſale condire ſermonem noſtrum à diſcipulo Chriſti iubemur, *Sit ſermo veſter ſale ſemper conditus.* Sed & linguæ loquacitatem damnari à beato Iacobo cognoſcamus. Si quis fidelis in vobis videtur, qui non frenat linguam ſuam, ſed decipit cor ſuum, huius fides inanis eſt. *Coloſſ. 4.*

BERNARDVS quoque ſic à minori ad maius colligit. Si de omni verbo otioſo homines ſunt redditurì rationem; quantò diſcutiùs de verbo mendaci, mordaci, iniurioſo, elato, laſciuo, adulatorio, & detractorio iudicabuntur? Non eſt igitur maledicendo exercenda lingua: ſed ſtudiosè cohibenda & frænanda, ſi verè pij & dici & eſſe cupimus. *De triplici cuſtodia. Matth. 12.*

Nec corde ſeducamus noſipſos in morem hypocritarum, qui nimio amore ſui excæcati, longè ſe meliores, eſſe, quàm reipſa ſint, ſibi perſuadent. Atque hic fons omnis intemperantiæ, & hinc obtrectandi morbus, quia non conſpicitur à tergo mantica, vt eſt in Æſopi apologo. Quò pertinet illud Chriſti: *Cur vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ eſt in oculo tuo non conſideras?* Blanditiæ ergo quibus ſe fallunt vitiis ſuis parcendo, eos tam ſupercilioſos faciunt aliorum cenſores. *Matth. 7.*

Cùm autem ſubiicit Apoſtolus, illorum va-

nam eſſe religionem, ſignificat fidem, ſpem, Charitatem, iuſtitiam, temperantiam, & reliquarum virtutum chorum, vnius maledicentiæ veneno intoxicari & corrumpi. Quanta ergo ex vnius peccati contagione, bonorum iactura? Quinetiam, qui linguam ſuam non cohibet fręno, ſpeciem licet ſanctitatis in aliis habeat, interea maledicendo ſeſe oblectat: hic conuincitur non verè Deum colere. Nam ſi ex animo coleret, fratres atque proximos ſuos ad imaginem Dei factos maledictis ſuis non laceraret.
l. 1. Soliloq. c. 2. tom. 1. Ait enim Auguſtinus: Homines amo non eò quòd animalia, ſed eò quòd rationales animas habeant, quas amo etiam in latronibus.

26. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt, Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.*

Iſta nunc ſententia docet, quæ ſit vera religio, quam toto pectore amplecti & tueri oportet, ſiquidem coram Deo iuſti & ſalui eſſe cupimus. Non quòd in vniuerſum illam deſcribat, ſed quòd ſine his officiis integra & pura eſſe nequeat: id eſt abſque miſericordia & caritate in proximos, & innocentia ſine cuſtodia vitæ propriæ. Senſus autem eſt, Qui phariſaiſmum reſipiunt, religionis ſummam conſtituunt in magnis & albis ſtolis, phylacteriis, lotionibus pedum & manuum, ſanguinibus hircorum, nidoribus combuſtarum in altaribus carnium, & reliquis legalibus ceremoniis, quæ per ſe nec bonæ ſunt nec malæ, quoniam

per hypocritas & reprobos fieri poſſunt,etiā in falſorum deorum honorem. At vera & germana Pietas conſiſtit in animi vera caritate, ac vitæ innocentia coram Deo. Quemadmodum igitur miſericordiam cæleſtis ac ſummi Patris circa nos experimur quotidie, ita viciſſim erga proximos, afflictos præſertim, miſericordes ſimus & benefici, ſi veram & ſalutarem religionem ſectamur. Nam Deus ſolus mundæ & immaculatæ religionis author, ſibi fieri reputat, quicquid in fratrem ſui amore collocauerimus. Religioſus & pius eſt apud Iudæos, qui *Matth. 15.* morticinia non contigerit, carnem ſuillam non comederit, &c: apud Deum verò is verè pius & religioſus eſt, qui pupillis & viduis adfuerit, qui oppreſſum ſubleuauerit, qui indigentem iuuerit, nudum veſtierit, vinctum ac infirmum inuiſerit: qui denique animum huius mundi fœdis & iniquis voluptatibus vel non inquinauerit, vel inquinatum fructibus penitentiæ diligenter expurgauerit.

In his autem primùm inquirendum,vnde ſit ortum Religionis nomen: hinc, quare munda & immaculata vocetur: inde, quibus officiis & operibus vacare doceat. Quod ad primum pertinet, Lactantius vult Religionem *l.4.c.28.* dici à religando, quoniam per hoc pietatis vinculum Deo religamur & obſtringimur. Et paulò poſt: Diximus nomen Religionis à vinculo pietatis eſſe deductum, quòd homines ſibi Deus religauerit, & pietate conſtrinxerit, quia nos ſeruire ei vt Domino, obſequi vt Pa-

tri neceſſe eſt. Hieronymus conſentit his verbis: Ipſa Religio à religando, & in obſequiis Domini vinciendo nomen accepit. Concordat Ambroſius, vbi virgines Deo nuptas, velut eidem religatas adfirmat. Subſcribunt huic ſententiæ ac etymo, Auguſtinus l. 1. Retractationum, c. 13. lib. de vera religione, c. 55. & Iſidorus lib. 28. etymolog. Si autem iſta religatio, quæ dicitur Religio, conſiderata fuerit penes articulos fidei, & præcepta Decalogi, omnes veri Chriſtiani, verè ſunt & dicuntur coram Deo religioſi: adeò vt pius miles, pius agricola, pius artifex, verè ſit religioſus. Quibus ſi addideris vota ſolennia de obſeruādis cōſiliis euangelicis, de Apoſtolica paupertate, obedientia, & caſtitate pro viribus ſectāda: qui magis propriè Religioſi nuncupentur, pleniùs intelliges.

Cō. in. c. 7. Amos.

l. de virginibus.

Hæc porrò *Religio munda & immaculata coram Deo & Patre*, dicitur, non tantùm vt diſcernatur ab impuris ſuperſtitionibus gentilium, idololatrarum, Turcarum, Iudæorum, Hæreticorum: verumetiam quòd expers eſſe debet hypocriſis atque ſimulationis. Quantis impuritatibus maculatæ & fœdæ fuerint Simonianorum, Nicolaïtarum, Carpocratianorum, & veterum Gnoſticorum ſectæ, oſtendimus Annotationibus in D. Irenæum. Quàm etiam ſordidi & conſpurcati ſint Lutheranorum, Caluinianorum, Anabaptiſtarum, & recentium Hugnoſticorum cœtus, vel vnus Lutherus omnium eorum parens, ſatis aperuit, docens: *Si nolit vxor, veniat ancilla. Tam neceſſe eſt homini cum fœmina rem habere,*

quàm edere, bibere, dormire, ſpuere, &c. Quid, quod Beza Caluinianorum hac ætate coryphęus, editis vulgatíſque per orbem Poëmatibus, de ſua cum quodam Audeberto præpoſtera venere, & variis cum Cãdida meretrice adulteriis & ſcortationibus gloriatur? Non eſt igitur inter Hugnoſticos *Religio munda & immaculata coram Deo & Patre,* quãtumuis de ea glorientur, & coram faſcinatis à ſe miſeris triumphent: verùm ſecta ex veterum hæreticorum blaſphemiis & impuritatibus conſarcinata & commaculata. Pulcrè additur, *apud Deum & Patrem,* ait Beda, quia ſunt qui hominibus religioſi (adde, & omnibus ſuperſtitionibus põtificum defœcati, & reformati) videntur: cùm à Deo habeantur prophani. Vnde & Salomon ait: *Eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* *Prou. 14.*

Veræ Religionis porrò hîc tantùm duo attingit officia: cætera paſſim explicantur alibi. Primum eſt, miſericordiam & beneficentiam exhibere erga proximos, cùm in afflictionibus & miſeriis verſantur. Licèt enim pupillorum & viduarum dumtaxat expreſsè meminerit, nõ eſt tamen dubitandum, quin ſub his nominibus alios complures, adeóque omnes oppreſſos & afflictos, quibus ſuccurrere debemus, comprehendit. Illos autem præſertim nominat, quòd magis paſſimque occurrant: quódque & viduæ virorum ſuorum, & pupilli parentum præſidiis ſint palam deſtituti, eóq; faciliùs improborum iniuriis pateant. Opus ergo religionis & pietatis eſt, illis opem ferre aduerſus oppreſſores,

eiſdémq; rebus noſtris opitulari dum indiguerint. Hoc alibi Dominus exemplo ſuo confirmat, cùm ſe horum præcipuè & patrem & defenſorem declarat, vt omnes ad idem præſtandum accendat & prouocet. Addidit & manifeſta de his mandata: ſubiecit etiam comminationes aduerſus oppreſſores illorum. *Vidua &*
Exod. 22. *pupillo*, inquit, *non nocebitis: Si læſeritis eos vociferabunt ad me; & ego exaudiam clamores eorum; & indignabitur furor meus; & percutiam vos gladio; & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij ve-*
Pſ. 71. *ſtri pupilli*: Et in Pſalmis dicitur, *Pater orpha-*
Pſ. 131. *norum, & iudex viduarum.* Promittit in iiſdem:
Pſ. 145. *Viduam benedicens benedicam, & pauperes ſaturabo panibus.* Denique, *Pupillum & viduam ſuſcipiet*, &c.

Alterum veræ Religionis officium eſt, *immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*, id eſt, animum non polluere criminibus, corruptiſſimis moribus, ac fœdiſſimis voluptatibus: ſed purum ſe cuſtodire à concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ totum mundum occupant.
1. Io. 2. Totum ſe conſecrare Diuinæ voluntati, præclaríſque incumbere virtutibus. Piè hîc ſcribit beatus Aquinas: Qui mundum diligit, immaculatum ſe nō cuſtodit: vnde ſolent dici verſus:

Mundus non mundus, quia mundus polluit. Ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

l. Manua lis, c. 30. *His alios non minus pios adiiciam ex Auguſtino:*

Quiſquis amas mundum, tibi proſpice quò ſit eundum.
Hac via qua vadis, via peſſima plenáque cladis:

De hoc mundo, id eſt, mundi amatoribus & Io. 1.
ſequacibus Scriptura dicit: *Mundus Deum non* Io. 14.
cognouit. Spiritum veritatis non poteſt accipere. Spi- Io.16.
ritus ſanctus arguet mundum de peccato, & de iuſti-
tia, & de iudicio. Sapientia huius mundi ſtultitia
eſt apud Deum. Et Chriſtus de eodem: *Mundus* Io.17.
me odit, eò quòd arguo opera eius. Pro mundo non rogo. Io.18.
Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c. Cõcludit 1.Io. 2.
itaque Ioannes: *Cariſsimi, nolite diligere mundum, &c.* Atque hæc de primo capite.

CAPVT SECVNDVM.

Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri IESV Chriſti gloriæ.

IN hoc ſecundo capite duo loci tractantur: alter de non contemnendis pauperibus Chriſtianis præ diuitibus, cùm fides in IESVM Chriſtum acceptionem perſonarum non patiatur. Alter de bonis operibus, ex quibus fides erga Deum & proximum oſtenditur. Ex his autem duobus locis, tanquam ex ſpicilegio colliguntur tractationes de cœtibus Eccleſiaſticis, de pauperibus, de diuitibus, de proximorum dilectione, de impletione Legis, de miſericordia. Item de fide totius Chriſtianiſmi fundamento, de bo-

norum operum neceſſitate ac efficacia, de fide dæmonum, de Abraham patre fidelium, Raab muliere ſanctiſſima, &c. quorum omnium explicatio non minus eſt vtilis, quàm neceſſaria.

Increpans igitur & coarguens D. Iacobus corruptos illorum mores, qui ſpretis piis pauperibus, tantùm diuites in pretio habebant, à quibus vel lucelli vel gloriolæ quippiam ſperabant: aſſerit illos vera & ſalutari in Chriſtum fide carere, quando ſic Caritatis rationem non ſeruarent. Ac ſi diceret, Ne putetis vos fratres, habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti glorioſam & illuſtrem: fallimini opinione veſtra cùm caritatem non habeatis. Hanc vos non habere id planè arguit, quòd reſpectum habetis perſonarum indebitum, cum quo nec fides nec caritas conueniunt. Etenim qui proximum amat propter Deum, & qui Deum amat in proximo, non illum metitur, quòd potens ſit, aut diues, aut nobilis: ſed quatenus Diuinis bonis abundat. Ad hanc autem æſtimationem nihilo potior eſt rex aut diues, quouis humili aut paupere. Pro omnibus ex æquo mortuus eſt Chriſtus, & omnes ex æquo vocantur ad immortalitatis hæreditatem. Proinde, ſi verè fiditis promiſſis Chriſti, nolite facere diſcrimen perſonarũ iuxta rerum mundanarum æſtimationem. Non opulentis, ſed pauperibus pollicitus eſt regnum cælorum. *Matth. 5.*

DE

DE PERSONARVM ACCEPTIONE.

ANTE ſpecialem contextus explicationem, 1.
primò dicendum eſt, quid ſit perſonarum acceptio: hinc, quando ſit peccatum mortale: inde quibus, & quot modis prohibeatur. Eſt autem Προσωποληψία, id eſt, perſonarum acceptio, cùm res æſtimatur ex habitu externo, nihil faciente ad negotium de quo agitur. Vt ſi eligendus ſit Epiſcopus, tantùm ratio habeatur formæ corporis, diuitiarum, nobilitatis, &c. Vel aliter, Acceptio perſonarum eſt inæqualitas iuſtitiæ diſtributiuæ, qua aliquid confertur alicui præter proportionem, dignitatem, atque meritum; illis prætermiſſis ac neglectis, qui meruerunt atque digni ſunt. Exempli gratia; Reges & Magiſtratus qui ſunt debitores iuſtitiæ diſtributiuæ ſubditis, ſi hunc conſtituant iudicem, qui leges non nouit: aut Rectorem prouinciæ, qui nec domum priuatam bene regere poteſt: vel illum Ducem exercitus, qui nunquam arma tractauit, ea tantùm ratione quòd conſanguineus ſit aut diues, aut pecunias in ærarium publicum retulerit: prætermiſſis ſapientibus, prudentibus, & fortibus aliis, acceptores ſunt perſonarum. Pontifices ad opima ſacerdotia quoſdam promouentes, non quia literati, pij, ac Eccleſiæ vtiles: ſed quia cognati ſint aut pecunioſi, procul dubiò perſonarum acceptione peccant, &c.

2. Hæc enim peccatũ eſt mortale, primò, quo-
Matth.6. niã repugnat bonitati, æquitatíq; Diuinę, quã vt
Epheſ.5. filij imitari iubemur, Chriſto præcipiente: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Paulo quoque ſcribente: *Imitatores Dei eſtote, ſicut*
Deut.10.
2.Paralip. 19. *filij cariſsimi.* De illo autem dicitur, *Deus magnus, & potens, & terribilis, perſonam non accipit, nec munera.* Et alibi. *Non eſt apud Dominum Deum noſtrum*
Sap.6. *iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Et Sapiens: *Non ſubtrahet perſonam cuiuſquam*
Act.10. *Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam.* In
Rom.2.
Epheſ.6. Actis Apoſtolorum denique Petrus exclamat:
Gal.2. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum, & operatur*
Sap.6. *iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Omnia namque adminiſtrat in numero, pondere & menſura. Eſt illi cura æqualiter de omnibus. Iudicat orbem terræ in æquitate, & populos in iuſtitia. Reddet vnicuique iuxta opera ſua. Recipiet vnuſquiſq; pro vt geſſit in corpore ſiue bonũ ſiue malum. Tantò igitur acceptores perſonarum grauiùs peccant, quantò longiùs ab eius imitatione, & præſcriptis recedunt.

3. Secundò, peccatum eſt, quoniam aduerſatur expreſſis legibus ac prohibitionibus Diuinis.
Pſ.9.&95. Magiſtratibus enim ſtrictè inhibetur, in decer-
Rom.2. nendis iudiciis, ac ferendis ſententiis. Ne conſi-
2.Cor.5. derent perſonam pauperis, nec honorent vul-
Leuitic. 19. tum potentis, ſed iuſtè iudicent. Ita paruum
Prou.18. audiant ſicut mãgnum, nec accipiant perſonas, nec munera: quoniam munera excæcant oculos ſapientiũ. Et Salomon ait: *Accipere perſonam impij*

in iudicio non eſt bonum. Et Siracides: *Iuſtifica puſillum & magnum ſimiliter.* Grauiſſimè coarguũtur apud Iſaïam principes, quòd eſſent ſocij furum, diligerent munera, ſequerentur retributiones, pupillis non iudicarent, & cauſa viduæ non ingrederetur ad illos. Et per Ieremiam ait Dominus: *Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non dilexerunt. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus. Aut ſuper gentem huiuſmodi non vlciſcetur anima mea?* Eccl. 5. Iſa. 1. Ierem 5.

Tertiò, multo grauius peccatur à ſacris hominibus, id eſt, eccleſiæ Præſulibus, quando perſonarum fit acceptio in promotionibus ad ſacras eccleſiaſticáſque dignitates. Nam nec Moſes, nec Samuel proprios filios poſt ſe ad ſacerdotium publicum promouerunt: nec Chriſtus conſanguineis ſuis Ioanni & Iacobo, ſed Petro, Eccleſiæ ſuæ clauum commiſit. Neque voluit eiuſdem Eccleſiæ ſuæ ſummum ſacerdotium, aut inferiores dignitatum illius gradus eſſe ex carnis ſucceſſione, ſed libera Cleri electione: vt omnem perſonarum acceptionem è grege ſuo excinderet atque propelleret. 4.

Quartò, ab eiſdem quoque delinquitur, quãdo in mulctis ac punitionibus pro peccatis pœnitentibus imponendis, vnus abſque rationabili cauſa, aut præfertur, aut poſtponitur alteri. Decreuit enim concilium Laodicenum, quod & in decreta publica relatum eſt: Sacerdos pœnitentiam imploranti, abſque perſonarum acceptione, pœnitentiam ſecundũ leges iniũgat. Et pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus at- 5. Cap. 2. 26. q. 7. c. Sacerdos.

tribuendum eſt,propter miſericordiam & bonitatem Dei.

6. Quintò etiam peccant, ſi cum acceptione perſonarum doctrinam fidémque Chriſtianam annuncient. Hæc enim pietas,quia communis, & omnibus ad iuſtitiam & ſalutem eſt neceſſaria, vniuerſis æqualiterque offerenda & prædicanda eſt. Apoſtolis ſiquidem dictum eſt: *Vos eſtis lux mundi, & ſal terræ.* Item. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Paulus eximius illius præco,profitetur ſe Græcis & barbaris,ſapientibus & inſipientibus eſſe debitorem. Verè à Phariſæis Chriſto dictum eſt, *Verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum.*

Matth.5. *Matth.28.* *Rom.1.* *Matth.22.*

7. Sextò, delinquunt quando in erogandis eleemoſynis, aut hoſpitio colligendis peregrinis, cùm id præſertim amore Dei petunt, & omnibus ea præſtari poſſunt, externam indebitámque perſonarum acceptionē ſeruant. Ait namque Chryſoſtomus, quod & in Decretis collectum eſt, Si pro nutrimento poſtulatus fueris, ne in his examines, cùm Abraham hoſpitalem ſe circa omnes oſtendebat. Si ſcrutator fuiſſet refugientium ad ſe, nunquam Angelos hoſpitio recepiſſet. Et Hieronymus: Eleemoſyna omnibus indifferenter præbeatur: ſcriptum quippe eſt: Omni petenti te tribue. Bernardus denique de hoc peccato ſic Eugenium olim diſcipulum,tunc ſummum Pontificem alloquitur: Eſt quod ſæpè & noxiè inſidiari iudicantibus ſolet: Acceptio perſonarum; Non parui te reum

Hom 2. ad Hebr. *Diſt.42. cap. Quæſumus.* *Ep.ad Paulinum.* *Luc.6.*

peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum ſumis, & non potius cauſas iudicas meritorum. Eſt item vitiũ, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedras aſcenderũt, ſedebis me iudice, ſolitarius, quia veraciter ſingulariterque leuaſti te ſuper te. Facilitas incredulitatis hæc eſt, &c.

Accedit, quod etiã ethnici ab illa diſtributiuę iuſtitiæ corruptela, ſola duce Natura, abhorruerint. Refert enim Lucianus, ideo noctu, & in tenebris Areopagitas iudicare ſolitos fuiſſe, ne ad dicentes reſpicere poſſent: ſed ad ea quæ dicerẽtur. Et Socrati ad æquitatis cumulũ apponitur, quod neque vxorẽ, neque liberos in iudiciũ voluit adducere, ad excitandam iudicũ erga ſe cõmiſerationẽ. Ariſtoteles quoque illam Oratorię partem, quæ ad commouẽdos affectus expoſita eſt, condemnat: Areopagum Atheniẽſium hac maximè ratione commẽdans, quòd illam partẽ à ſuo iudicio relegatam haberent. Demoſthenes quoque ait, Delicta ſine diſcrimine perſonarum diuitis & pauperis pari ſeueritate vindicanda. Eandem perſonarum acceptionem facetè ſalſéque taxauit Xenocrates, vt eſt apud Laërtium, quando vidẽs quendã latronẽ ad patibulũ duci, ſubriſit, dicẽs: Quòd magni fures, minores morte damnabãt. Valerius laudat Anacharſin, quòd humanas leges telis aranearum cõparaſſet. Nã vt illis infirmiora animalia retinentur, valẽtiora perrumpunt: ita his humiles & pauperes conſtringũtur, diuites & præpotẽtes non alligãtur. Tullius denique ſeriò dolet, quòd multo plura

8. *Li. 2. de cõſiderat. in Hermotimo.*

Li. 1. Rhet.

Contra Midium.

Lib. 7.

Li. 2. de oratore. homines iudicāt odio, aut amore, aut cupiditate aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis: quàm veritatis præſcripto, &c.

Sed hæc hactenus: nūc ad Epiſtolæ cōtextum redeundum. Apoſtolus igitur propoſitionē ſuā, De perſonis propter externas laruas & cōditiones non acceptandis, pauperibúſque in cœtibus eccleſiaſticis ob pauperiē non contemnēdis vel repudiandis, aliquot argumētis exornat & confirmat. Primū latet in duabus iſtis vocibus, *Fratres mei*, quandoquidē omnes Chriſtiani fratres ſint: & fratres quandā habeant per ſe cōditionis æqualitatē, quapropter non debent habere reſpectum perſonarū: id eſt, non oportet eos externis diuitiarum pompis, & pretioſarum veſtium ſplendoribus aliquid tribuere, cum pauperū ignominia. Pauperes nāq; perinde in Chriſto fratres ſunt atque diuites: imò frequēter magis excellunt Chriſtianis virtutibus, quàm opulēti & perſonati diuites. Scribit autem Nigidius apud Gelliū, fratris vocabulū ſubtili etymologia interpretatū dici, quaſi ferè alter. Ambroſius autē & Auguſtinus adfirmāt, maiorē eſſe fraternitatem Chriſti, & religionis, quàm carnis & sāguinis; quoniā hæc ſimilitudinē tantùm corporis refert, illa verò vnanimitatē cordis & animæ demōſtrat, ſicut ſcriptum eſt: Credentiū multitudinis erat cor vnum, & anima vna: Subiiciūt; illa fraternitas ſanguinis interdum ſibi inimica eſt, vt Cain & Abelis, Iſaac & Iſmaëlis, Eſau & Iacob, Amnon, & Abſalón, fratrumque Ioſeph

Li. 13 Noct. Attic c. 10.

Ser. 9. & 29. Ser. 27. de verbis Apoſtoli.

Act. 4.

patriarchiæ docēt exēpla. Chriſti autē fraternitas ſine intermiſſione pacifica eſt. Illa inter ſe cōmunia cū æmulatione diuidit: Hæc cū gratulatione propria cōmunicat. Illa in conſortio ſæpe deſpicit germanos: hęc aſſumit frequēter extraneum, &c. Itaq; vt ad mutuā frarernamq; beneuolentiā Chriſtus & Apoſtoli eius vniuerſos incitent, & omnē tollāt perſonarū acceptionē, ferè ſemper nos fratrum gratioſiſſimo cōpellāt nomine. Paulus denique caritatē, & amorē fraternitatis impenſiùs commendat. *Rom.* 10.

Secūdū argumētū cōtinetur in verbis, *Domini* *1. Theſſ.* 4. *noſtri IESV Chriſti.* Quoniā ſi Dominus eſt om- *Heb.* 13. niū, & nos omnes ſeu diuites ſeu pauperes, illius *Rom.* 10. ſerui, atque ita cōſerui ſumus: ergo pauperes nō debēt abiici aut cōtemni propter diuites. Pater nāq; dedit ei omnia in manu. Data eſt ei omnis *Ioan.* 13. poteſtas in cœlo & in terra: Conſtituit eū Pater *Matth.* 28. in cœleſtibus ſuper omnē poteſtatē, principatū, *Eph.* 1. dominationē, & omne nomen quod nominatur *Pſal.* 8. non ſolùm in hoc ſæculo, ſed & in futuro. Ergo cùm ſub tam generali, & præpotenti dominio pij omnes, ſeu egeni, ſeu opulenti, ſiue honorati, ſiue inglorij: ſeu ſeruj, ſeu Domini contineātur, æqualiterq; ſubiiciātur, nō debet eſſe inter illos propter cauſas indebitas acceptio perſonarum.

Tertiū notāt nomina *Fidei gloriæ Chriſti*: atque *Heb.* 12. huiuſmodi poteſt eſſe ſenſus: Chriſtus glorioſæ *Marc.* 16. fidei noſtræ author eſt atq; cōſummator. Hanc *Matth.* 28. autē indiſcriminatim, & ſine vlla externarum *Act.* 1. mūdi pōparū acceptione, omni creaturæ prædicandā iuſſit. Ille rurſū ad ſe ſe vocat omnes qui

laborant, & onerati ſunt, vt eoſdē ſubleuet atq;
Matth.11. cōſoletur, abſq; vllius larue indebita ratione. Sa-
Matth.13. gena eius in mari miſſa congregat omne genus
Matth.22 piſciū. Omnes congregare iuſſit ad regales nuptias, imò & quoſdā compellere vt in eas intrarent. &c. Igitur nō debetis hūc hominē à ſacrarū rerū cōſortio repellere, quòd pauper ſit & pānoſus: illū autē cū omni honore excipere, quia diues eſt atque glorioſus. Grāde etenim peccatū eſt, hominē æſtimare ex fucatis & fallacibus bonis, non ex veris quæ ſunt in animo. Hoc qui faciunt, non habent glorioſam & magnificā fidē: ſed deſtituuntur iudicio, veritate, & caritate.

Li.12. theſ. c.13. & Dialogo.6. de Trinit. Nec pretereundū, epitheton τῆς δόξης à beato Cyrillo, referri ad Chriſtum, vt cum Κυρίου coniūctū ſit: & hîc appelletur *Dominus gloriæ*. indéque contēdit aduerſus Iudeos, Ebionitas, Samoſatenianos, & Arrianos, illum nō fuiſſe purā creaturā: ſed natura eſſentiaque æternū Deū, ac Dominū gloriæ. Quomodo autē *Dominus glo-*
Iſa.42. *riæ*, Filius erit, ſi cōſubſtātialis Patri non eſt? Nihil enim poteſt habere gloriam Dei, nec gloriæ Dominus appellari, præter Deúm. Non poteſt mentiri Spiritus veritatis, per quē Pater in ſan-
Pſal.23. ctis prophetis locutus eſt dicens: *Gloriam meam non dabo alteri*. Quoniam ergo tantus eſt ſplendor Chriſti, vt omnes mundi ſplendores & glorias toto cœlo ſuperet, ideo in ſacris appellatur *Rex gloriæ*, naturâ verè Deus eſt. Hūc autem cum gloria ſua parui facimus, ſi hominum totiúſque mundi gloriam plus æquo miremur.

His adiicit vener. BEDA, Chriſtum vocari *Dominum gloriæ*, primùm, quòd ſecundùm Apoſtolum, *ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris*, id eſt, quòd æternam & infinitã Patris gloriam, mũdo priùs ignotã, credẽtibus manifeſtauit, tãquã lumẽ de lumine, & Deus verus procedens de Deo vero. Deinde, quòd ſempiterna gloria remuneret quicquid pro eius amore pauperibus datur, iuxta illud; *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Et quòd amatoribus pauperum ſuorum dicturus ſit: *Poßidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Heb.1. Pſal.111. Matth.25

Denique, & ſi in vita ciuili Deus conſtituerit varios officiorum & dignitatum gradus; tamen in eccleſiaſticis adminiſtrationibus nec impiis diuitibus oportet adulari, nec pios pauperes contemnere,

2. *Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens, in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu:*

3. *Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei, Tu ſede hîc bene; pauperi autem dicatis, Tu ſta illic, aut, Sede ſub ſcabello pedũ meorum:*

4. *Nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?*

Propoſitionem generalem, De non accipiendis propter cauſas indebitas perſonis, illuſtrat hypotheſi, id eſt, caſu, ſeu exemplo eius quod fieri poterat, quaſi iam factum eſſet. Ac primò, per conuentum ſignificãtur cœtus ſeu congregationes publicæ profanæ, in quibus conuenie-

bant Chriſtiani,vt iuſtis legibus & arbitris, domeſticas vel politicas,communéſque lites dirimerent. Hinc etiam coitiones ſacras & Eccleſiaſticas intellige,in quibus ſacris operabantur.
*Gen.*34. Priorum conuentuum loci inter Iudæos erant
*Deut.*31. potiſſimùm portæ vrbium, vt ex aliquot Scri-
Iob 34. *Ruth.*4. pturarum teſtimoniis luculenter apparet.Et de
*Prou.*31. mulieris fortis & prudentis merito dicitur:*Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus*
*Math.*27. *terræ.*Inter Gentiles autem erant Prætoria, Cu-
*Io.*18. riæ,Tribunalia:quemadmodum dicitur Pilatus exiiſſe prætorium,ſediſſe pro tribunali. Paulus à militibus Præſidis deductus fuit in prætoriū,
*Act.*23. & ſeruatus à furore Iudæorum.Habebant quoque publica & magnifica palatia,ſublimes thronos & curias,in quibus cōuentus forenſes agebant: atque veriſimile eſt Chriſtianos vtriſque ſeſe accommodaſſe in his rebus externis, quantum per fidem & pietatem ſuam eis licuit. De poſterioribus,id eſt, Chriſtianis & ſacris conuentibus,ad maiorem huius ſententiæ explicationem, commodum ſimúlque iucundum erit hîc paulò latiùs diſſerere;primò,de locis in quibus fiebant;ſecundò, de ornamentis locorum; tertiò,de ordine in his ſeruato: quartò,de tempore quo fiebant:quintò,de his quæ in locis illis agebantur,&c.

De locis ſacrorum conuentuum.

1. Primò itaque, loca in quibus ab initio conueniebāt Chriſtiani,vt ſacris operarentur, paſſim vocantur templa,oratoria,ſynagogæ,eccleſiæ, dominica, domus Dei,martyria, baſilicæ,

memoriæ & cryptæ martyrum, cœmeteria, &c. Conſtat enim ex Actis Apoſt. diſcipulos Chriſti in templo Ieroſolymitano tandiu oraſſe, & verbum Dei prædicaſſe, quandiu à Iudæis eiſdem permiſſum eſt. Quando verò ab hoc ſunt eiecti & prohibiti, denique illud euerſum fuit à Romanis, tùm aliis locis, id eſt, honeſtis fidelium domibus conuenerunt. *Conueniebant per domos*, ait Lucas. Stephanus eiectus à ſynagoga, priùs in eam ad euangelizandum intrauerat. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Petrus cõcionem habuit, baptizauit, & Spiritus dona per manum impoſitionem contulit in ædibus Cornelij. In domo Mariæ, Ioãnis, Marci gentricis, congregata eccleſia, ſine intermiſſione orationem faciebat pro liberatione Petri ex Herodis carcere. Quinetiam deſcribitur in Euangelio *cœnaculum magnum ſtratum*, quod Chriſtus Euchariſtiæ cõſtitutione, cõcionibus, orationibus, & hymnis dedicauit. In eodem poſt Chriſti aſcenſionem, Apoſtoli perſeuerabant in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesv. Dum in eo aduenit ſuper eos Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes: & primas conciones habuerunt de Chriſti aduentu, paſſione, & reſurrectione ad populum. In ipſomet ſacro loco beatiſſima Deipara fertur cum Ioanne manſiſſe, vſque ad tempus migrationis & aſſumptionis ſuæ. Illic à Chriſtianis poſtmodum ædificata fuit præclara eccleſia, quam vocauerunt, *Eccleſiam ſanctã montis Sion*. Philo Iudæus apud Euſebium, refert

Act. 1. 2. 3. 4 7. 21.
Act. 2.
Act. 7.
Act. 10.
Act. 12.
Mar. 14.
Io. 13. & 18.
Matth. 26.
Act. 1. & 2.
Metaphra.
Iuuenal.
Damaſc.
Niceph.
l. 2. hiſt. c. 17.

Chriſtianos tunc habuiſſe domos Deo dicatas, quę à quibuſdam σεμνεῖον, id eſt, auguſtum templũ, vel μοναςήρια, (Latinè, locus ſolitarius dici poteſt) in quas ad peragenda ſacra conueniebãt.

l. 2. conſt. c. 56. Clemens templorũ Chriſtianorũ formã his ex tralatione Turriani verbis deſcribit: Primùm quidem ſint domus oblongæ ad orientem verſus, naui ſimiles, ex vtraque parte paſtophoria, (id eſt, ſacraria, armariola, vel tabernacula, in quibus Euchariſtia pro infirmis, vaſa ſacra, libri, veſtèſque ſacerdotales ſeruarentur) habentes, &c. *l. adu. Valentin. c. 2.* Conſentit Tertullianus ſcribens: Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper, & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus ſancti, Orientem Chriſti figuram. Ipſa profectò Imperatorum edicta de euertendis Chriſtianorum Eccleſiis ab Euſebio recitata, luce clariùs oſtendunt, illas iam antea fuiſſe erectas, & vt Euſebius habet, *l. 8. hiſt.* pro creſcente fidelium numero, in vniuerſis vrbibus fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, conſtructas. *Cent. 2. c. 6. col. 115.* Ex quibus apertè & ſolidè refutatur Centuriatorum magnum & impudens mendaciũ, quo ſcribunt: *Templis ac ædificiis publicis operam dare, tũ nõ ſiuiſſe continuas Chriſtianorũ perſecutiones.*

De ornamentis ſacrorum locorum.

Ornabantur in primis Altaribus erectis & Deo ſacratis, quæ menſæ Dominicæ & ſacræ, & aræ dicebantur: in quibus offerebant & ſacrificabant, vt ex ſacris litteris, & omnium veterũ hiſtoriis ac teſtimoniis alibi probauimus. *l. 1. Appendicis Annot. in l. 4. Iren. c. 20. & 34.* Tantùm his addo, Paulum de altaribus Chri-

ſtianorum apertè ſcribere 1. Cor. 10. *Non poteſtis eſſe participes menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum.* Quæ porrò menſa dæmoniorum, præter altaria in quibus Ethnici ſuis idolis immolabant? Nonne ergo menſa dominica, ſacrum altare? Et idem rurſum dicens: *Habemus altare, de quo edere poteſtatem non habent, qui tabernaculo deſeruiunt:* Chriſtianorum altaria apertè deſignat. *Heb. 13.*

Extabant & ſacræ imagines tum in tabellis depictæ, tum erectæ; atque in primis Domini IESV de cruce pendentis & patientis, vt Lactantius ante mille & ducentos annos, lectiſſimis verſibus docuit. Conſentit Athanaſius magnus libello de paſſione imaginis Domini noſtri. Deinde, ſanctorum Apoſtolorum & martyrum, vt omni fide digni teſtes ſunt Prudẽtius ac Euſebius. His longè antiquior Tertullianus, palam teſtatur in ſacris calicibus inſculptas fuiſſe Chriſti, inſtar paſtoris, ouem aberrãtem in humeris referentis, imagines. Magnus antiſtes & doctor Auguſtinus ſcripſit, Petrum & Paulum vnà cum Chriſto depictos proſtitiſſe: & Abrahæ filium ſponte immolantis nobile factum, tot locis pictum, vt oculos diſſimulantium feriret. Inſuper Adami & Euę poſt admiſſum peccatum, foliis verende contegentium effigies. Idem rurſum, ſuadet infirmis, vt Dominicæ crucis figuram, hominíſque inibi patientis affixam imaginem, ad Crucifixi recordationem, & pigritantis fidei excitationem complectantur & venerẽtur. Ampliore manu hæc collegimus Annot. in lib. 1. Irænei, c. 24.

3. *Carm. de paſſ. Chriſti.* *De paſſion.* *Caſſian. l. 7. hiſt. c. 14.* *l. de pudic. c. 7. & 10.* *l. 1. de conſ. Euãg. c. 10.* *l. 22. cont. Fauſt. c. 73.* *l. 5. cont. Iul. Pelag.* *l. 2. de viſ. infir. c. 3.*

4. Erãt in illis & ornatiſſima Baptiſteria, in quibus Catecumeni ſacris vndis regenerabantur. De illis ampliſſimè tractãt Athanaſius magnus, Epiſtola ad omnes orthodoxos, dolens vehementer quòd per Arrianorum furores cõſpurcata fuiſſent: deinde Ambroſius lib. 5. epiſtola 33. & libro 4. de ſacramentis, c. 1. Socrates lib. 7. hiſtoriæ, c. 4. Euagrius l. 2. c. 8. Nicephorus lib. 13. c. 20. l. 16. c. 6. Auguſtinus denique l. 22. de ciuit. c. 8.

5. Decorata etiam fuerunt priſcorum Chriſtianorum templa pretioſis vaſis, linteaminibus, *l. 3. & 6. adu. Parm.* velis, & aulęis, ex auro argentóque aut ſerico contextis, vt docet Optatus Mileuitanus: qui grauiter cõqueritur, Donatiſtas hæreticos hæc omnia nefariè diripuiſſe per Africam, & in vſus *Ep. ad Heliodorum.* profanos conuertiſſe. Hieronymus laudãs Nepotianum, quòd ſolicitus eſſet, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi vela ſemper in oſtiis, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta: inſuper, quòd baſilicas eccleſiæ, & martyrum conciliabula (nos ſacella nunc appellamus) diuerſis floribus & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbraret, eleganter probat ſacrorum locorum ornatũ, eiuſdémque ſtudioſos commendat.

6. Nec deerãt luminaria, quibus nocturnarum vigiliarum tenebræ colluſtrabantur: iámque ſole rutilãte ingens gaudium in Spiritu ſancto, & doctrinæ fideíque ſplendor ſignificabatur. *l. adu. Vigilant.* 8. Etenim Hieronymus compeſcens Vigilantij aduerſus hos ritus obgannientis latratus, refert

varia luminaria per omnes oriẽtis eccleſias accenſa fuiſſe, cùm præſertim ſanctum legeretur Euangelium. Ante hunc Euſebius narrat beatum Narciſſum ſacrorum Ieroſolymorum Antiſtitem, die ſolemni vigiliarium Paſchæ, cùm oleum deeſſet ad lampades, puram aquam orationibus ſuis in oleum mutaſſe, vt illæ accenderentur. Idem rurſum, imperatorem Conſtantinum magnis laudibus effert, eo quòd candelas & lampades etiam per ſeipſum in ſacris locis accenderet. At quis negabit Chriſtum cum Apoſtolis nocte concionantem: aut Paulum vſque ad mediam mortem ſermonem protrahentem, candelarum ac lampadarum luce vſos eſſe? Et hæc de ornamentis ſufficiant.

l.6. hiſt. c.7. *l.4. de vita Conſt.* *Io.13.* *Luc 22.* *Act.19.*

De ordine ſeruato in ſacris conuentibus & locis. 7.

Quia cuiuslibet ordinis, gradus, & ſexus homines conueniebant, iuxta cuiuſque conditionem, ſine ſuperſtitioſo tamen perſonarum reſpectu, ſuis locis à Diaconis & Diaconiſſis, locus ac ſedes deſignabatur. Ac in ſynagogis quidem atque templo Iudæorũ hic ordo erat, vt Seniores in cathedris ſedentes diſſererent: ſequentes in ſubſelliis: nouiſſimi in pauimento ſuper mattas, quemadmodum obſeruat Ambroſius. In Chriſtianorum verò templis, Epiſcopo, id eſt, ſupremo eccleſiæ rectori, in medio templi cathedra ſiue thronus erectus erat, ex quo tanquam ex quadam diuina ſede, populum de fide, de ſacramentis, & mandatis cœleſtibus erudiebat. Ex vtroque autem latere ſedebant Presbyteri, aſtabant quoque Diaconi ſuccincti & ex-

Clem. l.3. c.15. Epiphanius cont. hæreſ. 79. *Com. in 1. ad Cor. c. 14.*

pediti ad obeunda ſacra miniſteria. Erat & alius editus locus, ex quo Lectores ſuo ordine ſacros legebant libros, vt ex Apoſtolorum conſtitutione tradit b. Clemens, Athanaſius magnus mentionem facit throni epiſcopalis in templis, ſubſelliorum, menſæ dominicæ, & tabularij. Euſebius lib. 7. hiſt. c. 15. ſcribit, vſque ad ſua tēpora, Ieroſolymis cum veneratione ſeruatam fuiſſe ligneam cathedram, ex qua hic beatus Iacobus cōciones habere ſolitus erat. Extat quoque apud eundem Euſebium Epiſtola concilij Antiocheni, quâ inter portentoſos Pauli Samoſateni hęreſiarchę mores recitatur, quòd nō contentus mediocris ſedis, thronum ſibi in eccleſia ad morem principum huius ſæculi, cōſtruxiſſet. Nazianzenus ait, Iulianum apoſtatam ad imitationem Chriſtianorū, in delubris idolorum thronos, gradus, & varia ſubſellia fieri curauiſſe. Nicephorus quoque ſcribit, Chryſoſtomum à primo exilio ſuo reuocatum, inuitum ac reluctantem licèt, à populo in ſede epiſcopali collocatum, vt pacem ex ſuperiore loco eidem annunciaret atque precaretur. Rurſúmque, Proclum Epiſcopū corpus eiuſdem Chryſoſtomi ex ſecundo exilio mortuum Conſtantinopolim relatum, ſecum in throno collocaſſe, vniuerſa plebe circumfuſa vno ore exclamante, Recipe thronum tuum, ô pater, & ex illo nobis benedic. Auguſtinus etiam meminit exedræ, quæ quoſdam gradus habuerit, vnde ipſe de ſupremo loco, populum alloquebatur.

l. 2. c. 57. Epiſt. ad ſolit. vitam agentes.

l. 7. c. 26. tral. Rufini

Inuectiua cont. Iul.

l. 13. c. 16.

l. 14. c. 43.

l. 22. de ciu. c. 8.

De aliis porrò ſuperuenientibus conſtitutum

fuiſſe ab Apoſtolis teſtatur b. Clemẽs. Stabant *l. 2. Conſt.*
Sacerdotes in introitu virorũ,& diaconiſſę mu- *c. 57. tral.*
lierum, & curabant vt ſuus cuique locus pro *Turr.*
ordine, ætate, & ſexu proprius deſignaretur.
Si presbyter, excipiebatur cum presbyteris; ſi diaconus, cum diaconis: ſi Epiſcopus, cum Epiſcopo ſedebat, eodem honore cum illo acceptus. Cùm ſufficiens locus erat, & ſacerdotes ſeorſim à laicis, & iuuenes à ſenioribus, & mulieres nuptæ à virginibus conſtituebãtur. Conſtat quoque ex beati Dionyſij hierarchia eccleſiaſtica, catechumenos, & pœnitentes, & energumenos ſeparatim collocatos. Ita Paulus *1. Cor. 4.*
præcipit, omnia ordine fieri in nobis. Nã membra corporis humani alium & alium ordinem ac ſitum habẽt in corpore: & ſtella à ſtella multum diſtat in firmamento. Angeli, & archangeli, & omnes cœleſtes ſpiritus ſuis ordinibus & hierarchiis diſtributi ſunt in eccleſia cœleſti ac triumphante, quam pro ſorte ſua imitatur terreſtris & militans.

9.
Diſtincti etiam fuerunt loci virorum & mu- *Hom. 74. in*
lierum, ſacerdotum atque laicorum. Author *Matth.*
enim eſt Chryſoſtomus, interiore pariete viros à mulieribus ſeiunctos fuiſſe. Ambroſius quoque noluit imperatorem Theodoſium intra cãcellos ſedere ſacerdotum, ſed extra illos exire iuſſit dicens: O imperator, interiora loca tantùm ſacerdotibus ſunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egredere igitur, & cum cæteris expecta ſacrorum myſteriorum perceptionem. Purpura namque im-

peratores, non ſacerdotes facit. Hiſtoriam referunt Theodoretus, & poſt hunc Caſſiodorus, l.9.tripart.c.30. Hactenus de ordine.

De Tempore ſacrorum conuentuum.

Act.2.& 5. Apoſtoli cōuētus initio celebrauerunt quotidie in templo Ieroſolymitano: deinde, in domibus honeſtis credentiū. Aliàs plerunque diebus ſabbatorū, quibus Iudæi in ſynagogis frequentiùs cōgregabantur. Quinetiam noctibus ſæpe docebant in domibus, vel vt feruori inſeruirent fidelium, vel vt furorem declinarēt Phariſæorum & perſecutorum infidelium. Dicitur enim Paulus protraxiſſe ſermonē vſque ad mediam noctem: ſcribit quoque ſe non ceſſaſſe die ac nocte monere Epheſios. Plinius iunior Epiſtola ad Traianū, & poſt hūc Tertullianus, meminerunt nocturnarum congregationū in quibus Chriſtiani Pſalmos Deo Chriſto concinebant, & ſacra percipiebant. De eiſdem quoque ſcripſerūt Baſilius magnus, Euſebius, & Hieronymus epiſtola ad Sabinianum, & lib. aduerſus Vigilantium. Lactantius duplicē rationē reddit nocturnorum cōuētuum. Prior eſt, quòd Chriſtus nocte reſurrexerit: poſterior, quòd nocte venturus ſit ad iudiciū. Athanaſius magnus libro de interpretatione Pſalmorū, refert Chriſtianos collegiſſe quinque diebus hebdomadæ, nimirum die Sabbati, die Dominico, ſecunda ſabbati, id eſt, lunæ, quarta ſabbathi, id eſt Mercurij; & die paraſceues, id eſt Veneris. Euſebius verò ait: Quotidie fermè congregamur, ad percipiendam diſciplinā. Clemens autem in Conſtitut. docet Apoſtolos præcepiſſe Epiſcopis vt

Act.13.17 & 28. *Act.19.* *l.2. ad vxorem.* *Ep. ad Neocæſar. & in Pſa.114.* *l.1. præp. c. 3.* *l.7. c.19.* *l.1. præp. c. 3.* *l.2. c.58.*

populum monerent quotidie frequentare Eccleſiam, manè & veſpere, &c.

De his quæ fiebant in ſacris conuentibus:

In his primò omnium Diuinas laudes concinebant, gratias agẽtes pro innumeris beneficiis eius, vt docet Apoſtolus. Deinde legebãt ſcripta prophetarum, apoſtolorum, Euãgeliſtarum: eadem vel Epiſcopus, vel Sacerdos, vel Diaconus populo pro concionibus interpretabãtur, iuxta Chriſti Domini exemplum. Paulus & Barnabas in Antiochia Piſidię, rogati à principibus ſynagogę, ea quæ priùs lecta fuerant de lege & prophetis, concionãdo explicauerũt. Euſebius ſcribit, Petrum ordinaſſe vt Euãgelicũ D. Marci in eccleſiis publicè legeretur. Clemens enumerat libros canonicos veteris & noui teſtamenti, quos in eccleſiis publicè legi ſtatuerãt Apoſtoli. Peracta demũ lectione & cõcione, accedebãt vnà cũ Epiſcopo Presbyteri ad ſãctũ altare, ibíq; cõſecrabãt, offerebãt, ſuſcipiebãt ſanctiſſimã Euchariſtiã, diſpoſitíſque cõmunicabãt, annũciãtes mortẽ Domini donec veniat. Iuſſit enim ipſe, *Hoc facite in meã cõmemoratione.* Irenæus vir Apoſtolicorũ tẽporũ ait: Sacerdotes sũt omnes Domini Apoſtoli, qui neq. agros neq. domos hęreditant hic: ſed ſemper altari & Deo ſeruiũt. Et idem poſtea: Chriſtus ſuis diſcipulis dans conſiliũ primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigẽti: ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint: eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit, dicẽs: *Hoc eſt corpus meũ.* Et calicẽ ſimiliter ſuũ ſanguinẽ cõfeſſus eſt, & noui Te-

1. Cor. 14. Coloſſ. 3. *Luc 4.* *Act. 13.* *l. 2. hiſt. c. 5.* *l. 2. conſt. c. 56.* *Luc 22.* *l. 4. c. 20.* *l. 4. c. 32.*

ſtamenti nouã docuit oblationem. Quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo müdo
l.4.c.33. offert Deo,&c. Idẽ rurſum paulò poſt;Per Ieſũ Chriſtum offert Eccleſia.Rurſumque: Offeri-
l.4.c.34. mus ei quæ ſunt eius, cõgruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus, &c. Nos offerre vult munus ad altare frequenter ſine intermiſſione,&c. Lector curioſus ea videat,quæ illic annotauimus.

12. Præterea,in ſacris conuentibus eos baptiza-
Act.2.4. bant cũ religioſiſſimis plurimiſque ritibus, qui
20. recèns ad religionem Chriſtanam accederent,
Eccleſ.hier. ídque Apoſtolorum exemplo ſequuti,vt ex illo-
c.5. rum Actis, & ſanctiſſimo Areopagita diſcipulo eorum colligi poteſt.

13. Fundebant quoque publicas preces, vt Ter-
Apolog. tullianus author eſt, pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum,& poteſtatibus ſæculi, pro rerum quiete,&c.

14. Ibidẽ etiã fiebãt caſtigationes,& diuinæ cenſuræ. In arculas quoque pro ſua poteſtate quiſque cõferebat,quę diſpenſarẽtur egenis alẽdis, humandíſque,pro pueris parentibus deſtitutis, pro ſenibus, pro naufragis, pro Chriſtianis ad metalla damnatis, exulibus, aliíſque calamitoſis,&c. Et de his hactenus: nunc ad Apoſtoli ſententiam redeundum.

Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens,&c.

Propoſito exẽplo, primò deſcribitur perſona diuitis aut alicuius nobilis huius ſæculi, qui ad oſtẽtationẽ diuitiarũ ſuarũ digitos aureis annulis exornauerit:& ad luxũ deliciáſq. veſtes ſplẽ-

didas pretioſaſq. induerit, quo huiuſmodi pōpis ſpectantiū oculos perſtringat,mētéſque faſcinet,vt illi quantūuis impio, primæ ſedes offerantur:paupere(licèt optimo viro,)cū dedecore & ignominia longè repulſo. Notandū verò hîc ab Apoſtolo tātùm coargui oſtētationē,vanitatē,&inanē gloriationē eorū,qui in externis iſtis ornamētis plus ęquo ſibi placēt,adulatione delectātur,& alios quantūuis pios, ſuperbè faſtidiūt & aſpernātur: non autē ſimpliciter & vniuerſaliter vel annulorū,vel indumentorū ſplendentiū vſū legitimū reprobari. Cōficiūtur quippe ex materia cuius Deus optimus & maximus author eſt, quíque omnia ad legitimum hominis vſum condidit: & inter hæc, aurum,argentum, metalla,bombicem, ſericum,byſſum, linum,lanam,conchilia, & colorum pannorúmque genus omne producit. Accedit, quòd legimus pios & ſanctos viros ſine reprehenſione, & annulis aureis,& pretioſis veſtibus vſos eſſe, ídque tam in rebus ſacris quàm profanis.

Primò ad cōmodiorē Arcæ teſtamēti de loco in locū deportationē, Diuina ordinatione, illa quatuor annulos aureos habebat in ſingulis angulis diſpoſitos,quibus à Leuitis ferretur. Aduerte quoque Rationale ſeu ſuperhumerale sūmi pontificis in quo erant duodecim lapides pretioſi, inſuper Vrim & Thumim, duobus ante pectus annulis aureis, tòtidémque in humeris connectebantur. *Exod.27. 28.37.& 38.*

Secundò, vſi ſunt aureis annulis viri ac mulieres ad modeſtum ornatū,honeſtū ac iucundū *Gen.38.*

cultũ. Nã Iudas patriarcha annulũ & armillam quã ferebat, dedit Thamari. Sanctiſſima virago
Iudith 10. Iudith, & ad Holofernẽ & caſtra Aſſyriorũ per
l. 2. c. 19. rectura, sũpſit annulos & armillas ſuas. Romanis aliquando mos fuit, vt ſcribit Alexander ab Ale. in luctu, funeribꝰ, funeſtíſq. caſibꝰ reipublicę, annulos aureos deponere & ferreos aſſumere

Tertiò, iiſdẽ vſi sũt ad indiciũ nobilitatis, virtutis, & rerũ pro republica præclarè geſtarum.
Opat. 5. in Verrem. Hinc Tullius ſcribit: Sæpe noſtri imperatores ſuperatis hoſtibus, optimè republica geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donauerũt.
l. 2. c. 19. Teſtatur quoque Alexander ab Alex. Romanos legatis ſuis ad exteros profecturis, annulũ aureũ velut inſigne munus dediſſe. Poſtea quoque iudicibus equeſtris ordinis hominibꝰ: híſque quibus ex agro paterno ſeſtertia quadringẽta cẽſus fuiſſet. Scribũt autẽ quidã decẽ ſeſtertia valuiſſe decẽ millia nummorũ. Poſtea verò vſus annulorũ adeò frequẽs fuit, vt Romani ſine delectu, & demũ libertinæ conditionis homines, quin etiam fœminæ, & extrema mancipia annulos aureos haberent. Author eſt D. Augusti-
l. 3. de ciuit. c. 17. nus, Annibalem poſt prælium Cannenſe, tres modios annulorum aureorũ ex cæſis militibus Romanis detractos, miſiſſe Carthaginẽ, ad inſignis victoriæ ſuæ de illis oſtentationem.

Quartò, vſurparunt annulos ad poteſtatẽ ſignificandam, & leges decretáque ſigillanda hu-
Gen. 41. ius mundi Principes, vt cùm Ægyptiorũ rex tulit annulum de manu ſua, & dedit illum Ioſeph
Eſther 8. patriarchæ. Et rex Aſſuerus dedit annulũ, quo publica decreta ſignabantur, viro pro Mardo-

cheo. Et ſemel iterũque fouea leonũ in quã pro- *Dan. 6. & 14.*
iect⁹ fuit Daniel, dicitur ſigillata annulo regio.

Quintò, annulos præbuerunt in recõciliationis & amicitiæ teſſerã: vt quãdo pater filij prodigi iuſſit ſeruis ſuis, vt citò proferrẽt ſtolã primã, & annulo filij ſui manũ decorarẽt. Et inter Perſas, vt teſtatur Alexander ab Alex. annulo donari à Rege, ingentis amicitiæ ſignum fuit. *Luc 15.*

Sextò, Tertullianus ſatis indicat, recẽns baptizatis datum fuiſſe annulum in ſanctiſſimi lauacri, & fidei in illo palam profeſſæ confirmationem, quando eum vocat ſignaculũ lauacri. *l. de. Pudicitia, c. 9.*

Septimò denique, idẽ ſcribit, in nuptiis ſponſum annulo pronubo ſponſã ſibi oppignoraſſe: qui annulus primò ferreus fuit, poſtea verò aureus. Deinde, in digitũ ſiniſtrę manus à minimo proximũ inferebatur: & cum eo docet Plinius l. 37. Gellius Macrobius. Idẽ etiã eiuſdẽ annuli meminit lib. de habitu muliebri c. 5. & Plinius lib. 33. c. 2. De eodẽ quoque ſcribit Iſidorus. Fœminæ non vtũtur annulis, niſi quos virginibus ſponſi miſerunt, nec amplius quàm binos aureos in digitis habere ſolebant. Et l. 2. Diuin. offic. c. 19. Annulus à ſponſo ſpõſæ datur, vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, vt eodẽ pignore eorũ corda coniugantur. Vnde & quarto digito inſeritur, quòd per eum vena quædã ſanguinis ad cor vſque conueniat. Quoniam verò de his copioſiùs egimus. Com. in c. 2. & 3. libri Eſtheris, iſthæc nunc ſufficiant. *Apolog. c. 6.* *l 7. c. 13.* *l. 10. c. 10.* *l. etymol.*

in veſte candida.

Græcè ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, in veſte ſplendida &

fulgente. Sunt autem qui annulum illum aureum,de quo ſupra,nõ referunt ad ornatum digiti:ſed ad veſtem ſplendẽtem,quæ illo vt fibula aurea perſtringeretur:eóque referendum putãt quod alibi dicitur:*Stringatur rationale annulis ſuis*. Adeò vt eius generis ornamentum fuerit, quale apud Romanos clariſſimos Latus clauus: ideoque hîc virum regium, cui huiuſmodi ornamentum in veſte ſplendida geſtare liceret, Apoſtolus deſcribere videatur.

Exod. 28.

Ac certè idem iudicium debet eſſe de veſte ſplendente ac de annulis, ſiue inſtar fibularum veſtes aſtringant,ſiue manus exornẽt:quandoquidem horum omnium non reprobetur vſus legitimus,ſed abuſus. Id eſt, in perſonis nullius authoritatis aut dignitatis publicæ præſtãtibus vſurpatio:aut etiam in aliis luxus, ſuperfluitas, curioſitas, iactantia, cùm præſertim contemptus piorum pauperum & egenorũ his acceſſerit. Profectò omnium mundi pomparum magnus contemptor & cenſor D. HIERONYMVS, Pelagium ſcribentem, *Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrarium*, his verbis reprehendit,& damnat. Quæ ſunt,rogo,inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem?Si Epiſcopus,Presbyter,Diaconus,& reliquus ordo Eccleſiaſticus,in adminiſtratione ſacrificiorũ,cum cãdida veſte proceſſerint? Quibus& ſacrificium Chriſtianorũ,& hoc in veſtibus ſplẽdidis & ſacris, nõ vulgarib⁹ & profanis celebrãdũ,aduerſus huius æui hæreticos & pretioſarũ veſtiũ vsũ debitũ aduers⁹ Pelagianorum

Dialogo 1. cõtr. Pelag.

moroſitatem comprobat. In his moderationem requirens alibi ſcribit: Veſtis nec ſatis munda, nec ſordida, & nulla diuerſitate notabilis ſit. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conueniunt Chriſtiano. Alibi rurſum laudat Nepotianum, quòd vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore, frigus excluderet, nihil ſibi ampliùs reſeruaſſet, Cultus ipſe prouinciæ morem ſequens, nec munditiis, nec ſordibus notabilis eſſet. Illos autem grauiter iuréque reprehendit, qui veſtes non ad vſus tantùm, ſed ad delicias conquirunt, Rurſúmque alibi Chriſtianorum luxum in veſtibus damnans, ſcribit: Vos in tunicis aurum texitis, ſed vos auratos gehenna ſuſcipiet. Vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis. Vos operoſa ſaxi ſepulchra premunt, cum veſtris opibus arſuros, &c. EFFREM, quoque Syrus nimiam ornatus curam his paucis, ſed grauibus coarguit: Quid lucrabimur de cultu veſtimentorum, & ornato elationis amictu, niſi ignem inextinguibilem? BERNARDVS, denique rectè iudicat, difformitatem veſtium, deformitatis mentium, & morum indicium eſſe.

Epiſt. ad Euſtoch.

Epiſt. ad Heliod.

Epiſt. ad Marcell.

In vita Pauli eremitæ.

Li. de luct. ſpirit. c. 2.

Li. 3. de cōſider.

Introierit autem & pauper in ſordido habitu, &c.

His verbis per antitheſin pauper deſcribitur, nimirum, qui rerum ſæculi penuria non tam preſſus, quàm oppreſſus, nō habeat vnde veſtes ſplendidas & amplas ſibi comparet, ideóque pannoſus, vili atque lacera veſte indutus ſit:

cæterum magna fide,caritate,& pietate in Deũ præditus. Taliſque cum oppoſito ſibi regio, ac veſtibus ſplendente viro, ingrediatur conuentum Chriſtianorum religionis ergò:profectò ſi cum ignominia repellatur, aut verbis acerbioribus in locum viliſſimum abigatur,iñ ea re læditur iuſtitia diſtributiua, quæ pium pauperem iubet præferri impio diuiti, in cœtibus præſertim eccleſiaſticis.

In his autem primùm obſerua,duas eſſe paupertatis ſpecies.Prima eſt coacta,vel à turpibus cauſis accerſita:ſecunda, paupertas ſpiritus, id eſt, vel ſponte aſſumpta,qualis fuit ſanctiſſimorum Apoſtolorum & quorundam patrum, aut voluntariè & alacriter tollerata,qualis fuit Iobi & Tobiæ. Qui priore laborant, & interea animo ſunt ſuperbi, elati,ganeones, inuidi, detractores,decoctores, alienorum raptores, quíque malis artificiis ditari conantur,eos D. AV-
In Ioſ. 51. GVSTINVS, verè pauperes non cenſet. Nam quid tibi prodeſt,ſcribit ille,ſi eges facultate, & ardes cupiditate? Damnantur cupiditates, non
Epiſt. 89. facultates:auaritia, non pecunia. Et idem alibi
Luc. 16. docet,Lazarum vlceroſum non meruiſſe portari ab Angelis in ſinum Abrahæ propter inopiam:ſed propter pietatem,patientiam, & iu-
In Luc. c. 6. ſtitiam. Subſcribit D. AMBROSIVS, his verbis: Non omnes pauperes beati, ſed pauperes ſpiritu. Paupertas enim media eſt: poſſunt, & boni eſſe pauperes, & mali eſſe pauperes. Idem rurſum:Neque omnis ſancta paupertas,aut di-
In Luc. c. 16 uitiæ criminoſæ:ſed vt luxuria infamat diuitias,

ita paupertatem commendat ſanctitas. S. BERNARDVS denique ſcribit: Pauperes plebeios neceſſitate mirabili, non laudabili voluntate, nequaquam beatos eſſe dictos à Domino: ſed eos qui dicere poſſunt cum Propheta, *Voluntariè ſacrificabo tibi, &c.* *ſer. de omn. ſanctis.* *Matth. 5.* *Pſ. 118.*

Secunda ergo paupertatis ſpecies ſola laudabilis & honoranda, ſolaque homini ſalutaris, quandoquidem cùm illa nulla poſſit eſſe malitia, ſed vera ſimplicitas: nulla luxuria, ſed vera puritas mentis & corporis: nulla auaritia, ſed mũdi ac ſui ipſius propter bonorum cæleſtium amorem, generoſus atque laudabilis contemptus. Chriſtus huiuſmodi pauperes beatos eſſe prædicat, & ſine dubio verum prædicat: ſiquidem & veritas ſumma eſt quæ iſtud aſſerit, & omnipotens qui promittit. Hanc paupertatis ſpeciem ſuis perſuaſit Diſcipulis, ſi perfecti vellent eſſe. Illos pauperes teſtamento ſuo impenſiùs commendauit: & veluti viua corporis ſui membra, imò ſicut ſemetipſum reputauit. Petrus, Ioannes, Iacobus præcipuæ Eccleſiæ Chriſti columnæ, Paulo ac Barnabæ inter opulentas gentes profecturis, iſtiuſmodi pauperes commendauerunt: quippe qui rapinas bonorum ſuorum propter Chriſtianam pietatem cum alacritate ſuſceperant. Meritò igitur & iſte Frater Domini illos increpat, qui pauperes viros probos contumeliis afficiebãt, propterea quòd facultatibus vi ablatis, pannoſi eſſent: ſuperbis autem veſtibus circundatos adulatione venerabantur, ídque in conuentibus eccleſiaſticis, *Matt. 5.* *Luc. 6.* *Luc. 14.* *Matth. 26.* *Matth. 25.* *Gal. 2.* *Heb. 13.*

in quibus ſumma caritas & ſola pietas relucere debebat. Addit enim:

Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dicatis ei: Tu ſede hîc bene, &c.

Quibus factum narrat, quod inter Iudæos ſolebat ex hac fortunæ diuerſitate naſci, ſcilicet vt moti diuitis perſona, darent illi (& id etiam cum ignominia pauperis) primatum in conuentibus; quod omnino vitioſum eſt. Hinc ſequitur μίμησις: imitatione enim exprimit adulatorias voces, ac indecoros geſtus eorum, qui pietatem æſtimant ex ſplendore veſtium non autem ex pietate ac virtute. Molliter ac blandè alloquuntur diuitem: Tu magnifice ac ſplendide Domine, ſede hîc, loco nimirum primario, καλῶς, bene ac molliter. Contrà, pauperem licèt probum, alloquuntur, duriter: Tu, pannoſe, ac ſordide homuncio, ſta illic longè ab honorificentiſſimo Domino, &c.

In his autem multiplex peccatum. Primò enim attonitis ânimis & attẽtis oculis pompas diuitum nimium mirabantur, & pro ſolo veſtiũ ſplendore omni honore digniſſimos arbitrabantur, tametſi ſcelerati eſſent. Deinde latentem in animis reſpectum perſonarum verbis & factis etiam palam manifeſtabant, blandè inuitantes eos ac manibus propemodum vim inferentes, vt honeſtiorem locum in ſynagogis acciperent, ac velut in puluinari molliter ſederent. Præterea, pauperem tametſi probum ac honeſtum fidelémque virum, vix aſpiciebant,

vel etiam à longè venientem alloquebantur, eò tantùm permoti, quòd contemptibili ac lacera veſte indutus eſſet. Eum non aduocabant comiter, ſed inhumaniter iubebant ſtare procul, aut viliſſimo loco ſedere: atque hoc peccatum erat, acceptionis perſonarum, iuſtitiæ diſtributiuæ contrarium.

Hac in re grauiter deliquerunt Iudæi, Chriſtum vniuerſorum verè Deum ac Dominum *Matth. 13.* contemnentes, eo quòd illum & fabri filium, *Marc. 6.* & fabrum eſſe iudicarent, velut dudum obſer- *Li. 4. in Io. c. 4.* uauit Cyrillus Alex. Deliquit & Achab rex Iſraëlis, quando ſpretis & afflictis Michæa & Elia ſanctiſſimis ſeruis Dei, ſolos Baalis mini- *3. Reg. 19. & 22.* ſtros fouebat & audiebat. Deliquit & Sedechias rex Iudæorum, qui aliquot pſeudoprophetas libenter admittebat & honorabat, Ieremiam *Ierem. 38.* verò ſummi Dei legatum, vinctum in loco cœ- *Ioſ. 36.* noſo, detinebat. Hoc idem peccatum Pſaltes frequenter damnat dicens, *Ne timueris cùm diues* *Pſ. 81.* *factus fuerit homo, &c.* Et dum diuites ſuperbos atque glorioſos ſic alloquitur: *Vos autem ſicut homines moriemini, &c.* *Epiſt. 29.*

S. AVGVSTINVS huius peccati grauitatem explicat dicens: Putãdum non eſt, leue eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri IESV Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedendi ac ſtandi ad honores eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad ſedem honoris eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore atque ſanctiore? Si autem de quotidianis conceſſibus loquitur Apoſtolus, quis

non hîc peccat,ſi tamen peccat; niſi cùm apud ſemetipſum intus ita iudicat,vt ei tanto melior, quanto ditior illo eſſe videatur?Cõſentit Oecumenius cùm ait,Cùm nos hominem à Deo cognitum, & virtutibus rutilantem ex arrogantia parui facimus, quomodo Regi omnium contrarij non erimus? Quomodo acerbas pœnas non dabimus,ſublimia quantum in nobis eſt, deprimentes,& lucem tenebras, & dulce ama-
Iſa.5. rum nominantes?

Sed quomodo peccatum erit,ſi officium humanum ſit,eòs qui excellunt in mundo honore afficere?Si ſerui à poteſtate & obedientia Do-
Eph.6. minorum ſuorum non ſunt eximendi? Si Regẽ iure Petrus præcipiat honorare?Si Paulus vult
Rom.13. omnem animam poteſtatibus ſublimioribus eſſe ſubiectam? Et cui honor debetur,reddatur honos? Cui tributum, tributum? Reſpondeo; Hîc non eſſe ſeparanda,quæ frater Domini cõiungit. Non autem ſimpliciter improbat,quòd honore claros viros efficiamus,ſed quòd faciamus cum piorum pauperum ignominia & cõtemptu. Damnatur ergo illa perſonarum acceptio ſiue in vulgaribus ſiue in ſacris cõuẽtibus, qua ſic honoratur & ſublimatur diues,vt iniuria fiat pauperi.Etenim in Pſalmis promittitur
Pſal.14. illi Diuini tabernaculi conſortium, qui pro nihilo ducit malignum,timentes autem Dominũ glorificat & honorat.

Nónne iudicatis apud voſmetipſos,& facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?

Iam propriis verbis declarat Acceptores per-

ſonarũ quales deſcripſimus, grauiter in Deum & proximum delinquere; Ac ſi dicat, Non pudet vos tam peruerſi corruptique iudicij? Nonne vos coarguit, & ſurdo verbere flagellat propria conſcientia: quòd plus moueant vos externæ veſtimentorum pompæ, quàm virtutes? An non vos peccati reos & conuictos ſic tenet proprius animus, vt alio iudice non ſit opus?

Ex quibus apparet, etiam in internis animi cogitationibus de honorandis præferendiſque improbis diuitibus, & aſpernandis pauperibus, coram Deo peccatum conſiſtere. Parum itaque proderit mundum eſſe veſtibus, manibus, ac externis operibus coram hominibus, niſi à prauis cogitationibus & iudiciis cor purum ſit coram Deo. Nam ſoli mundo corde Deum videbunt. *Matth. 5.* Docet quoque Apoſtolus, Cogitationes noſtras in iudicio Dei ſe inuicem accuſaturas & defenſuras. *Rom. 2.* Itaque quicquid pudet dicere, & facere pudeat & cogitare. Etenim cogitationes malæ coinquinant hominem. *Matth. 15.*

Manifeſtum eſt quoque illos ita grauiter atque frequenter peccare, qui faſtu vtuntur in templis, vbi in conſpectu Dei & angelorũ eius *Luc 1.* agimus, qui modeſtia & humilitate ſummopere *Iac. 4.* delectantur; omnem autem faſtum, ambitum, *1. Petr. 5.* & arrogantiam oderunt. *Matth. 23.* Phariſæi damnantur, quòd primos recubitus in cœnis amarent, & primas cathedras in ſynagogis. Quale igitur iudicium manet illos, qui pro ſedibus prioribus acerbè litigant, odia fouent, turbant omnes, ſæpeque digladiantur? Commoda ſibi

loca ſeris claudunt,rarò interim ad ſacra conueniunt?

5. *Audite fratres mei dilectiſsimi; Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo; diuites in fide & cohæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?*

¶ Hac ſententia probat Apoſtolus pauperes nõ eſſe habendos contemptui in gratiam diuitum, eò tantùm quòd hi in hoc ſæculo diuites ſint, illi verò pannoſi ac egentes. Argumenta ſumit à cęleſtibus & maximis beneficiis, quibus Deus pauperes,diuitibus prætermiſſis,frequenter exornat. Senſus porrò eſt; Iniquum eſt vos contemnere illos, quos Deus honorat; deiicere, quos extollit: probroſè tractare, quos diuinis ornamentis afficit. At verò Deus vt ſuperbiam arrogantiámque diuitum retundat, pauperes huius mundi in ſuos prophetas,apoſtolos, euãgeliſtas amicos,& fratres elegit: Illos pauperes dum hîc abiecti & inopes vixerũt,ditauit Deus conſtantiſſima & ampliſſima fide;illis reuelauit regni cælorum myſteria,abſcondens ea à ſapientibus & prudentibus:eoſdem legatos & præcones ſuos toto deſtinauit orbe terrarum. Illos denique pauperes mundi (prætteritis cum ſuis gazis,veſtibus,annulis,fibulis, & gemmis diuitibus) in conſortes gloriæ atque regni ſui cohæredes elegit, adoptauit,coronauit. Non Regibus,non principibus,non opulentis huius ſæculi filiis;ſed piſcatoribus ac deſpicatis à mũdo viris ſanctè repromiſit: *Cùm ſederit filius hominis in maieſtate ſua, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.*

Matth. 11. *Matth.*13. *Matth.* 28. *Act.*1.

cim. Et rurſus: *Qui reliquerit domum, aut patrem, &c. centuplum accipet in hoc ſæculo, & vitam æternam in futuro.* In peccatum ergo grauiſſimum incurritis, cum illos ad infima pedum veſtrorum ſcabella relegatis & detruditis, quos Deus ad ſummum faſtigium euehit honoris & gloriæ: iſtos autem qui opibus, fraudibus & rapinis comparatis, ſe ſe venditant, velut quoſdam ſemideos colitis & honoratis.

In his autem primùm aduerte, quam prudenter & piè ſuos lectores & auditores Apoſtolos excitet, vt attẽtos ſeſe præbeant, quoniã de re cæleſti, diuina, & quæ ad ſalutem eorum æternam pertineat, eſt dicturus. Et reuera mirabile Dei iudicium eſt, ſummâque diligentâ meditandum, quòd is coram Deo non ſit melior, qui coram mundo eſt ditior. Item quòd Deus tantopere diligat & honoret eos, quos mundus deſpicit & abhorret. Deponat potentes de ſedibus, exaltet humiles. Eſurientes repleat bonis, & diuites dimittat inanes. Suſcitet de terra inopem, & de ſtercore erigat pauperem, vt ſedeat cum principibus populi ſui. Non enim viæ illius viæ noſtræ, neque cogitationes eius cogitationes noſtræ. Sic terribilis & admirabilis eſt in cõſiliis ſuis ſuper filios hominũ. Ex primis nouiſſimos, & ex nouiſſimis primos facit.

Luc. 1. *Pſ. 112.* *Iſa. 55.* *Pſ. 85* *Matth. 20.*

Cogita etiam electiones Dei longè contrarias eſſe electionibus hominum. Homines ſiquidẽ aliquid grande & arduum aggreſſuri, prudentiores, ditiores, fortiores, vel iuxta carnem nobiliores tanquam magis idóneos conquirunt,

eligunt,mittunt:Chriſtus verò vt totum mundum doceret,conuerteret,ſuis legibus ſubiiceret,paucis piſcatoribus vſus eſt,adeò delectatur rebus ſecundùm mundum infirmis,humilibus

Gen.41. *Exod.3.* *3.Reg.19.* *1.Reg.9.& 10.*

&ſtultis.In patriarchas &Prophetas aduocauit opiliones, agricolas,& bubulcos : in Reges & Imperatores cooptauit agaſones & ruſticanos. Hinc Paulus exclamat,*Videte vocationẽ veſtrã fratres,quia non multi ſapientes ſecundùm carnẽ,nõ multi potentes,non multi nobiles,ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus,vt confundat fortia,&c.* Auguſtinus de hac re præclarè ſcribit: Ipſe modus quo mũdus credidit,ſi conſideretur incredibilis eſt. Ineruditos liberalibus diſciplinis , impolitos grammatica, non armatos dialectica,non rhetorica inflatos, piſcatores pauciſſimos Chriſtus cum retibus Euangelij miſit ad mare huius ſæculi, & ex omni genere plurimos& rariſſimos piſces cepit.Et idẽ rurſũ:Noluit eligere ſenatores , ſed piſcatores:Sciebat enim ſi eligeret ſenatorẽ,diceret ſenator,dignitas mea electa eſt. Si diuitẽ, diceret,ſapientia mea electa eſt.Si oratorem,diceret,opulẽtia mea electa eſt. Si Philoſophũ, diceret,eloquẽtia mea electa eſt. Differũtur ergo iſti ſuperbi:dicit autẽ Chriſtus:Veni tu pauper,ſequere me.Tu nihil habes,nihil noſti , ſequere me.Dimiſit retia piſcator , & factus diuinus orator:leguntur verba piſcatorum,&colla ſubdũtur oratorũ.Idémque iterũ:Quare Nathanael legiſperitus, & optimus vir , non fuit aſſumptus in Apoſtolum? Reſpondet Chriſtus

1.Cor.1. *Li.22.de ciuit.c.5.* *Ser.59.de verb.Dom.* *Tractat.7. in Io.*

volens ſuperborum frágere ceruices, non quæſiuit per oratorem, piſcatorem: ſed de piſcatore lucratus eſt imperatorem. Cyprianus magnus orator, ſed priùs piſcator Petrus, &c.

Hinc quoque intellige, Deum fidei ac religionis ſuæ ſacra myſteria piis huius mundi pauperibus frequentiùs & abundantiùs conferre ac reuelare, quàm ſuperbis & inflatis diuitibus. Nam inter aduentus Meſſiæ ſigna cõnumeratur, quòd *pauperes Euangelizarentur*: id eſt, libenter & attentè audirent & crederent Euangelio. Ideóque Tertullianus ait: Maior credentium pars, ſimplices, imprudentes, & idiotæ. Oecumenius hanc rationem reddit. Cùm pauperes non diſtrahantur circa res mundi, vbi acceſſerint ad fidem, magis ſtrenui redduntur, ac operi magis inſiſtentes quàm diuites. Pontifices, magiſtratus, & ſeniores huius ſæculi, Chriſto aduerſabantur, turbæ ſequebantur. *Matth. 11.* *Li. contra Prax.*

Conſidera etiam, regnum Dei non credentibus tantùm, vt volunt hæretici, ſed ſimul diligentibus eſſe repromiſſum. Sola caritas (ait Auguſtinus) diuidit inter filios regni & perditionis. Et rurſum: Sola caritas, quæ finis eſt præcepti, lucem Domini videt. Et iterum ponderibus ſuis feruntur omnia. Pondus meum, amor meus: illò feror, quocumque feror. Et Bernardus l. de diligendo Deum. Qui caritatem habet, dãnari non poteſt: & qui non habet, ſaluari non poteſt. *Li. 7. conf.* *Li. 13. conf.*

Nec omittendum, ne quis abutatur nomine *pauperis*, Apoſtolũ addidiſſe, *huius mundi*, hoc eſt, cuius aut tenuis aut nulla eſt fortuna in mundo.

Et quoniã ex his aliquot ſunt nebulones, fures, ganeones, proditores, fures, quos meritò contempſeris, iterũ addit, *diuites in fide*: id eſt, qui tametſi inopes ſint & egeni, prædiuites tamẽ ſunt in fide & virtutibus, ideóque hæredes æternæ gloriæ. In eccleſiaſticis hiſtoriis refertur, quoſdam mendicos illudere voluiſſe beato Epiphanio, alios beato Martino, vt nummos ab eis acciperent: ſed diuino iudicio illico morte correptos fuiſſe. Adeò non omnis paupertas ſancta. Impoſtores, id eſt, qui morborũ ſpecies herbarũ ſuccis ac foliis ſibi aſciſcunt, magiſtratus grauiter plectere debet. Robuſtis ac valentibus dicẽdũ,

Gen. 3. *Inſudore vultus tui veſcere pane tuo.*

Matth. 25. Grauiſſimum autem ſcelus eſt, veros ac pios

Li. 3. c. 37. pauperes Chriſtianos ignominia vel iniuriis afficere. Nã in his, tanquam in electis, fratribus, & membris ſuis contemnitur Chriſtus filius Dei. Chryſoſtomus in Parallelis Damaſceni exclamat: O quanta paupertatis dignitas eſt! Dei velut larua efficitur. Delitеſcit enim ſub paupertate Deus. Ac pauper quidem eſt qui ſupplicem manum prętendit: Deus autem eſt qui accipit.

Pauperes hîc quoque dicuntur, Bedæ ſententia, qui per contemptum rerum viſibilium, fide autem diuitiarũm inuiſibilium, huic mũdo deſpicabiles apparent, ſicut hi quibus dictum eſt,

Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* In horum numerum

Heb. 11. Moyſem referto, qui negauit ſe eſſe filium

Philip. 3. filiæ Pharaonis, ac Ægyptiorum contempſit diuitias, &c. Et Paulum, qui omnia arbitratus

eſt vt ſtercora, vt Chriſto diligentiùs inſeruiret.

6. *Vos autem exhonoraſtis pauperem.*

Nónne diuites per potentiam, oppriment vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia?

7. *Nónne ipſi blaſphemant nomen bonum, quod inuocatum eſt ſuper vos?*

Colligit ex ſuperioribus, eos peccare grauiter in Deum & proximum, qui pietatem æſtimant ex larua externarum pomparum huius ſæculi, cum pauperum ignominia. Deinde, duplici interrogatione, & vtraque vehementi, deprauatos diuitum mores atque tyrannidem reprehendit & damnat: vt hinc concludat, nullam ſubeſſe cauſam propter quam debeant illis præferri.

Primò itaque ſic argumentatur: Quicquid coniunctum eſt cum piorum pauperum ignominia, id lethale peccatum eſt, ferríque non debet in eccleſiaſticis congregationibus: ſed illa veſtra προσωποληψία talis eſt: ergo eſt peccatū: & velut in Deum & proximum contumelioſa, eſt à conuentibus & moribus Chriſtianorum repellenda, nunquàm ferenda. Nam qui pium pauperem ſubſannat vel opprimit, in magnum illud præceptum deliquit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Item in Deum omnipotentem cuius ad imaginem factus, quíque pauperes afficere ignominia toties prohibuit. Chryſoſtomus pauperi exprobrantem miſeriam ſuam his verbis alloquitur, Dare miſericorditer non vis? quid igitur criminaris? quid tribulas calamitoſam atque miſeram animam? Refugit ille ad manus tuas ceu in tranquillum

Exod. 20. *Deut. 5.*

Hom. 36 in Matth.

portum. Cur tu omnem fluctuum vim in illum concitas, & maioris Hyemis ſibi reddis procellas? Impudentiam ei obiicis, qui maioribus in rebus impudentiſſimus ſæpè fuiſti, &c. Alibi rurſum idem furorem & manifeſtam dementiam eſſe pronunciat, veſtibus quidem arcas parare, & hominem ad Dei imaginem factum, nudum & trementem præ gelu, víxque ſtantem rectum negligere, &c.

Hom.37.ad pop.Ant.

Conſequenter verò exponit quales, quoſque diuites coarguat, nimirum improbos, crudeles, inhumanos, tyrannos, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur. Sunt enim diuites quidam viri boni: neque enim ſtatim impius eſt, qui diues eſt. Nam qui diuitiis affluentibus cor non apponunt, non ſeruiunt mammonæ, non ſperant in incerto diuitiarum, qui quaſi non habeant vtuntur diuitiis, eas poſſidentes non poſſidentur ab eis, has egentibus adminiſtrant vt diſpenſatores; ſunt Domino gratiſſimi. Tales fuerunt Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Dauid & plerique alij, qui in vero Deo non in diuitiis ſuam fiduciam collocarunt. Hi non arguuntur, ſed laudantur: non pereunt, ſed legitimo diuitiarum vſu cælum petunt, quo theſauros ſuos repoſuerunt.

Pſ.61.
Matth.9.
1.Tim.5.
1.Cor.7.
Matth.6.

Argumentum autẽ deſumit ab eo quod frequentiùs accidit, id eſt, à maiore diuitum parte. Iſti enim vt plurimum, ſunt pauperib⁹ moleſti, eóſque crudeliter tractant & vexant in facultatulis temporalibus, quãdo vicinas domos, finitimos hortulos & agros vi ſuis coniungunt: ra-

pinis, vſuris, tributis opprimunt: vinculis tradunt, cædibus vulnerant, carceribus pro rebus leuiſſimis mancipant, & fame perire compellũt. *Pſ. 13.* Alios ad exilia, ad metalla fodienda, ad cruces damnant, & tanquam morti deſtinatos in dies iugulant, & deuorant ſicut eſcam panis. In ſacris, diues habens centum oues, his parcit, vt *2. Reg. 12.* pauperis vicini ſui vnicam rapiat, iugulet, & cõuiuis edendam apponat. Achab rex præpotens *3. Reg. 12.* vineam Naboth incredibili malitia & tyrannide ſibi rapit & vendicat, omni crudelitate pio viro lapidibus oppreſſo. Phariſæi & principes Iudæorum Petrum & Ioannem vinctos, flagellis cædunt, & diram necem minitantur, ſi de *Act. 4 et 5.* Chriſto conciones habuerint. Sauli immanitate Stephanus eiectus extra ſynagogam ſaxis obruitur. *Act. 7.* Nicodemus, Ioſeph, Lazarus, direptis priùs bonis, proprio expelluntur ſolo. De his *Heb. 11.* Paulus: *Rapinã bonorũ veſtrorũ cũ gaudio ſuſcepiſtis. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, &c.* Quænam ergo ſuberat cauſa, vt horum tyrannidi fauerent? hos carnifices ſuos colerent? Satanæ mancipia honorarent? In horum gratiam, Chriſti membra pedibus conculcarent?

Sed quid? Iuſtæ diuitum dominationis commemoratione, pauperes Apoſtolus inſtigat ad vindictam? Malè ab illis excepti par pari referent: Atqui vbique iubemur inimicos noſtros diligere, benefacere his qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus & calumniantibus nos. *Matth. 5.* Itaque abſit illud *Luc. 6.*

Rom.12. ab Apoſtolico dogmate,& pauperum Chriſtia-
1.Theſſ.5. norum moribus. Tantùm ergo vult docere, illos ratione carere atque iudicio, qui iſtiuſmodi tyrannos ambitioſè colunt, ac interea iniurij ſunt piis ac pauperibus Chriſti ſeruis. Caueant igitur ſibi diuites & potentes in hoc ſæculo, ne quid ex hac contagione, quæ paſſim graſſatur in eorum ordine, contrahant. Attendant ſibi ſacrorum præſules, ne illis ſeruiliter blandiantur: & Baſilium, Ambroſium, Chryſoſtomum tyrannis infeſtos, potiùs ſibi ad imitandum proponant, quàm impuros gnathones. Duris nodis duros exhibeant cuneos.

Docet præterea hic locus Apoſtoli, doctrinam Chriſtianam vt plurimum contemptui haberi, imò & ipſum Chriſtum irrideri & blaſphemari ab huius mundi potentioribus atque ditioribus. Hinc orta eſt hæc Iudæorum excla-
Io.7. matio. *Nunquid ex principibus aliquis credidit, aut ex Phariſæis?* Herodes rex Iudæorum, Chriſtum
Matth.2. infantem omni crudelitate perſequutus eſt. Se-
Luc.23. cundus Herodes eundem in aula ſua cum au-
Act.12. licis irriſit, & pro ſtolido habuit. Tertius Herodes in Chriſtiani nominis odium, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio: & Petrum in carcere vinxit cathenis duabus, tantundem de
Matth. 26 illo facturus, niſi Dominus illum miraculo li-
& 27. beraſſet. Pilatus pro Romano imperio Præſes, vnà cum prætorianis militibus eundem Chriſtum multis modis irriſit, flagellauit, & morti omnium ignominioſiſſimæ adiudicauit.

Acriores hoſtes eccleſiæ Chriſtianæ fuerunt Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Traianus, Aurelianus, Seuerus, Diocletianus, Iulianus, Valens, maximi & nobiliſſimi huius orbis imperatores. Quot Chriſtianos traxerunt ad tribunalia? ad beſtias? ad cruces? ad ignes? Quoties ab illis, horúmque vicariis & ſatellitibus blaſphematum, & damnatum eſt bonum IESV nomẽ? Bona Chriſtianorum fama infanticidiis, promiſcuis concubitibus, ac cœnis Thieſtæis infamata, vexata, & conciſa? *Dial. Tert. Apolo. Arnob. Euſeb.*

D. SALVIANVS Maſſilienſis Epiſc. capta ex hoc loco D. Iacobi occaſione, tempeſtatis ſuæ Nobilium varia & grauia ſcelera iuſto zelo coarguens ſcribit: Grande hoc teſtimonium Apoſtoli eſt, niſi fortè immunes ſe ab eo Nobiles putent, quia ſunt ſoli Diuites nominati. Sed aut iidẽ ſunt Nobiles qui & Diuites: aut ſi ſunt diuites præter nobiles, ſunt tamen & ipſi quaſi nobiles. Quis autem eſt vel nobilium vel diuitum horrens crimina? Quis eſt aut innocentiam ſeruans, aut à cunctis ſceleribus manus abſtinens? An vllus immunis eſt, vel ab homicidio? vel à ſtupro? Quis eſt aut humano ſanguine non cruentus, aut cœnoſa impuritate non ſordidus? Quotus quiſque iuxta diuitem pauper aut intactus, aut tutus eſt? Vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt, &c. *l. 3. & 4. de iudicio & proui. Dei.*

Obſeruandum denique, præclarum Domini nomen duobus modis ſuper nos inuocari. Primò ratione appellationis & nuncupationis, vt

quando à Chriſto denominamur Chriſtiani: & cùm ab eodem magiſtro primùm denominati fuerunt doctrinæ illius profeſſores, Diſcipuli. *Act.13.* Hinc Tertullianus & Lactantius docēt nomen *Apolog.c.3.* *lib.4.c.7.* Chriſtianorum duci ab vnctione,ſuauitate, benignitate,bonitate, commoditate. Auguſtinus quoque ſcribit: Omnes Chriſtiani dicimur, *l.20. ciuit. c.10.* propter myſticum chriſma, quo vngimur. Hic enim Hebraicus loquendi modus, Inuocationis nomen alicuius; ſuper alios, frequenter ſignificat eos nuncupari & appellari illorum nominibus. *Gen.48.* Sic Iacob de filiis Ioſeph dixit:*Inuocetur nomen meum ſuper eos*, id eſt, vocentur & nominentur filij mei. *Iſa.4.* Rurſum quãdo ſeptem mulieres vni viro dixerunt: *Inuocetur nomen tuum ſuper nos*:id eſt,dicamur vxores tuæ,& tu appelleris maritus noſter. Et Nehemiæ 15. *Inuocatum eſt nomen tuum ſuper me.* Hoc eſt, tuus propheta & ſeruus appellor,&c.

Secundo modo nomen bonum Domini Ieſu inuocatur ſuper nos, quando à nobis tanquam omnipotentis Dei omnipotens Filius ac conſubſtantialis ſuppliciter inuocatur:vel per eius merita, veluti per aduocatum & mediatorem noſtrum Deum Patrem interpellamus.Conſtat equidem ſacris hiſtoriis ac teſtimoniis non ad ſolùm Patrem,(vt cum Arrianis impiè contendunt Caluiniani) ſed etiam ad Filium preces fundendas & dirigendas eſſe.Nam de eo Iſaias *Iſa.11.* dixit:*Ipſum gentes deprecabuntur. In ipſum gentes ſperabunt.*Sub Euangelio, quotquot cæci, leproſi,infirmi,afflicti ipſum precati ſunt, quot deſi-

derauerunt ſunt conſequúti. Centurio, Chananæa, Samaritana, Magdalena, Apoſtoli omnes, cum magna vtilitate eundem in auxilium & præſidium vocauerunt. Latroni pœnitenti ac de cruce inuocanti, reſpondit: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Stephanus moriens, & commendans illi ſpiritum ſuum, vidit cœlos apertos, vidit & introiuit. Sed de hoc alibi copioſiſſimè diſſeruimus. Luc 23. Act. 7.

8. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm Scripturas: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: bene facitis.*

9. *Si autem perſonam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quaſi tranſgreſſores.*

Præoccupatione vtitur Apoſtolus, diſſoluens quod illi obiici poterat: eadem opera inſtitutum ſuum de non accipiendis ex cauſa indebita perſonis confirmans, ſumpto argumento ab authoritate & grauitate præcepti Diuini, de proximi dilectione. Dicere namque potuiſſent aliqui, Quid? An non diuitem ſimul & pauperem fecit Dominus? Et bono fine licet eum habere in honore & pretio, quem Deus bonis ſuis honorat? Nonne diuites ad imaginem Dei factos, gratiæ & gloriæ cœleſtis capaces, propter Deum vllo afficere honore prohibes? An non & ipſi & carne & religione nobis ſunt proximi? Et quomodo huic præcepto, *Diliges proximum ſicut teipſum* faciemus ſatis, ſi nullum prorſus liceat diuitibus impendere honorem? His reſpondet Apoſtolus, Si diuites honore præuenitis eò quòd imaginem Dei referant, vel pro-

pterea quòd Legi diuinæ atque regiæ de proximi dilectione ſtudetis obedire, vehemēter probo & laudo. Sin verò (quod magis crediderim) eos reueremini eo quòd operibus abundent, & ſplendore veſtium ornatiores incedant, procul dubio grauiter delinquitis in eandem legem diuinam, quam obtenditis. Nam regia caritatis lex commendat proximum vt teipſum. At pauper ipſe quoque proximus eſt, non ſolus diues. Igitur pauper perinde amandus & ſuſpiciendus eſt vobis atque diues: quod cùm negligitis, præuaricatores eſtis huius legis.

Primò in his notandum legem regalem hîc à quibuſdam accipi, pro lege Regum ac Principum, de Magiſtatu à ſe ordinato ab vniuerſis audiendo & honorando: quod etiam Apoſtolica doctrina fieri iubet. Chriſtus namque Euangelio ſuo prophanos magiſtratus confirmauit
Matth. 22. & honorauit, iubens reddere Cæſari, quæ ſunt
Matth. 17. Cæſaris. Soluens didrachma tributi, facto pro-
Matth. 8. bauit vectigalia ſoluenda eſſe Regibus & præ-
Io. 4. fectis eorum. Centurionis quoque ac Reguli cuiuſdam precibus annuēs, ſtatum & officium eorum in republica cōfirmauit. Quod & Apoſtoli poſtea ſcriptis ſuis comprobarunt. Rom. 13. 1. Tim. 2. & 1. Petri 2.

Deut. 5. Ab aliis Regalis Lex dicitur lex diuina, *Dili-*
Leu. 19.
Exod. 20. *ges proximum tuum ſicut teipſū*, in veteri & nouo
Matth. 19. Dei teſtamēto multoties lata & cōfirmata. *Rega-*
Mar. 12. *lis* autē dicitur, quoniā Charitatis præceptū eſt
Luc 10. primum ſummū, & vltimum, imò & finis omnium aliorum. Caritas enim inter & ſuper cun-

ctas alias virtutes, velut Regina incedit, eíſque & formam & vitam impertit. Chriſtus aliquando rogatus, quod eſſet primum mandatum in lege? Reſpondit, *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc eſt primum & maximum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et Apoſtolus ſcribit: *Nemini quicquã debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Totus eſt in eadem caritate extollenda & inculcanda D. Ioannes in prima epiſtola. *Math.* 19. *Rom.* 13.

Poſtremò, vocatur *Regalis* (inquit D. Thomas) ab effectu, quia Chriſtianos omnes ſpiritaliter reges facit & ſacerdotes: quod & in Apoc. comprobatur: *feciſti nos reges & ſacerdotes Deo noſtro.* Et vertex Apoſtolorum: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, &c.* Tametſi non deſint, qui Regalem dictam putent, quòd ſine vllis diuerticulis, & quaſi viæ Regiæ inſtar, omnibus pateat, ſit plana, recta, æquabilis, vt ſunt plurimùm viæ, quæ dicuntur regiæ. *Apoc.* 5. 1. *Petr.* 2.

Conſiderandum etiam non tantùm hîc confirmari & prædicari magnũ illud præceptum de proximi dilectione, verumetiam indicari modum ipſum diligendi, videlicet, vt eodẽ animo, quo nobiſipſis percupimus bona diuinæ gratiæ in præſenti ſæculo, & gloriæ in futuro, hæc eadem proximis exoptemus, & illos ad horum conſequutionem pro viribus adiuuemus. Deinde, opera miſericordiæ tam corporalia quàm ſpiritalia impendamus, cùm his indiguerint, & hos eiſdem poterimus opitulari. Hinc

Theologi particulam *ſicut teipſum*, interpretantur, ad id, & propter id, atque eodem fine & animo, quo teipſum diligis. Sed quantum eheu, nunc contra hoc præceptum, & variè, & grauiter, & ab omnibus ferè peccatur? Omnes quę

Philip. 2. ſua ſunt quærunt, non quæ IESV Chriſti, & ſalutis proximorum. Multi de proximis interrogati cum Caino reſpondent, *Neſcio, non eſt mihi curæ*

Gen. 4. quid agant proximi. Alij non tantùm ad eorum peccata conniuent, ſed ad eadem prauis exemplis, vel prauis conſiliis accendunt, &c. Veniet autem, veniet profectò dies illa, in qua Deus de illis ſeueriter inquiret.

Attende præterea, Apoſtolum cum adfirmat eos qui proximum diligunt & honore præueniunt, *bene facere*, apertè & ſolidè refellere impiiſſimum Hugnoſticorum errorem, quo poſt

Artic. 32. 34. & 36. damnat. à Leone 10. Lutherum prædicant, *Iuſtum in omni bono opere peccare mortaliter.* Hoc enim Caluinus defendere nititur, in Antidoto contra conc. Tridentinum: & Com. in Epiſt. ad Rom. Quomodo autem peccaret iuſtus, ſi diligendo proximum *benefacit*? An non malè facere, & benè facere ſecum omnino pugnant? At ſi peccaret, igitur & Deus ipſe, & Apoſtoli toties peccare iuberent,

Exod. 20. Deut. 5. quoties præcipiunt Deum amare ex toto corde: proximum ſicut ſeipſum: ſanctificare ſabbatum: honorare patrem & matrem, quę tam impia & abſurda ſunt, vt etiam dæmonibus horrorem incutiant. Rurſum, ſi iuſtus in omni bono opere peccat, peccauit Abel opimos gregis agnos ſacrificando, peccauit Enoch inuo-

cando nomen Domini. Peccauit Noe arçam conſtruendo & ingrediendo, peccauit Abraham offerendo filium, peccauit Moyſes legem accipiendo & promulgando, Dauid pſallendo, Niniuitæ ieiunando, Daniel orando, Suſanna impuris iudicibus reluctando, Deipara credendo Gabrieli, Præcurſor baptizando in pœnitentiam; peccauerunt denique Apoſtoli docendo, & martyres pro Diuino nomine patiendo, &c. quæ omnia vel tantùm cogitaſſe, planè Satanicum eſt.

Docet quoque Apoſtolus, Diuinæ legis opus eſſe, nos coarguere, conuincere, & damnare de peccatis tam cõtra Deum, quàm aduerſus proximum admiſſis; vt horum ſenſu atque horrore tacti citò citiùs ad Chriſtum mediatorem & redemptorem noſtrum confugiamus: Hinc Paulus poſt plurima de his coaceruata teſtimonia ſubinfert, *Cauſati ſumus*, id eſt, manifeſtè probauimus, *Iudæos & Gentes omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt, Quia non eſt iuſtus quiſquam.* Et iterum: *Concluſit ſcriptura omnes ſub peccato eſſe.* Iterúmque. *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* Caueant igitur à perſonarum acceptione Chriſtiani, ne à lege Dei arguantut tanquam rei & tranſgreſſores. Rom.3. Gal.3. Rom.1.

10. *Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.*

11. *Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit &, Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.*

Apoſtolus rationem reddit præcedẽtis pro-

poſiti, ſumpto argumento à connexione totius legis Diuinæ, quæ tum Authoris, tum finis ſui ratione ſic vnita ſibi cohæret, vt qui aliquam eius partem violauerit, omnium reliquarum præuaricator cenſeatur coram Deo, eiuſdem authore & vindice. Docet inſuper, quàm periculoſa ſit perſonarum acceptio, diuitum admiratio, pauperum contemptus, quinetiam quodlibet peccatum veniale: ac idcirco ſummopere cauendum. Ait ergo, Nemo putet leue peccatum eſſe acceptionem perſonarum cum pauperum contumelia. Nemo huius ſceleris conſcius, ſibi tanquam ſanctulus glorietur, quaſi non eſſet totius legis diuinæ tranſgreſſor. Nam lex Euangelica caritatis eſt lex, & quicquid aduerſus hanc committitur, peccatum eſt. Quiſquis ab ea deflectit, Diuinæ regulæ tranſgreſſor eſt, & authoris eius contemptor. Cùm verò
1.Tim.1. eiuſdem legis ſumma & finis ſit Caritas *de corde puro & fide non ficta*, quiſquis à Caritate, à toto ſcopo illius aberrat, atque ideo totius legis violator habetur. Veluti quiſquis aberrat à recta via, nihil refert in dextrum aut in ſiniſtrum, cuilibet errori expoſitus eſt. Et quiſquis excidit à lumine, in perpetuis tenebris verſatur. Et qui ſcopum non attingit, honore & præmio iuſtè priuatur: ita qui per acceptionem perſonarum pauperi promerenti prætulit immerentem diuitem, affinis eſt omnibus peccatis, quæ aduerſus iuſtitiam diſtributiuam, & Caritatem perpetrari poſſunt, licèt vnam tantùm partem legis violaſſe videatur, &c.

In primis autem notandum, præſentis ſententiæ difficultatem & obſcuritatem multas interpretationes peperiſſe. Prima eſt D. Avgvstini quam venerabilis ſacerdos Beda iiſdem verbis effert & probat. Comment. in hunc locum. Quòd qui offendit in præceptum Caritatis & fraternæ dilectionis, dicitur omniũ reus, quia cõtra Caritatem facit, ex qua tota lex pendet & prophetæ. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua comprehenduntur omnia alia præcepta. Alibi eandem interpretationem ſuam confirmat ex eo quod ſcribit Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, & ſi habuero omnem fidem, & nouero omnia myſteria, Caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Item ex eo quod dicit Dominus, *Si non dimiſeritis peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis, &c.* *Epiſt.29.* *Ser. 61. de Reip.* *1. Cor. 13.* *Matth. 6.*

Secunda interpretatio eſt eiuſdem Avgvstini, quòd offendens in vnum præceptũ fit omnium reus, propter ingratitudinem, ſicut parabola Euãgelica docet, *Omne debitum* aliàs etiam dimiſſum & condonatum, repetitũ fuiſſe à ſeruo nequam, qui beneficij accepti ingratus, noluerat parcere & miſereri conſeruo ſuo rogãti. *l. de vera & falſa pœnit. c. 14.* *Matth. 18.*

Tertia eſt D. Hieronymi, quòd is dicitur *reus omnium*, eo quòd in Deum peccet, qui totius legis author eſt, & omnium peccatorum vindex acerrimus. Hoc ſcholaſtici ſuis vocabulis dicerẽt, *Factus eſt omniũ* reꝰ objectiuè, nõ formaliter. *Dialogo 1. cont. Pelag.*

Quarta eſt Domini Lyrani, quòd *offendens in vno, ſit omniũ reus*, quantum ad pœnã damni (quę

eſt priuatio viſionis, fruitionis, ac glorie diuinę) quam æqualiter incurrit, qui vnicum præceptum diuinum tranſgreditur, ac ſi omnia violaſſet. Nō autem quantum ad pœnā ſenſus: quę inæqualis eſt ſecundùm inæqualitatē delictorū.

Quinta eſt THOMAE, Carrenſis, & Carthuſiani, *quòd offendens in vno, ſit omnium reus*, non abſolutè & ſimpliciter: ſed quodā pacto, quoniam deperdit omnia chariſmata gratiæ gratum facientis: atque omnium bonorum operum præcedentium meritis priuetur, iuxta illud. *Si auerterit ſe à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ quas fecerat, non recordabuntur. In præuaricatione ſua morietur.* Item. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.*

Ezech.18.
Eccl.19.

Notant porrò Auguſtinus & Hieronymus, neminem ex his poſſe rectè colligere, Omnia peccata ęqualia vel paria eſſe, quod fuit Stoicorum paradoxon, & poſtea hæreſis Iouiniani, proſcripta & damnata ab eodem Auguſtino. Chriſtus namque diſertè confirmat, quædam peccata aliis eſſe grauiora cùm dicit, *Qui iraſcitur fratri, reus erit iudicio. Qui dixerit Raka, reus erit conſilio. Qui autem Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Siquidem ex inæqualibus ſuppliciis, oſtendit delicta eſſe inæqualia. Affirmat rurſum alia eſſe peccata in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum ſanctum, & hæc longè diuerſa. Rurſum dicens Pilato, *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*, clariſſimè docet quędam crimina ſua grauitate alia ſuperare.

l. de hæreſ.
Epiſt.29.
Matth.5.
Matth.12.
Io.19.

Hîc præterea indicat Apoſtolus, Deum nolle

legẽ ſuã à nobis lacerari, ſic vt hoc præceptum teneamus, alia verò reliqua contemnamus. Neque enim de aliqua legis parte dictum eſt, *Maledictus omnis qui nõ impleuerit omnia quæ dicta ſunt in lege.* Item. *Hæc eſt via, ambulate in ea, &c.* Etenim vt in vnius præcepti obſeruatione obeditionẽ noſtram Deus vult experiri, ita in ſingulis. Atque huius ſententiæ eſt D. SALVIANVS Maſſilienſis Epiſcopus, ſcribens: Neque iuſta cauſatio eſt, cur præferantur aliqua, vbi faciẽda ſunt omnia. Sicut enim dominorum carnalium ſeruis eligere omnino non licèt, quæ èx præceptis faciant, aut non faciant: ſic nos illicitum omnino exiſtimare debemus, vt vel illa quæ placent ſumamus: vel illa quæ diſplicent pro ſuperbiæ abuſione calcemus. Nam *quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Ergo tranſgreſſor eſt totius legis, quiſquis in vno mandato delinquit.

Deut. 17. *Iſa. 30.*

l. 3. de vero iudicio & prouident. Dei.

Notandum poſtremò, Apoſtolum repetere, & Chriſtianis inculcare antiquas Dei omnipotentis prohibitiones de mœchia, id eſt, omni ſpecie luxuriæ non admittendã, quocunque modo fiat, nimirum, cogitatione, delectatione, conſenſu, aut opere. Item, homicidij nõ cõmittendi aut conſilio, aut volũtate, auxilio, actione, &c. De quibus duobus præceptis negantibus videndus eſt Decalogus, & conſulendi huius expoſitores.

12. *Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes iudicari.*

Tribus argumentis totam hãc primam con-

cionem claudit. Primũ eſt ab authoritate legis diuinę, iuxta quam ſumus iudicandi: ſecundũ & tertiũ à pœnis & pręmiis poſt iſtã vitã, & poſtremum iudiciũ, omnibus apud Deũ repoſitis, ſequẽti verſeculo. Primũ argumẽtũ tale eſt; Non ſolùm æquũ ac vtile, ſed & omnino neceſſariũ eſt, Euangelicæ legis profeſſores, eam tanta ſermonũ ac bonorum operum ſinceritate & integritatę exprimere, atque ſi mox eſſent à Deo iuſtiſſimo iudice examinandi & diiudicandi. Lex autem diſtrictè prohibet, temnere pauperes, blandiri diuitibus, vllúmque perſonarũ reſpectũ habere, in ſacris præſertim conuẽtibus. Ille igitur omnino tollendus & profligandus eſt.

Hinc attende, Chriſtianorum verba & facta ita ad normã Diuinæ legis iugiter cõpoſita eſſe debere, atque ſi illico, omníque momento ante tribunal Chriſti ſiſtendi eſſent, & de vniuerſis quæ cogitauerũt, dixerũt, fecerunt, rationẽ redituri. *Sic loquimini* (inquit) *& ſic facite, ſicut per legem mox iudicandi.* Sic enim fiet, vt nec pauperes propter ſolam egeſtatem deſpiciatis, nec diuites propter caducas & mox perituras opes adoretis. Reuera nihil tam efficax eſt ad retinẽdos homines in officio, quàm vltimi iudicij attenta cõtẽplatio. Idcirco ait Siracides. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Nouiſſima verò hominis ſunt hæc quatuor, mors, iudicium, infernus, & paradiſus. Et vir ſecundũ cor Dei exclamat, *Dixi iniquis, nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite exaltare cornu, quoniã Deus iudex eſt.* Hinc Baſilius, Quãdo peccãdi tibi libido

Ecclеſ 7.

Pſal. 74.

Hom. in

inceſſit, veniat quæſo, in mentem hortēdi iudicij Christi recordatio, vbi excelſo ſublimique ſolio ille iudex præſidet, omnis verò creatura adſtat tremebūda, ſinguli vt in vitā priùs actam inquiratur, producemur. Aderunt terrifici dæmones, videbitur profundū barathrum, præſtò erunt ignes ęterni, & vermes immortales, tenebrę exteriores & interiores, exprobrationes ſcelerum, &c. Et D. Hieronymus de ſeipſo ait: Diebus ac noctibus operior cum tremore nouiſſimū reddere quadrantem, & tempus quo mihi dicetur, Hieronyme, veni foras. Et Auguſtinus cùm adhuc Manichæus eſſet: Nihil me reuocabat à profundiore voluptatū carnaliū gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij. Et idem alibi, Nobis magna eſt indita neceſſitas iuſtè rectéque viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis omnia cernentis.

martyrem Iulitā: & in Pſal. 32.

Epiſt. ad Florēnt.

l. 6 Cōfeſſ. c. 16.

l. ſolil. c. 14.

Inde etiam conſidera, religionē Chriſtianā ab omnibus exigere, vt præclaris & religioſis verbis de S. Trinitate, de incarnatione, de paſſione, de redemptione, de ſacramētis, aliiſque pietatis noſtræ capitibus loquātur & verbis bona opera cōſentiant. *Sic loquimini*, inquit Apoſtolus, *& ſic facite*. Nā Chriſtus caput omniū noſtrū, *cœpit facere & docere. Fuit vir potens in opere, & ſermone.* Itē dixit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui fecerit voluntatem Patris mei.* Conuentionem fecit de denario cum operariis, non cum otioſis.

Act. 1.
Luc. 24.
Matth. 5.
Matth. 7.
Matth. 20.

Demum expende, legēſ libertatis hoc loco to-

tū Euangeliū appellari, quandoquidē per ipſum liberamur à ſeruitute legis Moſaicę. Deinde, totū eſt gratiæ, amoris, & caritatis. Dicit enim cōditor illius: *Hoc eſt præceptū meū vt diligatis inuicē, &c.* Et Apoſtolus: *Non accepiſtis ſpiritū timoris, ſed ſpiritū adoptionis filiorū.* Eſt denique lex libertatis, quādo per eam liberamur à dæmonū tyrānide, nec id tātū, verū & in infeſtiſſimos hoſtes illos poteſtatē à Chriſto accipimus, dicente: *Dæmones eiicite. In nomine meo dæmonia eiicient.* Eripimur à peccatorū omnium cōtage, per ſanguinē illius cui dicit: *Hic eſt ſanguis meus qui effūdetur in remiſſionem peccatorum. Lauit enim nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Demum, & ab æterna perditione, eodem promittente, *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Si manſeritis in ſermone meo, verè liberi eritis, &c.*

Gal. 4. Io. 15. Rom. 8. Luc 10. Mar. 16. Matth. 26. Apoc. 1. Io 8. Io. 5.

13. *Iudicium enim ſine miſericordia, illi qui non facit miſericordiā. Superexaltat autē miſericordia iudicium.*

Secundum concluſionis argumentū eſt iſtiuſmodi. Quiſquis legē fraternę dilectionis neglexerit, ſeuero Dei iudicio condēnabitur. Sed diuitū adulatores, pauperū contēptores, & perſonarū acceptores illā negligūt. Ergo iudicabūtur & dānabuntur ſine miſericordia. Maior propoſitio ex his confirmatur. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Niſi dimiſeritis fratribus veſtris, nec Pater meus cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Sola autē miſericordia Dei viuimus, mouemur, ſumus, & ſaluamur. Igitur qui fratribus nullam miſericordiam præſtiterit, nullam à Deo iudice libera-

Matth. 7. Matth. 18. Act. 17.

tricem miſericordiam conſequetur.

Tertium ſubiicit argumentum. *Superexaltat autẽ,&c.* Nulla alia re nititur noſtræ ſalutis cauſa corã Deo,quã miſericordia, qua vna cõtra illius ſeuerũ iudiciũ poſſumus gloriari & exultare. Ergo exẽplo Dei, eadem eſt pauperi exhibẽda. Vis namque huius argumenti nititur exemplo Dei,qui ſolet grauitatem pœnarum ingenti ἐπιεικείᾳ mitigare.

Notandum primò ex his cũ b. AVGVSTINO, miſericordiã Dei nõ ſine iudicio ac æquitate in poſtremo iudicio futurã eſſe. Eius enim non in quemlibet,ſed in eũ erit miſericordia, qui prærogauit miſericordiam: miſericordia iuſta erit, quia confuſa non erit. Miſericordia eſt certè vt dimittantur peccata,miſericordia eſt vt tribuatur vita æterna. Vide ibi iudiciũ: *Dimitite,& Dimittetur vobis: Date,& Dabitur vobis,&c.* Itaque miſericordia patet in gratia & præmio, iuſtitia verò in laborum & bonorũ operũ ratione. Hoc idem cõfirmat Conc.29. in Pſal.118. Addit verò alibi, Sine miſericordia iudicabitur, qui miſericordiam nõ fecit antequã iudicaretur. Nec miſericordia tollit iuſtitiam, nec iuſtitia miſericordiam. Dicit enim: Dimitte, & dimitto: Da, & do: Ignoſce, & ignoſco.

In Pſal.32 *Matth.6.* *Enarrat.in Pſal.143.*

D.IOANNES Caſſianus coarguens prauos mores quorumdam,qui cùm oratio Dominica ab vniuerſa plebe concineretur, hunc locum eius, *Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus,* taciti prætermittebant, ne ſemetipſos obligare potius quàm excuſare viderẽtur,cõtinuò ſubii-

Collat.9. c. c.22.

cit: Fruſtra cauillationes has Iudici omniũ prætendere moliũtur, qui quemadmodũ iudicaturus ſit, ſupplicibus ſuis voluit demonſtrare. Dũ enim erga eos non vult immitis atque inexorabilis inueniri, formam ſui iudicij deſignauit, vt quemadmodũ nos ab illo iudicari cupimus, ita noſtros fratres, ſi quid in nobis deliquerint, iudicemus. *Quia iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.*

Aduertendũ deinde, Scholaſticos duplicem in Deo contẽplari miſericordiam. Vnã mitigãtẽ, quam etiam reprobis atque dãnatis impertit, illos puniens citra condignum. De qua dici-
Pſal. 144. tur: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Alteram liberantem, ſaluantem, & glorificantem de qua hoc loco ſcribit b. Iacobus: *Judicium ſine miſericordia, &c.* EFFREM Syrus in hãc rem ſcribit: In flamma qua peccatores ſunt puniendi, nullum dabitur refrigeriũ, nullus patebit exitus, nullæ aderunt faces, nullus ſplendor, nullus adiutor, nullus conſolator quamuis magnis clamoribus auxilium imploretur. Scriptum eſt enim: *Judicium ſine miſericordia, &c.* Idem rurſum: Reprobi anguſtiabuntur quærentes adiutorium, & nullus erit adiutor. Neque enim diuitiæ illa hora patebunt, nec amici aderunt, nec aſſentatores aſſiſtent, qui illorum latera ſtipare ſolebant. Et quia miſerti non ſunt, nullam inuenient miſericordiam.

Dialog. de Virginit.

l. de vera pœnit. c. 8.

Attende etiam, quomodo ſola Dei miſera-

tione ſtat vniuerſæ ſalutis noſtræ prora & puppis: quando, ſi exacto iudicio ſuo nobiſcũ agat, de nobis penitus actũ ſit. Meritò igitur ſupplicat etiam propheta: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Ps. 142. Et alius: : *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* Lament. 3. Hinc Auguſtini piæ exclamationes iſtæ: Taceat laudes tuas, qui miſerationes tuas non conſiderat. Li. 6. conf. c. 6. l. 6. c. 13 Item væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia, diſcutias eam. Itémque, Tota ſpes mea, non niſi in magna valdè miſericordia tua, &c. Li. 9. c. 29.

Suſpice quoque diuinam humanitatem atque beneuolentiam, qua Deus ſe fore erga nos miſericordem promittit, ſi proximis tales fuerimus. *Beati miſericordes,* inquit, *quoniam miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. *Si vos remiſeritis hominibus peccata ſua, remittet vobis Pater cæleſtis peccata veſtra.* Matt. 7. Qua ergo fronte ab illo miſericordiam poſtulabit, qui ſeruus in conſeruum ſe præbuit inhumanum & crudelem? Proinde qui vult iudicium ſuſtinere miſericordia mitigatum, præbeat ſe erga proximum vel peccãtem vel egentem propitium ac exorabilem. Si enim Patris cæleſtis in terra geſtabit imaginem, dicente Chriſto eius filio: *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* Matth. 5. Luc. 6.

Conſpice ex aduerſo, quòd nihil durius, ac magis horrendum Dei iudicio, poteſt denunciari hominibus audacter peccantibus: vnde ſequitur, ter quatérque miſeros eſſe ac perditos, quicunque ad aſylum miſericordiæ non confu-

giunt. Præcurſor vt horum & ſimilium fero-
Matth.3. ciam tunderet, vociferabatur in deſerto ad tur-
bas: *Progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fu-*
Matth.10. *gere à ventura ira? Iam ſecuris ad radicem arborũ
poſita eſt, &c.* Et ſeruator omnium: *Timete eum
qui poteſt & animam & corporis perdere in gehen-*
Heb.10. *nam.* Apoſtolus denique diſertè prædicat, *Hor-
rendum eſſe incidere in manus Dei viuentis*, quas
nec viui nec mortui poſſumus effugere.

Neque diſſimulandum eſt, multos veteres codices Latinos habere in tertio argumento, *Miſericordiam ſuperexultat iudicio*, id eſt, gloriatur aduerſus iudicium: quod & Græci legunt & ſignificant, καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Vnde & alij interpretantur, *Et gloriatur miſericordia aduerſus damnationem.* Alij, *Miſericordia non reformidat iudicium.* Quidam per Enallagem dici putant miſericordiam pro miſericorde: rem videlicet pro perſona, hoc ſenſu; Qui miſericors fuerit, ſecuro & confidenti animo erit in iudicio: nec eſt quod damnationẽ pro peccatis ſuis metuat. Deus enim miſericordiam pollicitus eſt illis ſe præſtiturum, qui miſericordiam exercuerint in proximos. Hæc tamen expoſitio non placet, quòd dura & coacta ſit: deinde, foueat eorum errorem, qui putant grauiſſimos peccatores etiam in delictis ſuis perſeuerantes & morientes, tandem fore ſaluos, ſi benefici fue-
Li.21.de ciuit.cap.27. rint in pauperes: quod Auguſtinus apertè damnat & ſolidè refellit.

At verò Bernardus, Beda, Auguſtinus, cum veteri interprete conſtanter legunt *ſuperexultat*,

vt ſit manifeſta commendatio diuinæ miſeri- *L.2. de pec.*
cordiæ, cui præſertim omnis noſtra ſpes inni- *merit. & re*
titur, & qua ſola poſſimus in iudicio Dei tuti *miſſ. c.3.*
conſiſtere. Nam ſi ſummo iure nobiſcum agat, cauſa omnino cademus, ſoláque ſupererit nobis extrema damnatio. Itaque cùm frequentiùs & copioſiùs nobiſcum vtatur miſericordia, quàm iudicio, de illa gloriari & exultari poſſumus, eandémque iudicij terroribus opponere. Ait namque cum ſancto & magno iureiurando: *No-* *Ezech.18.*
lo mortem peccatoris. Miſericordiam volo, non ſacrifi- *Matth.9.*
cium, Filius hominis venit quærere & ſaluum fa- *Luc.19.*
cere quod perierat. Auguſtinus denique iſtis piis *L.Meditat.*
verbis Deum alloquitur: Tu factor omnium *c.2.*
Deus, licet in cunctis operibus tuis ſis mirabilis, mirabilior tamen crederis eſſe in operibus, pietatis. Vnde de temetipſo per quendam ſeruum tuum dixiſti, *Miſerationes eius ſuper om-* *Pſ.144.*
nia opera eius. Et quaſi de ſingulis loquentem, de vniuerſo populo tuo te dixiſſe confidimus: *Mi-* *2.Reg.7.*
ſericordiam meam non diſpergam ab eo. Nullum *Pſ.88.*
enim ſpernis, neminem abiicis, neminem perhorreſcis: niſi fortè, qui amens te exhorruerit.

Damaſcenus denique poſt aliquot alios *L.2 paralle-*
Scripturarum locos, & hunc D. Iacobi pro- *lorum, c.16.*
ducit, vt eleemoſynas & beneficentiam erga pauperes exhibere ſuadeat. Additque & iſtud Nazianzeni teſtimonium; Nulla omnino re, perinde vt miſericordia, Deus conciliatur: quandoquidem nec aliud quicquam Deo magis proprium eſt: quippe quam miſericordia

& veritas præcedant, & cui miſericordia ante iudicium offerri debet. Neque enim vlli alij rei, æquè atque miſericordiæ, miſericordia ab eo rependitur, qui iuſtè atque in pondere & menſura miſericordiam remetitur, &c. Atque hæc de priore huius capitis concione & parte:

14. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?*

HÆC Secunda pars huius ſecũdi capitis continet grauiſſimam vereque Apoſtolicam concionem de aliquot ſummis Chriſtianæ religionis capitibus, nimirum, de fide, de bonis operibus, de iuſtificatione, & ſalutis æternæ conſequutione. Status autem Concionis eſt, fidem bonis operibus deſtitutam, non ſolùm non ſufficere ad veram iuſtitiam & ſalutem: ſed etiam inutilem eſſe atque inanem. Iſtud confirmat euidentiſſimis & valentiſſimis argumentis, quæ ſigillatim explicabuntur.

Li. de fide & oper. c. 14. Omni porrò diligentia in primis notandum eſt, D. AVG. docere, quoſdam fuiſſe homines impuros ac Epicureos, etiam ab initio naſcentis Eccleſiæ, qui vt liberiùs cunctis ſceleribus ſeſe contaminarent, & indulgerent voluptatibus, finxerunt, & in conuenticulis ſuis diuulgauerunt, ad obtinendam iuſtitiam & ſalutem æternam, *Solam fidem ſufficere: Deum nihil à nobis exigere, niſi vt credamus:* bene autẽ viuere neglexerunt. Id autem probare conabantur ex obſcuris, & perperam intellectis ac interpretatis quibuſdam beati Pauli ſententiis:

quod ante Auguſtinum beatus Petrus ſatis indicauit, ſcribens: *Sunt in Epiſtolis fratris noſtri Pauli quædam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorũ perditionem.* Hæc autem præſertim erant: *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, &c.* Quoniam ergo hæc opinio fuerat exorta (inquit D. Auguſt.) aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ, contra eam maximè dirigunt, intentionem, vt vehementer aſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe. De præſenti autem loco & ſententia D. Iacobi idem Auguſtinus ſubiicit, Iacobus vehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus valere ad ſalutem, adeò etiam vt illos dæmonibus compararet dicens, *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Quid verius? Quid breuius? Quid vehementius dici potuit? &c.

2. Pet. 3. *Rom. 5.*

Cæterùm, quoniam iuxta Tertullianum & Hieronymum, ſententias hæreticorũ aperuiſſe, & origines prodidiſſe, hæreſes eorum ſuperaſſe & confutaſſe eſt, huius hæreſis authores ſunt inueſtigandi. Hi fuerunt in primis illi pſeudo-Chriſti & pſeudoprophetæ, quos Chriſtus prædixit eſſe venturos. Eoſdem Paulus appellat *Pſeudoapoſtolos, & angelos tenebrarum in angelos lucis transfiguratos.* Petrus, *magiſtros mendaces, ſectarios, perditos, Dei negatores, blaſphemos, fictos, audaces, ſibi placentes, irrationabilia pecora, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, auaros, maledictionis filios, &c.* Iudas verò, *homines impios, luxurioſos, Chriſti abnegatores, blaſphemos, Cainitas,*

Li præſ. Epiſt ad Cteſiphontem. *Matth. 24.* *Mar. 13.* *2. Cor. 11.* *2. Pet. 2.*

Balaamitas, Corytas, maculas, nubes ſine aqua, arbores
Li.1.c.1.& 20. *autumnales, bis mortuas, infructuoſas, eradicatas, fluctus feri maris, &c.* Inter hos B. Irenæus martyr connumerat Simonem magum, in conuenticulis ſuis prædicantem, *Homines non ſaluari per operas iuſtas, ſed per ſolam fidem & agnitionem:* ac eidem in erroribus ſucceſſiſſe Valentinianos
Li.2.adu. Ioan. idem conteſtatur Hieronymus, & poſt hunc Theodorus lib.1. hæreticarum fabularum tra-
Li.de hær. c.54. dunt Baſilidem fuiſſe in eadem hæreſi. Auguſtinus refert, Eunomium eiuſdem erroris fuiſſe participem: & eundem hoc impium dogma ab Aëtio didiciſſe, author eſt Theodoretus l.4. hær. fab. &c.

Superiorum Gnoſticorum impiam ſententiam ſibi hoc æuo inſtaurandam & propugnandam ſumpſerunt ſectarij omnes, qui infauſto nomine Hugnoſticorum comprehenduntur, clamitantes in concionibus, in legibus, in decretis, in compitis, in officinis, in libellis: *Solam fidem iuſtificare: hominem damnari non poſſe, modò tantùm credat: Deum nihil aliud à nobis poſtulare, niſi vt credamus. Opera bona non eſſe ad iuſtitiam & ſalutem neceſſaria, &c.* Atque hæc de primis huius hæreſis miniſtris & authoribus, quæ profectò illius nouiſſimos prædicantes pudefacere deberent, & reſipere.

Attende porrò Apoſtolum duplici, & vtraque vehementi interrogatione, concionem auſpicantem, vt maiore efficacitate probet, fidem ſine operibus inanem eſſe; latenter verò auditorum & lectorum animos ſibi conciliat, quando

illos *fratres ſuos* appellat. Quis enim fratrem fraternè monentem non libenter audiat? Deinde, quando inſinuat ſe dicturum eſſe de fide, de operibus, & iuſtificatione coram Deo omnipotente, dociles eos reddit. Confirmat autem Statum rei hoc primo argumento: Fieri non poteſt vt vera innocentia, iuſtitia, & ſalus æterna prodeat à re inani & vana. Certum eſt enim tantum bonum cauſam meliorem & ſolidiorē habere. Sed fides ſine operibus eſt res inanis & vana. Igitur impoſſibile eſt hominem ſola fide iuſtum & ſaluum eſſe. Quinimò tantum abeſt, vt illa ſola fides aliquam vtilitatem adferat, vt potiùs grauiorem efficiat hominis damnationem. Ait enim ſummus viuorum & mortuorum Iudex: *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis.* Et princeps Luc. 12. Apoſtolorum: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti* 2. Pet. 2. *ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato,*

Perpende etiam ex his euidenter apparere, fidem poſſe à caritate ſeparari: contra id quod autumant Hugnoſtici. Iacobus enim de his, vt rebus diſtinctis apertè loquitur, quando rogat, quid illa ſine caritatis effectibus prodeſſe valeat. Paulus quoque ſine vlla circuitione loquitur de illis, vt donis Spiritus ſancti diuerſis, quæque non ſibi neceſſariò cohærent. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil ſum.* 1. Cor. 13.

Hinc etiam patet diſtinctionem Scholaſticorum de fide informi, id eſt, caritate deſtituta:

& fide formata, hoc eſt, exornata munitáque Dei & proximi dilectione, rectè conſtitutam eſſe, atque expreſſo Dei verbo niti: quicquid in contrarium Hugnoſtici garriant & cauillentur. Nec enim ſolus Iacobus, ſed & Paulus, immò & Chriſtus, tradunt fidem formatam, i. quæ cũ dilectione & per dilectionem operatur, vim habere iuſtificandi & ſaluandi hominem: quãdo verò caritatis expers eſt, informis, inanis, mortua, & inefficax cenſetur.

1. Cor. 13. Gal. 5. Matth. 7.

Inde quoque manifeſtum eſt, eoſdem Hugnoſticos, apertè concedentes, *fidem qua iuſtificari dicimur, operari caritatem, perſeuerantiam, innocentiam, &c.* ſecum & cum veritate repugnare: quandoquidem huiuſmodi fides non ſit ſola: alibi verò frequentiſſimè ſcribant & prædicent, *Solam fidem iuſtificare atque ſeruare: nihilque aliud Deum à nobis requirere, quàm vt credamus.* Nam ſi ſola fides iuſtum faciat hominem; iam ſine ſpe, ſine charitate, ſine infuſa gratia gratum facientе, ſine Dei & proximi dilectione, ſine operibus iuſtus eſt: quæ extra modum abſona & abſurda ſunt. Sin verò cum illis coniuncta eſt, iam ſola dici non poteſt: atque ita ſub ipſis aduerſantur, funditúſque euertunt præcipuum hæreſeωn ſuorum fundamentum.

15. *Si autem frater aut ſoror mundi ſunt, & indigeant victu quotidiano:*

16. *Dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini, ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria & ſunt corpori, quid proderit?*

Hoc eſt ſecundum propoſitionis apoſtolicæ

licæ argumentum, quæ ab exemplo rerum præſentium quæ tunc fiebant, Apoſtolus confirmat, fidem ſine caritatis operibus nec iuſtos, nec ſaluos homines facere: imò rem eſſe inanẽ & mortuam: atque hoc modo rationatur. Liberalitas quæ in ſolis verbis conſiſtit, nõ eſt virtus, ſed potiùs inane ac mortuum virtutis ſimulacrum. Par iudicium ferendum eſt de fide bonorũ operũ experte; igitur hæc prorſus eſt ad ſalutem inutilis & vana. Hoc clarius facio, à rebus, quæ vt plurimum contingunt. Si quis egeno cuiuſcumque ſexus fuerit, ſecundùm ſpeciem humanæ naturæ, & propter religionem Chriſtianam quam profitetur, fratri chariſſimo, cui victus deſit, aut victus quotidianus, diues aliquis blandis verbis vultúque placito dicat, Abite cum pace, calefacimini & ſaturamini, atque hæc locutus neque veſtem neque panis micam, neque obolum dederit: Nonne huius blãdiloquentia egentibus inutilis erit? Nõne interea pauperes algebunt, ac eſurie conficientur? Nonne vt deluſi, pudore, doloréque confecti continuò recedent? Verbis enim non reficitur famelicus venter. Sic fidei profeſſio quæ ſolis verbis conſtat, torpet velut inanis & vacua: nec magis viua dicenda eſt, quàm putre cadauer meretur hominis appellationem: Nec enim Deo gratus eſt, imò Deum irridere videtur, qui fidem iactat, fidem crepat, nihil præter fidem habet in ore, qui quotidie canit, Credo in Deum, cùm nulla præbeat argumenta fidei.

Ex hoc autem primùm collige, cunctos

pauperes, quamtumuis afflictos & pannoſos, pro fratribus & ſororibus reputandos eſſe, ac eiſdem veluti fratribus miſereſcendum atque ſubueniendum. Sunt enim eiſdem patribus Adamo & Noé cum diuitibus nati, eiuſdem formæ & naturæ, eadem conceptionis & Natiuitatis lege procreati, eundem ſpirant aërem, iiſdem vtuntur elementis, eadem mortis conditione extinguntur. Hinc Rex idemque ſapiens ait de ſeipſo. *Ego natus accepi communem aërem, in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus omnibus introitus eſt ad vitam, &c. ſimilis exitus.* Ad diuites ſimiliter & pauperes pertinet, quod Iob exclamat: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Et quod Apoſtolus ait, *Nihil tulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid poſſumus.*

Sap. 2.

Iob. 1.

1. Tim. 6.

Perſpice ſecundò, ad veram integrámque pietatem non ſufficere bona blandáque verba, deſideria, intentiones egenis ſuccurrēdi, niſi idipſum opere præſtiteris, quando facultas adeſt, ideo diſcipulus quem diligebat IESVS, ait, *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera caritatis ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? filioli, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Cùm verò facultas non eſt, tum piis affectibus ac deſideriis compatiamur, & verbis conſolatoriis ad pietatē & patientiam cohortemur: & hæc ſua apud Deū mercede nō carebūt.

1. Io. 3.

Hinc Syracides: *Congregationi pauperum affabilem te facito*. Et rurſum: *Nonne ardorem refrigerabit ros? ſic verbum melius, quàm datum*. Paupertas quippè reddit frequenter homines impatientes, querulos, timidos, fures, &c. ideo adhortationibus & conſolationibus indigent, vt paupertatis onus ferant modeſtè & patienter. Eccle. 4. & 18.

Hinc quoque animaduerte corruptiſſimos omnium ſæculorum mores, quando etiam huius Apoſtoli ætate fuerint pauperum deluſores. Verbis enim multi diuites ſunt magnifici, & ficta liberalitate vaníſque pollicitationibus famelicos ſe paſcere ſimulāt, montes aureos pollicentur: ſed vix obolum, aut panis fruſtulum eis largiũtur. Ore ſunt liberales, re autem tenaces, inhumani & crudeles. Nō ſic Abraham, Gen. 18. non ſic: ſed pauperes quærebāt, inuitabat in domum ſuam, eiſdem cum pia coniuge libenter inſeruiebat. Et beatus Iob de ſeipſo ſcribit: *Si* Iob. 31. *deſpexi prætereuntem, eò quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: ſi non benedixerunt mihi latera eius: & de velleribus ouiũ mearum calefactus eſt: humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum confringatur.*

Inde quoque obſerua huius Apoſtolici loci vſum multiplicem eſſe apud D. BERNARDVM. Ser. 2. de Purific. Primò enim ex illo docet; Otioſitatem homini Chriſtiano exitioſam eſſe: cùm etiam otioſis nō conductis ad opus ſaluator ſuccenſuerit, dicēs: Matth. 20. *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Et Apoſtolus eius hîc doceat; *Fidem ſine operibus vanam & mortuam eſſe*. Deinde ſcribit, Nec ſine flore, Serm 31. in Cant.

fructus: nec ſine fide opus bonum poteſt eſſe. Sicut inutiliter flos apparet, vbi non ſequitur fructus, ita fides ſine operibus mortua eſt. Præterea, contendit ex hoc loco triplicem eſſe fidem, nimirum, mortuam, fictam, & viuam. Mortuam (inquit) definit Apoſtolus, eſſe, quæ non operatur ex dilectione. Fictam arbitror eam vocari, quæ ſuſcepta ex caritate vitâ, mouet ad bene operandum: ſed non perſeuerans deficit, moritúrque tanquam abortiua. Viuam autem, quæ per caritatem operatur. De hac enim dicitur à Propheta & Apoſtolo: *Iuſtus ex fide viuit.*

Epiſt. 42.

Diſce etiam ex hoc D. Iacobi loco, egenis parum prodeſſe bella & amica verba, niſi ſimul & operibus illos adiuues. Nam venter non habet aures, Deus quoque non ſolùm illis bene precari, ſed & benefacere iubet, *Frange eſurienti panem tuum, egenos vagóſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, &c.*

Collige denique, quòd ſi non profit amicis verbis dimittere pauperes, niſi & rebus tuis eos ſubleues; grauiſſimam pro certo damnationem illos manere, qui eoſdem oderunt, conuitiis proſcindunt, canibus ſuis lacerandos obiiciunt, tuguriis & caſulis ſuis expellunt, & hortulis priuant, vt ſua dilatent pomœria. Expendant velim quid regi Achabo, & filiis propter vi & fraude occupatam Nabothi vineam acciderit.

3. Reg.

17. *Sic & fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.*

Ad rem præſentem applicat argumentum nimirum, ad nudam illam fidei poſſeſſionem, quam præ ſe ferebant hypocritæ, Quòd humano corpori eſt anima, hoc fidei eſt caritas. Corpus ſine anima nec viuit, nec mouetur, nec prodeſt: imò fit putidum, & ſenſibus non ferendum cadauer. Subducta ergo à fide, caritate, illa mortua, inefficax, & vana quædam res eſt, indignáque veræ & viuæ fidei nomine.

Ergo non dãnatur hîc fides in genere: ſed præpoſtera coarguitur multorũ hypocritarũ gloriatio, qua bellè ſibi de fide Chriſtiana, de puro Dei verbo, de reuelata veritate, de eccleſia defæcata, de euangelio, placent: cùm interea viuant latrones, ſacrilegi, mœchi, ſuperbi, elati, turridi, perduelles, &c. Non enim reipſa fidem habent, ſed ſimulant: non vera tenentur religione, ſed tetris mergũtur erroribus; tandémque in atheiſmum miſerè prolabuntur. De his Pſalmiſta, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, &c.* Et Apoſtolus: *Verbis fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Huiuſmodi facinoroſis hominibus, hodie abundant eheu, principum aulæ, militum caſtra, hæreticorum conuenticula, &c. *Pſ. 13.* *Tit. 1.*

Sed neque inficiatur, eam eſſe veram, vt Hugnoſtici comminiſcuntur, ſed negat tantùm eam efficacem eſſe ad iuſtitiam & ſalutem. Nam vt corpus mortuum, tametſi mortuum, corpus tamen verum eſt, vitámque

recipere poteſt, tandémque per reſurrectionem rediuiuum erit: ſic & fides ſine caritate, vera certè fides eſt, & vera certáque ſunt quæ de Deo ſuadet: ſed inefficax ad ſalutem vitámque ſempiternam. Sic & opus morale, vt cultus parentum, promiſſum ſeruatum, eleemoſyna porrecta, collectus domo peregrinus, inductus nudus etiam à Turcis, Iudæis, Ethnicis præſtitum ſine vlla fide reipſa opus eſt, officiumque moralis virtutis: ita & fides eſt vera fides, non falſa, licèt bonis operibus exuta, ſicque & hîc à D. Iacobo, & à B. Paulo frequenter nominatur, 1. Cor. 13.

18. *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.*

Hoc eſt tertium argumentum, quo refellit Apoſtolus iactantiam hæreticorum de ſola fide iuſtificante & ſeruante, confirmat verò bonorum operum neceſſitatem. Ratiocinatur autem ex hypotheſi ac proſopopeïa duorum hominum valdè diſſimilium, quales fuerunt (verbi gratia) D. Petrus, & Simon magus: ſiue, Paulus, & Elimas magus: Stephanus, & Nicolaus: Ignatius ac Ebion: Irenæus, & Valentinus: Auguſtinus, & Lutherus: Hieronymus, & Caluinus. Vnus gloriatur de ſola fide, qua munitus, inflatis buccis clamitat ſe omnino iuſtum, & de propria ſalute ſe penitus certum eſſe. Alter accedit ad illum non ſolùm ingenti fide præditus, ſed & omnium bonorum fructibus abundans, atque virtutum co-

rona redimitus. Promptum erit huic inflatum illum iactatorem hoc pacto refutare & conuincere. Tu, quemadmodum iudicas & gloriaris, fidem habes, ſed bonis operibus omnino deſtitutam. At quomodo mihi & aliis verum eſſe perſuadebis? Fides enim res eſt ſpiritalis, inuiſibilis, & ſenſibus hominum haudquaquam expoſita. Oportet autem & Solem ſuo ſplendore, & ignem ardore, & arborem ex fructu iudicari. Qua igitur ratione fidem tuam probabis & manifeſtabis, quandiu ſola fuerit? Nonne potiùs euinco te vera fide carere, quantumcumque illam iactes ac prædicas? Ego autem per Dei gratiam, & fidem habeo, & bonis operibus abundo, quandoquidem Deum diligam ex toto corde, benefaciam his qui oderunt me, orem pro perſequentibus & calumniantibus. Ego veluti *Matth.25.* prudens virgo oleum & ignem in lampade geſtans, à cæleſti ſponſo excipior: tu ſicut fatua, cum ſolius fidei lampade vacua, è cubili regio excluderis. Ego tanquam lignum *Pſ.1.* plantatum ſecus decurſus aquarum, fructum *Matth.21.* profero in tempore; tu quaſi ficulnea ſterilis *Pſ.51.* maledictus areſcis. Ego ſicut oliua fructifera in *Ierem.17.* *Ioan.12.* domo Dei: tu ſicut mirix in deſerto, aut infelix *Matt.13.* lolium, tribulus, lappa, inter peſtes agrorum numeraberis. Ego ſicut granum frumenti cadẽs in terram, fructum multum adfero: tu ſicut impura zizania eradicaberis, & in ignem mitteris, &c.

In his primò notãdũ, duplex eſſe bonorũ ope-

rũ genus; Primum internorum ac purè ſpiritualiũ, vt ſunt boni motus, affectus animi, piȩ meditationes, cogitationes, eleuationes mentis in Deum, & quodlibet ſpiritale exercitium fidei, ſpei, & caritatis. Hoc genus adeò neceſſariũ eſt, vt ſine illo externa opera quãtumlibet ſpecioſa videantur hominibus, nec Deo grata ſint, nec proſint ad verã iuſtitiam & ſalutẽ. Reiiciuntur enim Iudæorum holocauſta, ſabbata, feſtiuitates, orationes, & ieiunia, eo quòd manus, id eſt, affectus illorum immundi eſſent. Alterũ genus eſt operũ externorũ, quæ à ſuperioribus, veluti fructus à radice prodeunt. Vtrũque autem pro tempore & facultate requirit Apoſtolus, vt viua veráque ſit fides Chriſtiana. Subſcribit vertex

2. Petr. 1. Apoſtolorum dicẽs: *Satagite vt per bona opera, certam veſtrã vocationẽ & electionẽ faciatis.* Et Chriſtus

Matth. 7. dicit: *Vnaquæque arbor ex fructu ſuo cognoſcitur.*

Notandũ ſecũdò, exẽplo D. Iacobi hæreticos & hypocritas refellẽdos eſſe exprobrationibus, nimirũ, quòd bonis operibus careãt: cõtrà verò infinitis propemodum auaritiȩ, ſuperbiæ, luxuriæ, homicidij, ſeditionis, periurij, blaſphemiæ, apoſtaſiæque ſceleribus ſint vt plurimum commaculati: quæ manifeſta ſigna ſunt impiæ religionis. Sic enim Chriſtus nos ratiocinari & colligere docet, inquiẽs: *Attendite vobis à falſis pro-*

Matth. 7. *phetis, qui veniunt ad vos in veſtimẽtis ouium, intrin-*

Io. 7. & 8. *ſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quinetiam Phariſæorum hypocriſim fortiter reprimit ac confundit, appellans eos, filios diaboli, generationem

prauam & adulteram, ſepulcra dealbata, filios *Matth. 12.*
gehennæ. Præcurſor eoſdem vocat genimina *& 23.*
viperarum. Petrus iubet Simonẽ magum cum *Matth 3.*
ſua pecunia ire in perditionem. Paulus Elimam *Act. 8. &*
nominat *filium diaboli, & inimicum omnis iuſtitiæ.* *13.*
Pari zelo Irenæus Gnoſticos, Tertullian⁹ Marcioniſtas, Cyprianus Nouatianos, & Hieronymus Vigilantianos & Iouinianos confutat & proterit. Pudefiant igitur, qui cum ſimilibus Chriſti ac Eccleſiæ ſponſæ illius hoſtibus colludunt, eiſdem blandiuntur, & tanquam fratribus dextras ſocietatis iungunt, ſimúlque pro catholicis volunt haberi. Certè Athanaſius Arianis, & Optatus, Auguſtinus quoque Donatiſtis plurima & grauiſſima exprobrãtes ſcelera, haudquaquam fratrum loco illos habendos eſſe cenſuerunt: quorum exempla vtinam ſibi imitanda propoſuiſſent ſuperioribus diebus Galliarum noſtrarum quidam Epiſcopi, & viri politici.

19. *Tu credis quoniam vnus eſt Deus? Bene facis. Et dæmones credunt, & contremiſcunt.*

Hoc eſt quartum contra ſolius fidei aſſertores argumẽtum: cuius poteſt eſſe duplex locus. Prior, ab inſufficienti definitione fidei: poſterior, à metu pœnarum infernaliũ. Quo ad priorem, interrogati hæretici, quid eſſet fides? Reſpondebant, Credere Deum eſſe, atque fidei ſymbolum Apoſtolicum confiteri. Turpiſſimè autem fallebant & fallebantur, quandoquidem iuxta hanc finitionem, vera & ſalutaris fides eſſet in cacodæmonibus. Quantùm verò ad po-

ſteriorem pertinet, omnia quæ de Deo traduntur in ſymbolo dæmones credunt, & adiurati palam fatentur vera eſſe. Interim autem nec propterea iuſtificantur nec ſaluantur, imò ad diuina iudicia toti perhorreſcunt. Ergo pſeudoapoſtolis ac hæreſiarchis ſolam fidem prædicantibus illa multomagis timenda eſſent. Vel ſic conficitur ratiocinatio: Tu tibi mirabiliter places, quòd vnicum eſſe Deum tibi perſuaſeris, & multitudinem deaſtrorũ (quam ſibi confinxerunt ethnici) aſpernaris & deteſtaris. Et id ſanè rectè. Sed interea nec dæmonibus quidem ob id præferendus eris: quoniam & ipſi perſuaſiſſimum habent vnum eſſe Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Cõfitentur etiam IESVM filium Dei, natum ex Marìa virgine, ac reliquos Chriſtianæ fidei articulos. Hæc porrò credulitas illis non prodeſt ad iuſtitiam vel ſalutem, ſed potius ad terrorem & ſupplicium: eò quòd nullam ſperent ſalutem, non diligant eum, non obediãt neque ſeruiant illi ex amore filiali. Igitur nec tibi proderit fides ſimilis.

Ex his autem primùm conſidera, præcipuum & maximum totius veræ religionis caput eſſe, Credere vnicum Deum eſſe in natura, eſſentia, deitate, & cunctis perfectionibus eſſentialibus: pluralitatem verò diabolicum figmentum, atque adeo impoſſibile eſſe, vt etiam cacodæmones hoc ipſum velut euidentiſſimum & certiſſimum habeant. Princeps namque dæmonum
Gen. 3. quærens ab Eua, *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex omni ligno paradiſi?* apertè fatetur vnum

eſſe Deum, qui poſſet leges hominibus ferre. Pluralitatem verò inducere tētans, ad eam ſubiecit: *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*, ex quo (vt rectè colligunt Clemens, Theophilus, & Iuſtinus) multorum deorum error, poſtea in orbem longè lateque prouectus, primum habuit exordium. Magi Pharaonis pacta cum dę- *Exod. 6.* monibus habentes, cum in tertio ſigno deficerent, vni & ſoli Deo gloriam dare coacti, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic.* Quinetiam immundorum ſpirituum legio coram Chriſto trepidans exclamauit, *Quid tibi & nobis IESV fili Dei altiſſi-* *Matth. 8.* *mi? Veniſti ante tempus perdere nos? Ne nos mittas in* *Mar. 5.* *abyſſum*: quibus euincitur dæmones non ſolùm credere & contremiſcere vnum Deum: verùm & Chriſtum filium eius conſubſtantialem & coæternum, cum omnem poteſtatem etiam in inferis haberet. Quod iterum confirmant ad *Luc 4.* Chriſtum vociferantes, cùm ex corporibus humanis eos expelleret, *Quia tu es Filius Dei.* Hæc autem dæmonum fides neque eſt donum Spiritus ſancti, neque virtus Theologica, neque ſpōtanea confeſſio: ſed quædam credulitas vi tormentorum coacta iræ diuinæ, quam experiuntur, profeſſio. Ex quibus rurſum conſidera, Atheos qui Deum negant, Libertinos qui illius derident iudicia, ac hæreticos infinitam eius poteſtatem & bonitatem blaſphemantes, hac in parte dæmonibus deteriores eſſe, qui ad eadem tremere & cohorreſcere dicantur.

Præterea, ex his clarum eſt, duplicem eſſe Dei timorem. Primū filialem, qui ex fide, amo-

re, reuerentiáque diuinæ maieſtatis oritur: atque hunc in ſanctis præſertim vigere, quibus
Pſal.31. dicitur: *Timete Dominum omnes ſancti eius.* Alterũ ſeruilem, qui ex ſuppliciorum & minarum illius terrore concipitur, de quo Chriſtus ait;
Matth.12. *Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* De vtroque Poëta canit, Oderũt peccare mali formidine pœnæ. Oderunt peccare boni virtutis amore.

Intuere rurſus, ad iuſtificantem & ſaluantem fidem neceſſarium eſſe adnectere ſpem promiſſorum Diuinorum, ſimúlque caritatem, obeditionem, humilitatem, cæterarúmque virtutum chorum. Illos enim qui dicebant, Credidi, ſufficit mihi, AVGVSTINVS ſic alloquitur: Sed quid
Tract.6.in Io. dicit Iacobus? *Et dæmones credunt & contremiſcunt.* Magna eſt fides, ſed nihil poteſt ſi non habeat caritatem. Confitebantur & dæmones Chriſtum credendo, ſed non diligendo. Fidem habebant, caritatem non habebant, ideo dæmones erant. Noli de fide gloriari, adhuc dæmonibus comparandus, &c.

Ser.16 de verb. Apo. Et idem alibi, Quid pertinet ad fidem? Credere. Sed ait Apoſtolus Iacobus, *Et dæmones credunt, & contremiſcunt.* Si tantùm credis, & ſine ſpe viuis, vel dilectionem non habes; & dæmones credunt & contremiſcunt. Dicis Chriſtum eſſe filium Dei: hoc dixit Petrus, & audiuit, *Bea-*
Matth.16. *tus es Simon Bar-Iona*: hoc dixerunt dæmones, &
Mar.1. Luc 4. audierunt: *Obmuteſcite*, & repelluntur. Dęmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. Addo ergo fidei ſpem. Et quæ ſpes eſt niſi de aliqua

conſcientiæ bonitate? Speíque ipſi adde caritatem. Rurſumque alibi, Cōfeſſio Petro fructuoſa fuit, dæmonibus pernicioſa: in vtriſque tamen non falſa, ſed vera: nō neganda, ſed agnoſcenda: non deteſtanda, ſed approbanda eſt, &c.

*l de vnico Baptiſmo c.*10.

20. *Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt.*

Aditum ſibi parat ad quintum argumentum, & quaſi hæreticorum aures hac interrogatione vellicat, & excitat ad illa, quę poſtea dicturus eſt. Senſus eſt; Si adeo pertinax & præfractus es, ô hæretice, vt adhuc ſola iſta fide iuſtificari & ſaluari te poſthac confidas, agedum ſacris exemplis te nuncnunc vrgebo & conuincam. Atque in primis ſanctiſſimi & celeberrimi patris omnium credentium Abrahæ notiſſimum exemplum proferam, quo te doceam, mortuam & inutilem eſſe eam fidem, quæ per caritatem non operatur.

Inanes autem aptiſſimo epitheto vocat hæreticorum miniſtros quos hîc refellit, vt qui thraſonica tantùm verba reſonarēt, reipſa verò viua fide, caritate, & bonis operibus deſtituerentur. Sumpta eſt autem metaphora à vaſis vacuis, quæ eò magis ſonant & crepitant, quo plus vacua ſunt. Sic & illi in hypocriſi loquentes mendacium, quo magis fidem perſtrepebāt verbis, eò omnibus bonis operibus & virtutibus erant vacui. Similiter & beatus Iudas commodiſſimis titulis eoſdem exornat & vocat *arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas, eradicatas: fluctus feri maris, &c.* Paulus quoque teſtificatur

1.Tim.3. eos ſpeciem quidem pietatis habere, ſed virtutem abnegare: & quod verbis quidem fatentur ſe noſſe Deum, factis verò negare, cùm reapſe abominati ſint & reprobi. Iob denique fictos *Io.16.* amicos ſuos (qui iuxta D. Gregorium, typum hæreticorum referebant) appellat verboſos & *l.1. cõf.c.6.* loquaces. Huiuſmodi garrulitatis ac impudentię Manichęos notans Auguſtinus, ait, Incidi in homines ſuperbè delirantes, in quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nomini Dei, & Domini IESV Chriſti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum: ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ, cor autem inane veri. Et dicebant, Veritas, & veritas, & nuſquam erat in eis. Itaque inter hæreticorum notas, hæc quoque connumeretur, quòd ſint verboſi, clamoſi, inanes, & pugnis verborum dediti.

Ho 2.in Geneſ. S. CHRYSOSTOMVS expendens hunc Apoſtoli locum auditores excitat ad bonorum operum ſtudium, dicens, Vt alacriores nos reddatis, cum rectæ fidei dogmatibus, vitam veſtram diligenter curate. Fulgeat lux veſtra coram ho- *Matth.5.* minibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: vt & vita conſonet fidei, & dogmata prædicent vitam. Fides enim ſine operibus mortua eſt, & *Tom.3. Ser. de Euch. in Encenūs.* opera ſine fide mortua ſunt, &c. Idémque alibi, Non ſatis fuerit, inquit, vulgariter & ſimpliciter Chriſtianos homines dici nos. Adhibeo dignum fidei teſtem, fratrem Dei Iacobum dicentem: *fides ſine operibus mortua eſt*. Ergo vbique

opus eſt mandatorum operatione. Nam illa abſente, neque Chriſtiani hominis appellatio nobis prodeſſe poterit,&c.

21. *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?*

Subiicit nunc ipſum quintum argumentum, quo beatiſſimi patris Abrahæ clariſſimo exemplo probat omnes homines coram Deo iuſtos fieri non ſola nudâque fide, ſed piis ſimul obedientiæ & caritatis operibus. Talis porrò eſt ratiocinatio: Quod patri omnium fidelium ex Diuina ordinatione cõtigit, omnes fidei & pietatis eius imitatores & poſteri, illud ipſum ſibi pro exemplo poſitum reputare debent. Sed ille non ſola fide iuſtus & ſanctus euaſit: verùm fidei coniunxit mirabilem obedientiam, ardentiſſimam caritatem, ſpem inconcuſſam, filium immolando, ſimúlque credẽdo quòd Deus poſſet eum ſuſcitare à mortuis. Et quid non facturus erat tantus Patriarcha de diuitiis & opibus ſuis, qui tam prõpto & alacri animo proprium filium, & eum vnicum hæredem, in ſenecta genitum ad aram duxit, ligauit, & gladio extracto iugulare, immolare, flammis voracibus abſumere pro Dei reuerentia & amore diſpoſuit? Igitur nec illi ſola fide iuſti poſſunt eſſe, niſi bona opera eidem coniunxerint. *Gen. 22.* *Heb. 11.*

In primis autem hîc omni diligentia notandum eſt, ad conciliandum hũc D. Iacobi locum cum multis beati Pauli ſententiis, ſecundùm ſpeciem pugnantibus, duplicem iuſtificationis ſpeciem ex ſacris literis conſtituendam eſſe,

Prior ſic à Theologis deſcribitur: Eſt mutatio quædam ſpiritualis & ſupernaturalis, qua Deo authore, aliquis de iniuſto fit iuſtus. Id eſt, ex homine inuiſo, ingrato, inimico, peccatore, impio, filio iræ atque gehennæ, fit reipſa coram Deo ſecundùm animam & conſcientiam verè iuſtus, gratus, carus, vas gratiæ & miſericordiæ,

Rom.8. filius ac hæres Dei, cohæres autem Chriſti. Hãc vocant iuſtificationem primam, quam D. Paulus in omnibus epiſtolis præſertim ad Rom. & ad Galat. omni contentione ac ſtudio probat, nemini contingere propter merita præceden-

Rom.3. tia, ſed ſola Dei gratia & miſeratione. Scribit enim luculentiſſimè: *Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram Deo: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine*

Rom.4. *operibus legis.* Et iterum, *Si Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriã, ſed non apud Deum,*

Gal 2. *&c.* Iterumque alibi. *Scientes quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem* Iesv *Chriſti. In Chriſto credimus, vt iuſtificemur, &c.* Atque hęc de prima iuſtificatione ex Apoſtolo: quibus cum vniuerſa Catholicorum virorum corona, his

Epiſt.105. verbis ſubſcribit Auguſtinus. Quod eſt meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia? Et cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quàm munera ſua? Rurſum quoque alibi idem ma-

Epiſt.105. & expoſitione 2. in Pſal.18. gnis viribus contendit, imò euicit, ideo gratiam Dei vocari gratiam, quòd omnino gratis, gratuito beneficio, & ſine vllis præcedẽtibus meritis

ritis noſtris donetur ac infundatur: quia gratis (ait) ideo gratia. Non eſt enim gratia, niſi gratuita, quia nihil boni ante feceramus, vnde talia bona mereremur. Ne inferretur ſupplicium, gratis præſtitum eſt beneficium. Alibi rurſum pro exemplis gratuitæ iuſtificationis proponit Adæ, Lot, Dauidis, Ionæ, Manaſſis, Petri, Pauli, Magdalenes, Samaritanæ, Matthæi, Zachæi, latronis, Thomæ, &c. ad iuſtitiam reditum & vocationem.

Clarum autem ac certum eſt beatum Iacobum hîc non diſputare de hac priore iuſtificationis ſpecie, vt exemplum Abrahæ docet euidentiſſimè, quia iam tum ſanctiſſimus & Deo gratiſſimus erat quando filium ſuum immolare voluit: quandoquidem antea cū eo & frequenter & familiariter Dominus locutus fuerat, eius ordinatione terra natalis ſui relicta, peregrinatus fuerat in Ægyptū & Chanaam, Diuina ope *Gen. 12. 13.* quatuor reges fuderat, quater eidē promiſſum *14. 15 18.* fuerat ſemen cum ſtellis comparandum, & in *19. &c.* ipſo benedicendas omnes gantes. Circumciſus, pactum Dei ſecum, & cum tota poſteritate iam receperat: Deus ipſius protectorē, & mercedem magnam nimis fore ſe promiſerat. Melchiſedec ſummus Dei ſacerdos, & Chriſti typus, eidem benedixerat. Ad eūdem tres Angeli diuinitus miſſi, filium ex ſterili & ſenectute cōfecta vxore Sara promiſerāt: & in eius gratiam Loth fratruelem de Sodomorum interitu liberauerant. Quinetiam de illo Scriptura adfirmarat, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad*

iuſtitiam. Ex quibus cunctis manifeſtũ eſt, Abraham antea iuſtum, piũ, ſanctúmque fuiſſe quàm filium offerret: ſicque D. Iacobum nõ de prima iuſtificationis ſpecie hoc loco diſſerere, adfirmaréque Abraham iuſtificatum eſſe ex operibus offerendo filium ſuum Iſaac ſuper altare: ſed de altera, de qua nunc dicendum.

Secunda ergo iuſtificationis ſpecies eſt Mutatio ſpiritualis & ſupernaturalis, qua aliquis de iuſto & ſancto fit iuſtior atque ſanctior. Id eſt, ex homine per gratiam recto, mundo & accepto ad vitam æternam, per augmentum nouę gratiæ fit rectior, mundior, & acceptior ad maiorem gratiam & gloriam. De hac ſcriptũ eſt:
Apoc. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt,*
Eccleſ. 18. *ſanctificetur adhuc*. Item. *Ne verearis vſque ad mor-*
Pſal. 83. *tem iuſtificari*. Hoc Dauid appellat, *ire de virtute in virtutem, donec videatur. Deus deorum in Sion.*
2. Cor. 4. & 9. Paulus autem, *Renouationem hominis interioris de*
Epheſ. 2. *die in diem. Augmentum frugum iuſtitiæ noſtræ.*
Coloſſ. 3. Eandem iuſtitiæ & pietatis progreſſionem ſibi dari petunt filij Eccleſiæ, quando cum matre orant: *Da nobis Domine, fidei, ſpei, & caritatis augmentum, &c.* Ex quibus euidenter patet, præcedentem in homine iuſtitiam & gratiam conſeruari, perfici, & adaugeri ſuccedentibus bonorum operum meritis. Item, non ſolam eſſe iuſtificationem quandam incipientem à fide & gratia, quam Paulus impenſè commendat: ſed & alteram ex bonorum operum meritis, per quã illa prior adaugetur, perficitur, & conſummatur, de qua præſens eſt beati Iacobi tracta-

tio. De vtraque differentem D. Auguſtinum videat lector diligens, l. 3. hypognoſticon: l. de fide & operib⁹: & Epiſt. cẽteſima ſexta. Hæreticorum aduerſus hanc Iuſtificationis ſectionem & confirmationem argumenta ſatis copioſè & ſolidè refellunt Alphonſus à Caſtro, Andreas Vega, & Thomas Stapleton viri doctiſſimi. *l. 7. cõt. hæreſ. de fide.* *l. 10. de iuſtif.* *l. 5. de iuſtif.*

Cæterùm, Apoſtolus patris omnium credentium Abrahæ exemplum adferens, ſatis indicat veterum atque maiorum noſtrorũ fidem, pietatem, pios mores, & præclara vitę exempla poſteris prædicanda, & ad imitandum eſſe proponenda: iiſdémque vtendum in concionibus & diſputationibus ſacris. Eo fine Moyſes in Geneſi Abelis pietatem, Noë patientiam, Abrahę fidem, Iſaac manſuetudinem, Iacob tolerantiam. Ioſeph caſtimoniam magnificè celebrat, commendátque nepotibus. Chriſtus Iudæos ad Abrahæ patris mores relegat, d. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et Paulus poſtquã benè longum catalogum ſanctorum patrum contexuit, ſubiicit tandem: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorũ exitum conuerſationis intuentes, imitamini fidem.* Etenim ſi valet argumentum ab vnius Abrahæ exemplo, multo magis valere debent à tot patribus, tot martyribus, tot diſcipulis & Apoſtolicis viris deſumptæ probationes ad poſteros excitandos, mouendos, & in fide boniſque operibus confirmandos. *Io. 8.* *Heb. 11. & 13.*

In producto etiam Abrahæ exemplo nobis

ad imitationem proponitur in primis maxima & conſtantiſſima fides eius, qua *non hæſitauit*
Gen.22. Rom 4. Heb.11. *diffidentia* (inquit Paulus) *non eſt infirmatus in fide: ſed dedit gloriam Deo, quia quacunque promiſit, potens eſt & facere. In ſpem contra ſpem credidit, &c.* Deinde, nunquam ſatis miranda obedientia, qua proprium filium, vnicum Diuinarum promiſſionum ad ſe factarum hæredem, nihil dubitauit è matris abducere gremio, in montem perducere, ligare, & ſuper ſtruem lignorum in ara poſitorum conſtituere, vt Deo in holocauſtum offerret. Præterea, beati Iſaac ſummam erga patrem reuerentiam, demiſſionem & reuerentiam, qua non detrectauit in tanto facinore obaudire parenti, quis ſatis dignè celebraret? Demum, tantæ fidei, ſpei caritatis, & obeditionis glorioſiſſima merces apud Deum eſt
Gen.22. mirabilis: Ait enim. *Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti Iſaac filio tuo propter me, multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, &c.*

Hinc etiam cernimus, non tantùm bona opera cum fide eſſe iungenda: verumetiam quomodo ex illis homines iuſtitiam & ſalutem conſequantur. *Abraham* (inquit Apoſtolus) *nónne ex operibus iuſtificatus eſt?* hac interrogatione longè vehementius affirmans ita eſſe, quàm ſi oratione ſimplici idipſum aſſeruiſſet. Ergo non ſolùm hallucinantur Hugnoſtici, ſed & doctrinæ apoſtolicæ palam aduerſantur, bellúmque Spiritui ſancto per eoſdem loquenti ac ſcribenti indi-

cunt, quando id pertinaciter & proteruè negant.

Attende quoque ſanctiſſimum Abraham vocari *patrem noſtrum* in communi, id eſt, non Iudæorum tantùm, ſed & gentium. Licèt enim nox ex gentibus nati ſimus, non ex Abrahæ iuxta carnem ſemine: nihilominus veri ac germani illius poſteri cenſemur, ſi eius fidem, obeditionem & pietatem imitamur. Eſt enim pater *non his tantùm* (ait Paulus) *qui ſunt ex circunciſione, ſed & his qui ſequuntur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Scriptum eſt enim: Quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Hinc Auguſtinus, Si gratiam Dei firmo corde retinemus, ſumus Iſraël, & ſemen Abrahæ. Non enim carnaliter circunciſę genti, tantummodò factus eſt pater, cui dictum eſt, *Patrem multarum gentium conſtitui te.* Multarum autem, non quarundam, ſed omnium. Nullus itaque Chriſtianorum ſe à nomine Iſraël arbitretur extraneum. Illis enim qui crediderunt ex Iudæis, vt Apoſtolis, in angulari lapide copulamur. Hinc Dominus. *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, quas oportet me adducere.*

Rom. 4.
Gen. 18.
In Pſa. 105.
Gen. 18.
Eph. 2.
Io. 10.

Sed quopacto dicitur hîc, Abraham iuſtificatus ex operibus, cùm è contrario b. Paulus multis contendat eundem iuſtificatum fuiſſe ex fide, & non ex operibus? Nũ Iacobus Paulo aduerſatur? Minimè gentium. Nam Paulus, ſecundùm Auguſtinum, loquitur de operibus, quæ fidem præcedunt: Iacobus de his quæ ſe-

l. 83. q. q. 76.

quuntur. Nam qui putant (infit ille) iſtam Iacobi Apoſtoli ſententiam contrariam eſſe illi Pauli ſententiæ, poſſunt arbitrari etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium, quia dicit alio
Rom. 2. loco: *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed*
Gal. 5. *factores legis iuſtificabuntur.* Et in alio loco: *Sed fides quæ per dilectionem operatur, &c.*

Nec deſunt qui reſpondeant, Paulum loqui de operibus, id eſt ritibus & ceremoniis legis Moſaicæ, quibus omnes Theologi virtutem iu-
Heb. 10. ſtificandi rectè detrahunt, quandoquidem lex nihil ad perfectum perduxit: Iacobum autem de operibus Euangelicæ pietatis & caritatis, quibus non parua incrementa præcedenti accedunt gratiæ & iuſtitiæ, hoc loco diſſerere.

22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?*

His applicat argumentum, id eſt, iuſtificationem Abrahæ, ad rem à ſe intentam, videlicet quòd ſola fides non proſit ad iuſtitiam & ſalutem ſine bonis operibus. Fides inquit, & opus in Abraham mutuo ſibi fuerunt auxilio. Fides addebat animum, vt non trepidaret immo-
Heb. 11. lare filium, quem non dubitabat mox Diuina virtute reuicturum: ſed factum inſigne veluti colophonem impoſuit, etiam apud omnes generationes hominum declarans fiduciam Abrahæ nec vulgarem, nec mortuam eſſe. Neque enim fingit, neque dubitat, qui non cunctatur in vnico filio vnicè caro periculum facere. An grauatus fuiſſet pro Deo pecuniam negli-

gere, qui filium, patri cariorem quàm ipſe ſibi ſit, promptus duxit ad mortem?

Hinc autem apparet nec fidem ſine operibus, nec opera ſine fide quicquam ad iuſtitiam & ſalutem prodeſſe: ſed neceſſum eſſe vtrunque ſic copulare, vt fides bona opera facere doceat & perſuadeat, voluntatíque his incumbenti cooperetur: ipſa quoque opera ex fide prodeant, in fide perficiantur, fidem augeant, confirment, & patefaciant. Idem quippe Apoſtolus qui ſcribit, *Impoſſibile eſt ſine fide hominem placere Deo*: ſcribit quoque, *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Heb. 11. Rom. 14.

Patet quoque, fidem ſuos gradus habere, quibus naſcitur, creſcit, roboratur, perficitur, & conſummatur. Quod & illi produnt euidentiſſimè, qui ad Chriſtum vociferantur: *Domine, adauge nobis fidem.* Similiter & Paulus cùm ſcribit ſe ſpem habere creſcentis fidei Corinthiorum: ſimúlque gratias agit, quod verbum fidei in vniuerſo mundo fructificaret atque creſceret: & quòd creſcerent Coloſſenſes in ſcientia Dei. Fidem itaque noſtram lectionibus ſacris foueamus, & iuſtis operibus perficiamus atque conſummemus. Luc 17. 2. Cor. 10. Coloſſ. 1.

Docemur rurſus exemplo patris Abrahæ, fidei habitum ſpiritalem, & in animis latentem confirmari ac manifeſtari bonorum externorúmque operum exercitio, ne tepeſcat: ſimúlque proximis exemplo ſimus, vt glorificent patrem qui in cœlis eſt. Corde quidem credi- Matth. 5.

Rom.10. mus ad iuſtitiam, ore autem confitemur ad ſalutem cùm propriam, tum alienam.

l.4.c.13. B. IRENÆVS martyr ex hoc D. Iacobi loco, & aliis conſimilibus, colligit, eandem fuiſſe fidem Abraham cum noſtra: quandoquidem il-
Gen.22. le verbum Dei incunctanter ſequutus eſt, ſicu-
Matth.4. ti poſtmodum Apoſtoli Chriſtum: idem prono animo filium obtulit, ſignificans Chriſtum pro
Io.8. redemptione mundi offerendum: & cùm eſſet propheta, vidit in Spiritu diem aduentus, & paſſionis Domini, & exultauit vehementer. Credidit enim Domino, & Patri eius: & deputatum eſt ei ad iuſtitiam, &c. Hoc idem poſt Irenæum diffuſius pertractant. Euſeb. l. 1. hiſt. c. 1. Epiphanius initio l. adu. hæreſes; Auguſtinus Tract. 45. in Io. lib. 2. contra lit. Petiliani c. 37. & libro 19. contra Fauſtum, cap. 13. 16. 17. &c.

D. FVLGENTIVS ex eadem ſententia probat,
l. de incarn. c. 20. Chriſtum in quem credidit & ſperauit Abraham, fidem in corde vniuſcuiuſque noſtrum
Heb.12. immittere, formare & conſummare. Propterea in Epiſtola ad Hebræos, admonemur, aſpicere in authorem fidei, & conſummatorem IESVM: qui ſic eſt author fidei noſtræ, vt ipſe fidem non habentibus donet, ſicut eſt eiuſdem fidei conſummator, cùm eam in habentibus augendo multiplicat, & ſancta operatione conſummat. Dicit enim b. Apoſtolus Iacobus: *quia fides Abrahæ patris noſtri ex operibus conſummata eſt.*

23. *Et impleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputandum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.*

Deducit argumentum ad ipſum proximum fontem, id eſt, ad ſacram hiſtoriam de Abrahæ fide, operibus, & præmiis eorum: quæ omnia diligenter à Moyſe ſunt tradita, & poſtea per Apoſtolos confirmata & expoſita. Etenim ingens illa fides, quæ perduxit eum ad opera planè magnificentiſſima, manifeſtat ſatis veriſſimam eſſe Scripturam illam, in qua toties recenſetur Abraham ſeruum & amicum Deo cariſſimum eundémque virum fuiſſe iuſtiſſimũ. Nam credidit Deo per angelum nũcianti quòd ex Sara hæredem haberet, & obediuit iubenti vt eundem immolaret: ac ex hoc tam inſigni documento fidei perfectum eſſe conſtat, quod Scriptura dixit: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ad iuſtitiam, & amicus Dei vocatus eſt*; & reipſa fuit. *Gen. 15. & 22. Rom. 4. Galat. 3. Gen. 15. Iſa. 41.*

Primò autem hîc refellendus occurrit error Lutheri qui contradicendi ſtudio abreptus ſcripſit, *Hanc Iacobi doctrinam Pauli ſententiæ contrariam eſſe*. At longè melius ſenſit & pronunciauit Auguſtinus, ſcribens: De ipſo Abraham inuenimus in epiſtola alterius Apoſtoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerunt ipſum Apoſtolum Paulum. Iacobus enim in epiſtola ſua contra eos, qui nolebant benè operari de ſola fide præſumentes, ipſius opera cõmendauit, cuius Paulus fidem: & non ſibi aduerſi Apoſtoli. Cùm enim Abraham ſecundùm *Præfat. in Pſ. 31.*

Paulum, iuſtificatus ſit ex fide tanquam ex radice, & fundamento ſecundùm Iacobum, iuſtificatus eſt ex operibus tanquam ex fructu & ſuperædificatione. Atque hoc modo intellecti hi duo Apoſtoli, ſunt inter ſe omnino concordes.

Iſa.45. Cùm autem dicit, *Et impleta eſt Scriptura*, ſa-
Gen.15. tis innuit nihil falſum, nihil vanum, nihil omnino in ea contineri, quod non ſuo tempore & ordine perfectè compleatur. Siquidem illa verum & viuum eſt verbum omnipotentis Dei, qui nec fallere, nec mentiri, nec in conſiliis ſuis à quo-
Io.10. quam præpediri poteſt. Hinc Chriſtus, *Non poteſt*
Matth.5. *ſolui ſcriptura: Non præteribit à lege Iota vnum, aut*
Luc.21. *vnus apex, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Conſtantiſſimè autem Abraham *credidit*
Rom.4. *Deo*, quia contra omnem ſpei apparentiam. In Iſaac enim promiſſiones acceperat, & tamen illum iugulare & comburere nihil detrectat: nihilominus ratas fore promiſſiones non ambi-
Gen.22. git. Præcipit ei Deus de cælo: *Accipe filium tuum quem diligis Iſaac, & offer mihi illum in holocauſtum.* Non frangitur, non turbatur hac iuſſione, ſed pergit in domum, aſinum ſternit, ligna cōcidit, gladium & ignem ſumit, puerum ducit, pergit ad locum, & filium in ara diſpoſitum mactare
Heb.11. parat. Credit autem quòd à mortuis ſuſcitare, & per rediuiuum promiſſiones ſuas Deus adimplere poſſit & velit. Quæ fides huic valet comparari? Hanc imitemur, ſi velimus eſſe filij A-
Rom.9. brahæ.

Credidit Deo, quoniam & ſeipſum, & filium

prædilectum,& poſteritatis ſuæ omnem ſpem commiſit Diuinæ voluntati atque diſpoſitioni: atque ideo eximium fidei fructum, & maximā iuſtitiæ laudem coram Deo,angelis,&omnibus ſanctis conſequutus eſt. Ergo è contrario, non proderit ei ſua fides,qui iubente Deo, grauatur impartire veſtem algēti proximo, qui detrectat porrigere panem eſurienti,potum ſitienti,quaſi eum Deus paſſurus ſit perire frigore aut famē, qui de ſuis facultatibus aliquid erogarit in fratris ſui neceſſitatem?

Quid porrò Abhrahæ tanta in Deum fiducia,piis operibus comprobata & cōiuncta profuit? *Deputatum eſt ei*,inquit, *ad iuſtitiam*,idcirco coram Deo verè iuſtus & ſanctus comprobatus eſt: *& amicus Dei appellatus eſt*. Sancti videbantur Phariſæi ob crebra ieiunia,largas eleemoſynas, longas orationes,& ſtolas albas,ſed tantùm coram hominibus: quando intus ac coram Deo pleni eſſent hypocriſi ambitu,inuidentia, dolis & rapinis. Abraham verò & iuſtus, & amicus Dei verè dictus eſt,& reipſa fuit. Quid huic dignitati conferri vel præferri poteſt? Amicos,inquit AVGVSTINVS, coniunctio animorum facit. Vnde quidam ſapiens huius mundi ait, Idem velle atque idem nolle, ea demum vera amicitia eſt. Quomodo iſte ſanctus animum cōiunxerit Deo vultis noſſe? Sicut Deus Pater vnico filio ſuo non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum: ita & iſte vnico filio non pepercit,ſed iubente vt immolaretur ei,qui dederat eum,deuoto corde obtulit eum. Vnde per-

Matth. 23. Luc. 18.

Tom. 9. tractatu de 4. virtutibus caritatis.

Iſa. 41. prophetam ait Dominus. *Tu Iſraël ſeruus meus, Iacob quem elegi, ſemen Abrahæ amici mei.* Itaque
Io. 8. ſi Abrahæ filij & cohæredes vultis eſſe, opera Abrahæ facite.

24. *Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum.*

Concludit ex præmiſſis rem propoſitam: nimirum, hominem iuſtificari & ſanctificari coram Deo, non ex ſola fide, nec ex ſolis operibus: ſed ex fide ſimul & bonis iuſtíſque operi-
Gal. 5. bus. Nam vtrunque ad veram iuſtitiam requiritur: quandoquidem fides quæ per dilectionem non operatur, mortua ſit; & opera ſine fide non ſint Deo grata & accepta: quòd omni luce clarius cernitis in producto patris Abrahæ exemplo.

Hîc autem fœdiſſimè impingunt & labuntur huius ætatis Hugnoſtici. Primò, cùm autumant Iacobum hîc nõ loqui de vera iuſtitia coram Deo: ſed tantùm de illa, quæ apparet & iudicatur ab hominibus. Nam exemplum Abrahæ, qui ob fidem & opera bona iuſtificatus eſt, & amicus Dei vocatus, commentum iſtud manifeſtè & ſolidè refellit. Deinde, cùm hæc iuſtitia longè ſit ab hypocritica & Phariſaica, quæ in hominum æſtimatione conſiſtit, certum eſt hîc de vera & ſolida diſputari: non de inani & fallaci.

Secundò, iidem turpiſſimè fallunt & falluntur, quando non aliam conſtituunt iuſtificationem, quàm putatiuam. Verbum enim græcum δικαιοῦται, iuſtificatur, non imaginariam

& fictitiam illam iuſtitiam quam architectantur,ſed veram,ſolidam , animóſque immutantem & exornantem ſignificat,quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. *Rom.5.*

25. *Similiter & Raab meretrix,nonne ex operibus iuſtificata eſt , ſuſcipiens nuncios , & alia via eiiciens?*

Hoc argumento ſexto deſumpto ex libro Ioſue, pergit Apoſtolus confirmare propoſitionem: videlicet,ſolam fidei profeſſionem eſſe infructuoſam,ideóque ſtudium bonorum operum ei connectendum eſſe,vt proſit ad iuſtitiã & ſalutem. Vult autem dicere; Si Abrahæ omnium patriarcharum præcellentiſſimi exemplum vos non ſatis commouet ad opera bona præſtanda,moueat vos ſaltem ſtudium alienigenæ & probroſæ mulierculæ.Iudæorum profectò eſſet,filios ac hæredes diuinarum promiſſionũ,ab ethnica & mali nominis fœmina pietate ſuperari.Raab nec Iudæa fuit, nec Abrahæ filia,ſed gentilis.Nullas conciones de lege Dei, de teſtamẽto aut fœdere illius cum hominibus, de hominis lapſu vel reparatione,deMeſſia promiſſo aut venturo, vnquam audierat. Nullum vnquam Deo vero ſacrificium offerre conſpexerat: quinimò inter cultores dæmonum nata, educataque adoleuerat:& diuerſorio meritorio præfecta, impuro infamíque corporis quæſtu ac lenocinio miſeram vitam ſuſtentabat. Et tamen hæc tandem aliquando meruit ſanctorum patrum & prophetarum adſcribi catalogo, atque inter filij Dei ſaluatoris totius mundi ma-

Ioſue.2. *Heb.11.*

tres & parentes connumerari. Quibus amabò, artibus & mediis? Solàne fide, vt pſeudoprophetæ & ſeductores garriunt? Minimè gentiū. Fruſtra namque etiam Deum Hebræorum credidiſſet vnicum, verum, immortalem & omnipotentem eſſe, niſi obiecta ſibi benefaciendi occaſione, bonis operibus manum admouiſſet. Verùm, quæ & quanta fuerunt illius bona opera?

Primum, hoſpitalitas, qua homines ignotos, alienigenas, exploratores, gentis ſuæ hoſtes, tanquam à Deo miſſos humaniter domo ſuſcepit: quod non ſine ingenti fide fieri potuit.

Secundum, eoſdem domi fouit gratis, abſcondit in penetralibus, & à præſenti morte, nō ſine propriæ vitæ diſcrimine ſeruauit: quod ab inſigni caritate, beneuolentia & miſericordia proceſſit. Siquidem ante euāgelium promulgatum, hoc euangelij præceptum ſeruauit: *Benefacite iis qui oderunt vos*, cùm hoſtibus ciuitatis ſuæ benefecit.

Math. 5.

Tertium, ne in manus hoſtium perſequentium inciderent, illos non tātùm per feneſtram propriæ domus funiculo demiſit: ſed & monuit vt aliquandiu in montibus laterent, donec manus eos ad necem quærentium euaſiſſent.

Quartum, abnegata gentilium ſuperſtitione, veram populi Diuini religionem profeſſa eſt, actáque prioris vitæ pœnitudine delens, melioris regulam toto animo arripuit, pacto cum Hebræorum legatis fœdere de ſua ſuorúmque ſalute.

Quintum, hæc omnia cum ſummo capitis, ſuorúmque diſcrimine, incredibili conſtantia & fortitudine peregit. Nam ſi horum vel minimam partem reſciuiſſet ciuitatis princeps, protinus, & cum omni crudelitate in eam animaduertiſſet, tanquam in patriæ proditricem. Plurimis igitur & præclaris iſtis operibus iuſtificationem conſequuta eſt, & non ſola fide.

Ex his primo loco notandum, Apoſtolum maluiſſe Raab mulieris ethnicæ, idololatræ, ac meretricis exemplũ, ſanctiſſimi patris Abrahæ exemplo, quàm vel Saræ, vel Rebeccæ, vel Iudith, vel Annæ, vel cuiuſcumque alterius ſanctarum fœminarum ſubiungere: ídque nõ ſine Spiritus ſancti impulſu atque conſilio. Primò, vt euidentiùs monſtraret, Nullũ vnquam cuiuſcunque conditionis, gentis, ſexus, vel ordinis iuſtificatum ac ſeruatum fuiſſe (de adultis loquimur) abſque bonis operibus, quantacunque fide polleret. Deinde, ne tam Iudæis quàm Gẽtibus remaneret anſa peccandi: néve aliquam peccatorum excuſationem haberent. Potuiſſent enim obiicere ac cauſificari, ſe non poſſe tam ſancti & excellentis Patriarchæ heroicas virtutes aſſequi: ideo & mulierculæ, & profanæ, & proſtitutæ exẽplum propoſuit, vt omnino ſint in conſpectu Dei inexcuſabiles, quoniam hæc propria fide ac bonis operibus in tantum ſanctitatis & iuſtitiæ culmen euaſit.

Obſeruandum ſecundò, recentiores Iudæorum Rabinos acriùs quàm decet contendere, Raab cauponariam, ſeu hoſpitalariam tantùm

ſuiſſe,non meretricem:quia in probris eſſet, ſi populi ſui exploratores ad meretricis diuerſorium confugiſſe dicerentur.Sed quàm vanè & inaniter,ipſi viderint:cùm & Loth,& Iudas, & Dauid, ſummi inter Hebræos viri; Thamar, Bethſabæa,& aliæ claræ eiuſdem populi fœminæ,ſimili,aut grauiore fortaſſe delicto ſeſe contaminauerint.Hebræis quidem dicitur, *Zonach*, quam vocem Syrus quoque retinuit,ſignátque & ſcortum, & hoſpitam. Sed Spiritus ſanctus in aliis linguis non ambiguè πόρνην nominat,& à Septuaginta interpretibus,& à Paulo,& hîc à
Heb.11. Iacobo πόρνη, id eſt,meretrix ac proſtituta diſertè appellatur. Quinetiam veteres Thalmudici tradiderunt eam,totis illis quadraginta annis, quos Hebræi conſumpſerunt in deſertis, quæſtum feciſſe corporis,& quidem ex quo decem annis nata fuerat: quinquagenariam verò reſipuiſſe. Verùm, iſthæc & ſimilia veterum peccata non ideo referuntur, vt eis exprobremus,inſultemus, àut eadem imitemur: ſed vt totius humanæ naturæ noſtræ corruptionem, deprauationem, & miſeriam agnoſcentes ingemiſcamus,&per ſalutaris pœnitentiæ fructus ad diuinam miſericordiam citò citiùs confugiamus. Si ſanctos ſequuti fuerimus errantes, ſequamur & pœnitentes. De hoc copioſiùs egimus Com. in cap. 3. libri Ruth, verſu quarto.

Diſcendum etiam ab huius beatæ peccatricis exemplo,impiis perire volentibus, & inſanire pergentibus, cuiuſmodi fuerunt Hiericuntini, nobis

nobis ſeriò conſulendum eſſe. *Recedite*, inquit Moyſes ad populares ſuos, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Loth cunctantem egredi de Sodomis coegerunt Angeli, dicentes: *Surge, egredere, ne pereas in ſcelere ciuitatis.* Et Petrus ad turbam credentium Ieroſolymitanorum pro concione clamat: *Saluamini à generatione iſta praua.* Num. 16. Gen. 19. Act. 2.

Hinc etiam patet, ſanctæ hoſpitalitatis officium nunquam ſua mercede defraudari, ſed à Deo multis & præclaris beneficiis compenſari, quando Raab domi excipiens núcios ampliſſimam mercedem de hoſpitio ſuo ſuſcepit. Paulus: *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Et Petrus: *Hoſpitales inuicem* (eſtote) *ſine murmuratione.* Heb. 13. Gen. 18. & 19. 1. Petr. 4.

Inde quoque colligimus, proximos noſtros, præſertim innocentes, ac Dei ſeruos, pro viribus noſtris ſeruandos eſſe cõtra impiorum violentiam & perſecutionem: ne iſti grauiſſimis ſceleribus ſeipſos alligent, illi verò in Dei cultu, & aliorum ædificatione diutiùs perſeuerent. Quanta quæſo, totius Eccleſiæ vtilitate, Paulus ſeruatus eſt à pijs, qui Damaſcum incolebãt? Dauidem quoque Michol à crudeli nece ſeruauit? Certè voces iſtæ ſunt Spiritus ſancti, *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* 1. Reg. 19. Act. 9. Prou. 24.

Cæterum, prudentiã Raab perſecutores nunciorum deludentis, Auguſtinus comparat cum L. vno con. Mendac. c. 15.

artificio Ægyptiarum obſtetricum, quibus Deus
Exod. 1. benefeciſſe dicitur: docetq; non ideo factum
eſſe, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines
Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis
remunerata fallacia, ſed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis.

In Pſ. 86. Idem rurſum explicans illud Pſalmi, *Memor ero Raab & Babilonis ſcientiũ me*, tradit eam Eccleſiam Chriſti ſignificaſſe quæ rubro funiculo, id eſt Chriſti ſanguine ſeruatur, quæ priùs tamen ex gentibus, qui per Raab & Babylonem ſunt adumbrati, collecta fuerat. Et in ea quoque adimpletum eſſe quod in alio Pſalmo dicitur:
Pſ 78. *Prætende miſericordiam tuam ſciẽtibus te.* Item quod
Matth. 21. in Euangelio: *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum.*

In hoc denique ſpeculo contemplemur nos, qui de fide orthodoxa & Eccleſiæ Chriſti communione gloriamur: & clarè intuebimur, quàm ab illius beatæ fœminę virtutibus diſtamus, illa
Ierem. 6. ſeſe ſuáque omnia Deo dicauit: *nunc omnes a-*
Phil. 2. *uaritiæ ſtudent à minimo vſque ad maximum.* Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ IESV Chriſti. Illa veræ religionis expers, prorſúſque ignara, verũ Deum ex operibus aduerſus Ægyptios, in Hebræorum gratiam edictis cognouit, timuit, coluit: Chriſtiani populi magna pars etiam ipſum fidei ſuæ ſymbolum ignorat, Diuina myſteria contemnit & blaſphemat. Illa relicto paganiſmo Synagogæ diuinæ membrum fieri percupiuit; & aſſequuta eſt: pars Chriſtianorum, ad tetras hæreſes & ſchiſma-

tica conuenticula properat. Negligitur diuini verbi ſtudium. Caritatis & hoſpitalitatis officia contemnuntur. Stabit igitur in iudicio contra iſtam prauam generationem, & condemnabit eam, &c. *Matth.12.*

26. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.*

Hac ſeptima & vltima ratiocinatione, quæ eſt à comparatis, ſeu à proportione, totum caput atque propoſitam de fide & operibus diſputationem claudit hoc modo; Quemadmodum ſpiritus vitæ noſtræ fons & cauſa, ſe habet ad corpus quod informat & vegetat, ſic caritas viuax & operatrix ad fidem: ſed dum ſpiritus à corpore ſeparatus eſt, ipſum cadauer putidum ſine motu, aut aliquo vitæ officio derelinquit: ergo fides ſine caritatis operibus, nihil iuſtitiæ, nihil ſalutis confert hominibus.

Hinc ergo euidentiſſimum eſt, hoc axioma Theologorum, Caritas eſt forma vitáque reliquarum virtutum; verè Apoſtolicum & diuinum eſſe; quantumuis illud irrideant nouiſſimi hæretici. Nam ſine caritate nec fides miraculorum operatrix, nes ſpes firma animarum author, nec prophetia, nec diſcretio ſpirituum, nec interpretatio ſermonum, nec linguis loqui angelorum, nec martyrium, nec eleemoſyna, nec oratio, &c. proſunt ad iuſtitiam & ſalutem. Sicut corporis vitam, ait D. BERNARDVS, ex motu dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, vita verò fidei eſt caritas, quæ per *1. Cor. 13.* *Ser. 1. de reſur. Do.* *Gal 5.*

illam operatur. Vnde ſequitur hæreſeôn miniſtros turpiter hallucinari, quando fidei prætextu, carnis licentiam prædicant: nihil præter fidem Deum à nobis poſtulare, clamitant: quinetiam, opera quantumuis bona, peccata eſſe mortalia, quæ nihil niſi gehennam merentur, non timent effutire.

DIDYMVS Alexandrinus Com. in hunc locum ait, Sicut ſpiritus cohærens corpori viuificat illud, & opera fidei coaptata viuam eam eſſe procurant. Cogitandum eſt, vt fides habeatur cum operibus virtute dignis, vt nō mortua, ſed viua conſiſtat. Nam & qui habet corpus animale non mortuum, ſed viuum, illud per ſocietatem ſpiritus vult habere.

L. de vita ſpirituali. B. EFFREM Syrus: Cùm de fide diſputas, conſidera, inquit, vtrum habeas opera fidei congruentia. Nam ſi dicendi tantùm & audiendi ſtudioſus es, illud in te iacietur: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Profectò mortui ſunt omnes, qui Deū ſe noſſe profitentur, factis autē negant,
Tit. 1. *cùm ſint*, vt ait Apoſtolus, *abominati & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.*

Obſeruat denique B. THOMAS, decem cōditiones requiſitas eſſe ad fidem vt ad ſalutem ſufficiat. Prima, vt ſit vera, ſyncera, & non ficta. Secunda, vt ſit omnino certa, & non dubia. Tertia, vt ſit vna, ſicut eſt Deus vnus, & non diuiſa. Quarta, vt ſit viua per caritatem operantem, & non mortua. Quinta vt ſit magna, vt fides Chananææ & Centurionis, non exigua vt Reguli. Sexta, ſit feruida, & non tepida. Septima,

ſit operoſa, non otioſa. Octaua, ſit firma & conſtans, non variabilis. Nona, ſit animoſa, non timida. Decima, ſit perpetua, & non ad tempus. Atque hæc de ſecundo capite.

CAPVT TERTIVM

1. *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis.*

HVIVS tertij capitis ſunt quatuor partes. Prima docet Apoſtolus ſacras pręfecturas, id eſt, primas ſedes partéſque publicè docendi in Eccleſia non eſſe ambitioſè quærendas vel captandas. Secunda, de variis linguæ commodis longè latéque diſſerit, concludens eam magno ſtudio frænandam & cohibendam eſſe. Tertia, ab omnibus contentionibus, litibus, ac æmulationibus ſummopere cauendum. Quarta, varios longéque diuerſos effectus veræ ac cæleſtis, falſæque atque terrenæ ſapientiæ connumerans, tandem colligit hanc fugiendam, illam verò omni diligentia & amore complectendam eſſe.

Primùm autem Apoſt. Iacobus ſuo more à propoſitione generali exordium ſumit, quam ſubinde duplici ratione confirmat. Propoſitio eſt, Non eſſe ab omnibus indiſcriminatim, temerè, ac ſine delectu, vſurpandum officium docendi in Eccleſia: ne dum malè docuerint, ipſi ſeducti ac deprauati, alios quoque ſeducant,

Matth.13. deprauent, atque velut duces cæci in eandem perditionis foueam pertrahant atque præcipitent. Senſus eſt, Præclarum ac glorioſum Paſtoris & doctoris eccleſiaſtici munus eſſe fateor, ſed eidem quoque laborioſum, difficile, periculoſum. Requirit enim hominem inſigniter eruditum in omnibus his, quæ ſunt propheticæ & apoſtolicæ doctrinæ. Deinde, ſynceris & incorruptis moribus præditum, virtutibus clarum, & bonis operibus inſtructum: vt exemplis confirmet, quod verbis prædicauerit. Poſtremò, purgatiſſimis affectibus, quique non
Heb.13. aliò ſpectet, quàm ad Chriſti (qui exactam rationem de omnibus requiret) gloriam, & proximorum ſalutem. Nam vt tales plurimum ædificant & proſunt, ita è contrario, quorum doctrina aut nulla, aut falſa eſt; aut qui animi odio, ira, auaritia, ambitu, libidine, gula, ebrietate, & aliis cupiditatibus corrupti ſunt, magno & ſui ipſorum & auditorum exitio paſtorum locos & ſedes occupant. Proinde, fratres mei, ne paſſim ambiatis eſſe Epiſcopi, Paſtores, & Doctores, Nolite procaciter iſtud Apoſtolicum, angelis verendum, ac planè diuinum officium malis artibus arripere. Nolite velut porci ad proterendas & conculcandas Diuini verbi & Sacramentorum Margaritas properare. Tutius eſt audire, quàm loqui: doceri, quàm docere: & facilius ſubeſſe, quàm præeſſe.

In primis autem hinc obſeruandum eſt, Apoſtolum non vniuerſaliter & abſolutè prohibere, multiplicandos eſſe in Eccleſia pios doctores,

ſacerdotes, alióſque verbi ſacri & ſacramentorum adminiſtros: quandoquidem Chriſtus præcepit, *Rogandum Dominũ meſſis, vt mittat opararios* Luc. 10.
in meſſem ſuam: meſſis multa, operarij autem pauci. Apoſtolus quoque ſcribit, Dominum poſuiſſe, Eph. 4.
in Eccleſia ſua prophetas, apoſtolos, paſtores, doctores, &c. Erántque pridem in eccleſia Antio- Act. 13.
chena *multi prophetæ & doctores.* Idémque A- 1. Tim. 2.
poſtolus ſeipſum vocat doctorem Eccleſiæ & Gentium. Conſtat etiam in primitiua Eccleſia in qualibet dioceſi ac ciuitate ampliſſima fuiſſe collegia Presbyterorum, qui operas ſuas Epi- 1. Tim 4.
ſcopis commodabãt: Paulúſque preſbyterij meminit.

Prohibet ergo ambitioſam appetentiam, & indebitam vſurpationem, qua plurimi, híque indocti, inepti, ſuperbi, auari, ſimoniaci, prophani, præter omne ius & fas in hoc ſacrum munus ſeipſos importunè ingerebant atque intendebant. Tales hodie proh dolor! multos cernere & ſuſtinere cogimur, qui plures præfecturas ambiunt, cùm ipſi vix vni tantùm ſufficere poſſint. Contra hos per Ieremiam fulminat de cælis Dominus: *Væ paſtoribus, qui diſper-* Ier 3.
dunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ. Et paulò poſt, *Et propheta, & ſacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni ſcelera eorum.* Et rurſum, *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Tales fuerunt D. Iacobi ſæculo, qui vel inanis gloriæ, vel temporalis Luc. 1.
cõmodi gratia, non tantùm euangelium prædicare, ſed & ſcribere conati ſunt. Hos ſunt imi-

tati illi de quibus ſic conqueritur Paulus: *Quidã*
1.Cor.4. *aberrantes conuerſi ſunt ad vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmãt.* Illos ſequuti ſunt Ebion,
Act.19. Cerinthus, Carpocras, Nicolaus, Simon: atque illi ſeptem Iudæi, qui egregiè vapularunt à Dæmone quem in nomine IESV tentauerunt expellere. Eiuſdem farinæ ſunt hodie omnes hæreticorũ miniſtri, qui cùm ex magna parte ſint vel cerdones, vel ſutores, vel rabulæ, omnes autem profani, apoſtatæ, ac excommunicati, ſine docendi legitima vocatione, id tamẽ munus vſurpant. Hos & hîc D. Iacobus coarguit, & Paulus conſtanter damnat & reprobat dicens: *Quomodo prædicabunt, niſi mittãtur? Nec quiſquam ſumat*
Rom.10. Heb.5. *ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Immo nec Chriſtus ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed Pater qui locutus eſt ad eum,* ſolenni inauguratione conſtituens eum ſummum ſacerdo-
Pſ.109. Heb.9. tem & Epiſcopũ animarũ, dicẽs: *Tu es ſacerdos in*
Matth.3. et 17. *æternũ ſecundũ ordinẽ Melchiſedec. Hũc audite.* Illos autẽ iudicauit & declarauit eſſe fures & latro-
Io.17. nes, qui non intrant per oſtiũ in ouile ouiũ, ſed aſcendũt aliundè vt furẽtur, mactent, & perdãt.

Secundò, notat AVG. etiã tũc plures magiſtros
Prologo in li.1. Retract. fieri, cùm diuerſa, & aduerſa inter ſe ſentiũt: quãdo verò idipſum dicunt omnes, & verum dicũt, ab vnius veri magiſtri magiſterio non recedũt. Offẽdũt autẽ cùm ex multiloquio incidũt in falſiloquiũ. Hoc autẽ omniũ maximè pertinet ad huiꝰ æui hæreſiarchas, de quibus iure dici poteſt
Li.1.c.8. quod de Gnoſticis dixit quõdã D. IREN. martyr.

Cùm ſint duo vel tres, de eiſdem non eadem dicunt: ſed & nominibus & rebus cõtraria reſpondent. Et TERTVLLIANVS, Mentior ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque pro arbitrio ſuo modulatur quæ accepit. Et IVSTINVS Martyr: Cùm damnant hæretici alij alios ob diſſentiones opinionum, perſpicuum eſt cauſam hæreſeôn eſſe ex ambitione, & mutua inuidia hæreſiarcharũ, & ob eam rem *lupi graues* ab Apoſtolo nominãtur. Quod ſi aliquando eos eſſe concordes contigerit, id eſt inſtar Herodis & Pilati, qui tantummodo conſenſerunt vt Chriſtum irriderent & crucifigerent, ſicut obſeruat Athanaſius. *l. præſc.* *Quæſt. 4. ad Orthod.* *Act. 20.* *Orat. 2. cõtra Arria.*

Tertiò, etiam hac ſententia prohibet Apoſtolus populum Chriſtianum ſcindi in diuerſas ſectas per ſecum diſſidentes pugnantéſque plurium magiſtrorum ſententias: cuiuſmodi tempore illo fuerunt Corinthij, quorum alij dicebant, *Ego ſum Pauli: alij, ego Cephæ: alij, ego Apollo; alij, ego ſum Chriſti.* Vult autem omnes ſub vno & ſummo animarum paſtore & doctore Chriſto, in vna fide cõſtanter perſeuerare. *Vnus Deus* (inquit Apoſtolus,) *vna fides, vnũ baptiſma.* Item. *Soliciti ſitis ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Itémque, *Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri IESV Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Ter ergo quatérque miſerrimi ſunt, qui ſanctiſſimam & pulcherrimam Eccleſiæ Catholicæ vnitatem tam miſerè damnabilitérque diſcerpunt. *1. Cor. 1.* *Epheſ. 4.* *1. Cor. 1.*

Quartò, etiam illorum ambitum ac hypocri-

ſim damnat Apoſtolus, qui ex aliorum reprehenſione famam ſibi captare ſtudent; cuiuſmodi Phariſæus ille, qui ex delictorum mulieris peccatricis cōſideratione ſeſe iuſtiſſimum exiſtimans, etiam ipſum mundi Seruatorē in corde ſuo aſpernabatur dicens: *Hic ſi eſſet propheta, ſciret quæ eſſet hæc mulier, quia peccatrix eſt.* Et alter qui proprias laudes prædicans, ſibíque nimium placens pro ieiuniis, decimis, & propria iuſtitia, publicanum pœnitentem damnabat, quem Deus iuſtificabat.

Luc 7.

Luc 18.

Nec tamen putandum eſt, Apoſtolum nos reuocare à fraterna proximorum aberrantium correptione & admonitione, quam toties in ſcripturis vrget Spiritus ſanctus inquiens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Et iterum. *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Chriſtus denique non ſoli Petro, ſed & cuilibet noſtrum dixit, *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c.* Sed immodicam illam damnat detrahendi cupiditatem, qua ſe vnuſquiſque aduerſus proximos effert, dum obloquitur, carpit, mordet, & malignè inquirit, quod in ſiniſtram partem capiat. Ab hac igitur inſectatione proximorum, propriáque & innata omnibus philautia cunctos reuocare ſtudet Apoſtolus: quod vtinam, iterum autem vtinam, à nobis obtineat.

Gal. 6.

Heb. 3.

Matth. 18.

B. DAMASCENVS ex hac D. Iacobi ſententia,

& aliquot ſimilibus, docet, ſtatim mediocrem *l.3. parall.*
homini longè tranquilliorem ac vtiliorem eſſe, *c.57.*
qualibet maiori aut minori ſorte. Addit hæc
Salomonis verba, *Mel inueniſti, comede quod ſuffi-* *Prou.25.*
cit tibi: ne fortè ſatiatus euomas illud. Et hæc Siraci-
dis, *Noli eſſe iuſtus multùm, neque plus ſapias quàm* *Eccleſ.7.*
neceſſe eſt. Item & hæc D. Nazianzeni, Nemo ſa-
pientior ſit, quàm conueniat, nec lege æquior,
nec luce ſplendidior, nec regula rectior, nec di-
uino mandato ſublimior.

Scientes quòd maius iudicium ſumitis.

Propoſitionem confirmat ratione ſumpta à metu Diuini iudicij, ac æternorum ſuppliciorum quæ manent ambitioſos & paſtores laruatos, comminatione. *Maius enim iudicium accipient*, id eſt, acerbius & grauius omnibus aliis reprobis & damnatis iudicabuntur & plectentur. Ac primò quidem propter peccata ſua propria, nimirum ambitionem, præſumptionem, impudentiam, ſimoniam, auaritiam, neglectam ſalutem commiſſarum ouium, & diuinorum mandatorum contemptionem. Secundò, quia peccatis publicis & Deum, & Eccleſiã ſpõſam eius contumeliis affecerunt: multíſque aliis ſimiliter peccandi exemplo fuerunt, quorum peccata ipſis imputabuntur, Domino minitante, *Sanguinem pereũtium de manibus eorum requiram.* *Ezech.3.* Paulo quoque docente, illos *rationem reddituros de animabus*, *Heb.13.* prauis eorum exemplis aut ſocordia pereuntibus. Tertiò, propter hæreſes & blaſphemias, quæ ex illorum ſcãdalis & negligẽtia naſcuntur, & plurimis cauſas adferunt ruina-

Matth. 18. rum. *Væ autem hominibus, per quos ſcandala veniunt, &c.*

Epiſt. 148. Rectè ergo obſeruat D. AVGVSTINVS, nihil in hac vita facilius, lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi munere, ſi perfunctoriè vel adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius & damnabilius. Nihil autem in hac vita difficilius laborioſius, periculoſius, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter imperator iubet.

1. Tim 3. & 5. Subſcribit venerabilis Beda his verbis, Sicut paſtores qui bene miniſtrant, bonum gradum ſibi acquirunt: & Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni habentur: ita ex oppoſito, qui officium docendi ſibi indoctus & ineptus vſurpare tentauerit, vel Chriſti doctrinam non ſyncerè annunciauerit, maius iudicium damnationis meretur, quàm ſi ſolus in ſuo ſcelere periret.

Sap. 6. Præfectis minatur Spiritus ſanctus: *Horrendè & cito apparebit vobis*, (Chriſtus viuorum & mortuorum iudex) *quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim* (id eſt) homini plebeio & priuato, *conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta ſuſtinebunt: fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Hæc seriò recogitent, qui potiora ſacerdotia tanto ardore ambiunt atque perſequuntur.

His & multis aliis de cauſis permoti aliquot ſanctiſſimi viri Epiſcoporum munus quantum potuerunt, pro viribus fugerunt. Nam Origenes explicans, quomodo duodecim principes tribuum fuerunt ſuſpenſi in patibulis, ſcribit,

Hom. 2. in Numer.

Vides quæ ſit conditio principum populi. Non ſolùm pro ſuis arguentur delictis, ſed & pro populi peccatis cogentur reddere rationem. Et poſt pauca, Et ſi cogitarent homines, nunquam ambirent populi principatum. Sufficit mihi pro meis propriis argui delictis, & pro memetipſo reddere rationem. Beatus Paulinus in vita D. Ambroſij, teſtatur eum fugiſſe & latuiſſe quantum potuit, cùm aſſumendus eſſet in Antiſtitem Mediolanẽſium. Auguſtinus refert lacrymas, ſuſpiria & gemitus ſuos, quando inuitus Epiſcopus Hipponenſis ordinaretur. Apud Hieronymum quidam recitat ſe accepiſſe à magnæ fidei viro, aliquem iuuenem electum ad epiſcopatum, priùs patruum ſuum conſuluiſſe, quàm in electionem conſentiret: & ab eo non ſolùm verbis, ſed & quibuſdam exemplis ab hoc munere deterritum. Cùm autem paulò poſt iuuenis ille vitam hanc cum altera commutaſſet, apparuit patruo dicens: Gratias tibi ago ex diſſuaſione Epiſcopatus. Nam ſcio quia nunc eſſem de numero damnatorũ, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum. Synesius Epiſcopus Ptolomaidis ſcribit, ſe flexis genibus ſupplicẽ à Deo potius mortem, quàm Epiſcopatum poſtulaſſe. Nicephorus teſtatur b. Ephrẽ ſtultum ſe ac inſenſatum ſimulaſſe, donec Epiſcopus in vrbe Edeſſena creatus fuiſſet. Idem refert Ammonium aurem ſibi amputaſſe: deinde & linguam ſibi ipſi dentibus præciſurum dixiſſe, niſi liber dimitteretur ab his, qui nitebantur eum abducere ad officium Epiſcopi, &c. Nunc au-

Epiſt. 148.

To.9. Regulæ monach. c.15.

Ep.57.

l.9. hiſt. c. 16.

l.11. c.37.

Ep. ad Henric. Epiſc. Senon. tẽ, ait D. BERNARDVS, curritur paſſim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter & indoctis ad eccleſiaſticas curas, tanquam ſine curis iam quiſque victurus ſit, cùm ad curas peruenerit, &c.

Expẽde etiã ex hoc D. Iacobi loco apud inferos repoſita reprobis tormẽta, pro culparũ inęqualitate diuerſa & inæqualia futura eſſe: quod & Chriſtus euidẽter teſtatus eſt dicens Iudæis: *Matth. 5. 10. & 11.* *Tyro & Sidoni remiſsius erit in die iudicij, quàm vobis. Terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicij, quàm tibi.* *Matth. 23.* Et Phariſæis: *Grauius iudicium accipietis.* Item, *Luc 12.* *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit plagis multis. Neſciens, paucis.* De Babylone quoque (id eſt, pudefacta impiorum turba) *Apoc. 18.* dicitur: *Quantum ſe glorificauit, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* quibus ſatis cõficitur, Leues lapſus leuiorem caſtigationem *l. 4. Dial. c. 45.* manere, grauiores verò acerbos. Quod & D. Gregorius effert iſtis verbis, Vnus quidem eſt omnibus gehennæ ignis, ſed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vnuſquiſque etenim quantum exigit culpa, tanta illic ſentitur pœna. Et Cęſarius Arelatenſis, Quanto maiora commiſerunt, tantò feruentiùs ſæuit in illos ignis æternus.

Ex his denique ſequitur, illos longiſſimè à ſcopo propriæ ſalutis aberrare, qui quemcunque primatum affectãt. Nec enim vſpiam alibi maior eſt Deum proximóſque offendendi occaſio. Et alios negligere eſt facillimum, cùm noſmetipſos parum curemus: quod vtinã tam

magiſtratus quàm ſubditi vniuerſi pro dignitate curaremus,&c.

2. *In multis offendimus omnes.*

Hæc eſt ſecunda ratio, qua propoſitionem confirmat, nimirum, publicum docendi munus non eſſe temerè & ambitioſè quærendũ. Sumpta eſt autem ab illa imbecillitate, fragilitate, ac deprauatione humanæ naturæ, qua omnes in quæuis peccata facilè prolabimur. Quaſi dicat: Eò miſeriæ delapſa eſt natura hominum, *vt prona ſit ad malum etiam ab adoleſcentia ſua.* Gen. 7. Ergo in docendi munere & paſcendi officio, quod arduum eſt atque difficile, multo facilior eſt lapſus. Cùm autẽ in cæteris peccatum ſit turpe, in paſtore & doctore qui reliquorum lux eſſe debet turpiſſimũ erit. Et quo altiore gradu eſt Matth. 5. conſtitutus, eo grauior & periculoſior eſt lapſus. Superiorum enim vitia facilè in ſubditos penetrant: cùm ſibi licere putant quicquid illos facere conſpexerint. Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Obſeruat hîc primùm vener. Beda, Apoſtolum dixiſſe *offendimus*, non offenditis, ſeipſum in his cõnumerans. Deinde etiam, *in multis*, non in paucis: & ſubiunxiſſe *omnes*, non tantùm iſti, vel illi. Primò, ne plus illos offenderet, & auerteret à fide, duriore increpatione. Secundò, vt oſtenderet nec perfectos homines hanc vitam abſque omni peccato tranſigere, iuxta quod ſcriptum eſt, *Cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, quantomagis abominabilis creatura?* Iob 25. Et Salomon ait Eccl 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non*

l. de eccl. dogmat c. 35. & 36. *peccet.* Conſentit AVGVSTINVS his verbis, Quod ait ſanctus Ioannes, *Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus, nos-ipſos ſeducimus*, quiſquis accipiendum ſic putauerit, vt propter humilitatem dictum ſit, non propter veritatem, anathema eſt. Et paulò poſt, Quicunque dixerit, ſanctos dicere, *Dimitte nobis debita noſtra*, pro aliis quàm pro ſeipſis, anathema ſit. Sanctus enim erat & iuſtus Apoſtolus Iacobus cùm dixit, *In multis offendimus omnes*. Nam quare additum eſt *omnes*, niſi vt iſta ſententia conueniret cum Pſalmo vbi legitur, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*? Vnde & ſanctus Daniel in oratione pluraliter dixit: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, &c.* HIERONYMVS, denique ex his fortiſſimè contendit aduerſus Pelagianos, hominem baptizatum, prædeſtinatum, & iuſtificatum, frequenter peccare poſſe, niſi ſpeciali & continuo Spiritus ſancti auxilio adiutus & confirmatus fuerit: quod Apoſtolis à die Pentecoſtes & deinceps contigiſſe credimus.

Pſal. 142. Dan. 9. Dialogo 2. cont. Pela.

Certiſſima namque eſt Eccleſiæ catholicæ perſuaſio, quòd Apoſtoli in ſolenni illo Spiritus ſancti aduentu fuerunt ſic in gratia confirmati, vt inde non potuerint peccatis mortalibus à gratia cœleſti recedere, licèt peccatis venialibus fuerint adhuc obnoxij. Chriſtus enim promiſerat illis Spiritum ſanctum, qui eos vbique & in omnibus comitaretur, vt nunquam abſcederet ab illis, *Manebit in æternum vobiſcum Spiritus veritatis.* Cum illo autem peccatum lethale non magis ſtare poteſt, quàm Chriſtus

Io 14.

cum

cum Belial, iuſtitia cum iniquitate, aut lux cum tenebris. Item dictum fuerat ad illos: *Manete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Hoc autem completum eſt, quando repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Hinc Paulus non tantùm de ſeipſo, ſed & coapoſtolis confidenter ſcribit, *Quis poterit nos ſeparare à caritate Chriſti? Ego ſcio & certus ſum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, &c.* De hoc copioſiùs egimus aduerſus impias criminationes Caluinianorũ, tam in Appendice quàm in priore Dialogorum hebdomade. *1.Cor.5.* *Luc 24.* *Act.2.* *Rom.8.*

Rurſum, *ſi in multis offendimus omnes*, nemo certè in propria iuſtitia confidere, aut de propriis meritis tanquam ſuis ſuperbire debet: quandoquidem nihil iuſti, recti, aut boni ſit in nobis, quod non à Deo acceperimus. Quid ergo gloriamur, quaſi non accepiſſemus? Hinc Auguſtinus æquè piè ac eruditè ſcribit. Quod cecidi, fuit ex me: & quod ſurrexi, fuit ex te Domine. Qui de bono tuo gloriam ſibi quærit, & non tibi, hic fur eſt & latro: atque ſimilis diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. *Soliloqu. c. 15.*

PHYLO, ab Epiphanio conſtitutus Carpathiorum Epiſcopus, inueſtigãs, qua veritate à Sponſo dicatur Sponſæ, *Tota pulcra es, & macula nõ eſt in te*, cùm nemo ſine peccato viuat, nec infans vnius diei: Scriptúmque legatur, *In multis offendimus omnes*, tandem reſpondet. Eſt ita prorſus. Sed dum fidelis anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat, dum quotidie minora peccata cum lacrymis lauat, & à maioribus *In Cantic.*

ſibi cauet, quantumuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam, munditiam ſuam perpetuò ſeruat.

His denique nos hortatur D. Iacobus ad mãſuetudinem, quia ſimus ipſi quoque multis infirmitatibus circũdati. Hac enim etiam ratione Paulus lapſos corrigi iubet in ſpiritu lenitatis,
Gal. 6. adiiciens, *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Et
1. Cor. 10. alibi, *Qui ſtat, videat ne cadat.* Multũ enim ad tẽperandum nimiam ſeueritatem valet propriæ infirmitatis agnitio. Enimuero Chriſtus Petro
Luc 22. dixit, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Siquidem nullum eſt peccatũ (ait Auguſtinus) quod vnquam fecerit homo, quòd nõ poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit à quo fact⁹ eſt
Soliloq. c. 15. homo. Quid ergo in cõſortes adeo feri ſum⁹ & immanes? Atque hęc de prima hui⁹ capitis propoſitione & parte, duplicíq. illius cõfirmatione.

3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Poteſt etiam freno circunducere totum corpus.*

Hæc eſt ſecunda pars huius capitis, qua latiſſimè diſſeritur de commodis & incommodis linguæ, eadémque omni ſtudio ac diligentia continenda & moderanda. Vult autem Apoſtolus dicere: Magna eſt, fateor, linguæ humanæ vtilitas, ſi quis illa rectè vtatur, docendo ea quæ ad veram pietatem attinent, & à peccatis homines reuocant. Sed eiuſdem incommoditas longè maxima eſt, imò & ipſa contagioſiſſima peſtis erit, niſi Diuini timoris fręno coërceatur. Aliquid eſt imperare ventri: nonnihil eſt temperare auribus & oculis: magnum carnis

voluptates ſpernere: continere manus: ſed omnium difficile, perfectè moderari linguam. Si quis huius particulæ omnes lapſus declinauerit, hic magna virtute & ſingulari perfectione præditus eſt. Ille, ille profectò idoneus erit, qui poſſit etiam totum corpus, & ſingulas eius alias partes freno rationis moderari, poſtea quàm membrorum illud maximè lubricum, & volubile cohibere potuit. Lingua quidem puſilla eſt, ſed ab ea pendet vniuerſum corpus. Efficax & præpotens eſt quæ à lingua proficiſcitur oratio ſiue ad vtilitatem ſiue ad perniciem. Penetrat quippe in animos auditorum, & in his inſerit aut ſalutares aut peſtilentes cunctis de rebus opiniones. Excitat aut ſedat odia: commouet ad cædes, ſeditiones, & bella: animos componit ad pacem: & auditores huc aut illuc impellit, &c.

In his autem primùm attende, duobus modis homines poſſe *in verbo offendere*. Primò in verbo doctrinæ atque fidei, falſa, impia, & hæretica docendo. Et hoc peccatum ſanè grauiſſimum eſt, quoniam opponitur Diuinæ veritati. Atque hoc modo offenderunt ante Chriſtum natum ex Virgine, magi Pharaonis, Baaliſtæ, & Sadducæi. Poſtea, Simon magus, Elimas, Nicolaus, Ebion, Cerinthus, Gnoſtici, hæreſiarchæ omnes, horumque gregarij, miniſtri, & ſatellites. Secundò, offenditur in verbo bonorum morum & conuerſationis Chriſtianæ: idque & variis modis, & ferè ab omnibus. Primò blaſphemis & contumelioſis verbis in Deum, de

Matth.12. quibus dicitur: *Verbum blaſpemiæ non remittetur* Exod.20. *neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui in vanum.* Secundò, verbis contumelioſis in proximum, quæ Chriſtus prohibet atque damnat, Matth.5. dicens: *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit conſilio, &c.* Tertiò, detractoriis verbis bonum nomen traducendo, famámque lacerando confictis cri- Pſal.100. minibus: de quibus Pſal. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.* Quartò, quocunque modo mentiendo: quoniam omne prorſus mēdacium peccatum eſt, Sapiente dicente: *Ob quod* Sap.1. *mentitur occidit animam. Odiſti omnes qui loquuntur* Pſal.5. *mendacium.* Quintò, verbis doloſis, & prodito- 2.Reg.20. riis: velut Ioab dicens Amaſæ, *Salue mi frater*, & Io 18. pugione eundem cōfodiens. Aut Iudas cùm di- Matth.11. cens, *Aue Rabbi*, tradidit Dominum. Sextò, imprudentibus, otioſis, & ſcurrilibus verbis, de quibus etiam reddenda eſt ratio in die iudicij, &c. De quibus vniuerſis hîc dicitur ab Apoſtolo Chriſti, eum eſſe virum perfectum & abſolutum, poſſéque aliis tum animi tum corporis facultatibus iure imperare, qui linguam moderari didiſcerit.

Expende etiam vel paucos, vel nullos ferè reperiri Sanctos, qui non aliquando lingua ſint lapſi: quorum peccata non ideo ſcripta referuntur, vt imitemur, ſed vt horum exemplo cautiores diſcamus eſſe, ne cadamus: & pœnitētiæ remédia quærere, poſtquam ceciderimus. Dauid Pſal.31. in primis de ſeipſo dicit: *Quoniam tacui inueterá-*

uerunt oſſa mea. Vbi Auguſtinus: Peccauit tacendo peccata, & iactãdo merita ſua. Hinc rurſum dicit, *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Credas (ait ibidem Auguſtinus) quòd legendo, diſſerendo, prædicando, monendo, obiurgando, hortando, homo agens inter homines Dauid aliqua pœnitenda dixerat: & lapſa erant ex ore eius quæ vellet reuocare, nec poſſet. Lingua in vdo eſt, quia facilè labitur. Sãctiſſimus etiam Iob labiis ſe tandem peccaſſe confitetur cùm dicit: *Leuiter locutus ſum, manũ meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem.* Vbi b. Gregorius ex his, & b. Iacobi verbis probat, Nec ſanctos viros omnino coram Deo excuſari poſſe de verbis otioſis. Quinetiam Euangelicus propheta de ſe ait, *Væ mihi, quia tacui.* Peccauerat námque populum in peccata præcipitem, & Oziam regem impium non ſatis audacter & ſeueriter corripiendo. Quis ergo mũdum, ac purum ſe à peccatis linguæ confidenter ac verè iactabit?

Pſal. 38. *Iob 39.* *l. 22. mor. c. 2.* *Iſa. 6.*

Quoniam verò tam difficile eſt linguam moderari, & nihilominus ad iuſtitiam & ſalutem ſummopere neceſſaria eſt recta & diſcreta illius moderatio, ne in hunc ſcopulum impingamus, quædam diuini Spiritus oracula quæ ad hanc rem faciunt adiiciemus. Ait ergo per Salomonem. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Et poſtea. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Ex quibus conficitur, linguæ moderationem valere, & ad

Prou. 13. *Prou. 22.*

animarum fugienda pericula, & ad varia huius vitæ incommoda declinanda. Quod & propheta regius comprobat ſcribens: *Quis eſt homo qui vult vitam, & dies videre bonos? Prohibe linguam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Quocirca ſuppliciter & aſſiduè precemur: *Pone Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis, &c.* Enimuero hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam.

Pſal.33.

Prou.16.

Quorundam etiam leuiſſimorum hominum loquacitatem caſtigans, ait, *Qui prius reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum.* Et rurſum. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur linguam ſuam, prudentiſſimus eſt.* Rurſumque, *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correctio.* Hinc Dauid. *Sepulcrum patens* (quod non niſi horrendum exhalat) *eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant.* Et diuinam iuſtitiam aduerſus hos implorans, inquit, *Iudica illos, Deus. Decidant à cogitationibus ſuis, &c.*

Prou.25.

Prou.20.

Prou.29.

Pſal.5.

Sed quia de his adhuc in ſequentibus, hac diui Bernardi adhortatione ſententiam iſtam claudamus. Si de omni verbo ocioſo homines Deo reddituri ſunt rationem, quanto diſtrictiùs de verbo mendaci, mordaci, iniurioſo, elato, laſciuo, adulatorio, ac detractorio iudicabuntur? Nemo veſtrum fratres mei, parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: Volat quidem verbum irreuocabile, & velut tempus irremeabile. Leuis quidem res eſt ſermo, quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat:

Serm. de triplici cuſtodia.

leuiter trãſit, ſed grauiter vrit. Leuiter penetrat animum, ſed non leuiter exit. Profertur leuiter, ſed non leuiter reuocatur. Facilè volat, atque ideo facilè caritatem violat. Poſt multa tandem concludit, Vigilemus itaque ſuper verba noſtra, Fratres, ne in eis vel offẽdere Deum, vel proximo nocere contingat.

4. *Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus.*

Primum eſt argumentum, deſumptum à comparatis ſeu ſimilibus, quo demonſtrat linguam humanam diligentiſſimè continendam eſſe, hoc modo, Quod frænum eſt equis, hoc eſt hominibus lingua: ſed fræno reguntur, diriguntur, & circunflectuntur equi ad ſeſſoris arbitrium: igitur & lingua Dei timoris & amoris proximi legibus cohercita & temperata, omnes facultates & actiones humanas in ſuum finem moderabitur. Vel ſic, Equos quantumuis fortes, magnos, & feroces fræno regimus, eóſque obſequentes facimus adeo, vt in circuitum facilè flectantur: ergo ſic quoque moderanda eſt lingua petulans, vt nihil contra rationem effutiat. Aut ſic, Sicut equus ſine fræno fertur in præceps, ſi eius omnem curam ſeſſor abiecerit, ita niſi linguam coërcueritis, actum eſt de ſalute cùm corporis tũ animi veſtri. Ideo rectè hîc ſcribit vener. Beda: Poſt ſuperiora b. Iacobi verba ſubiiciẽdum eſſe; Quanto amplius decet, vt nobis ipſis frænum continentiæ in ora mittamus ad conſentiendum Creatori noſtro: quatenus per linguæ cuſtodiam, operum quoque

rectitudinem obtinere queamus?

In his autem primùm obſeruo, vniuerſam humanam naturam propter ſibi congenitam deprauationem, & ad peccandum procliuitatem, cum equis laſciuientibus & ferocientibus iure comparari: linguam verò noſtrã cum fræno: Diuinam autem gratiam cum ſeſſore, rectore, atque domitore: Ac certè lingua petulans rectè dicitur ἀκάλινον ςόμα, os impudens & ſine fręno, quandoquidem in quoſlibet quæuis effundit, non minus quàm equus laſciuiens. Lingua facilitatem habet motus (inquit AVGVSTINVS, in vdo poſita eſt, facilè in lubrico labitur. Quando illa citiùs & faciliùs mouetur, tacitò tu aduerſus illam fixus eſto. Domabis, ſi vigilabis: vigilabis, ſi timebis: timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaueris. Author ſermonum ad fratres in eremo, apud eundem, iſtis paucis linguæ petulantis tradit incommoda. Verboſitas hominem conducit in ioculatorem, humanæ naturæ dignitatem deponit, honores ſibi rapit, inimicos infinitos acquirit, inflammat adoleſcentiam ad iocoſa, in virili ætate ad fraudulenta, & in ſenili ad detractoria. O lingua, tu periculum immittis, tu luctum producis, diſcordiam ſpargis, proditionis venenum ſeminas, & ad infernum qui tibi credunt perducis. Reſtinguenda eſt igitur hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam: ſurculus, ne creſcat in ſyluam: gutta, ne tumeſcat in fontem. Maius eſt denique fratres, linguam refrenare, quàm capere ciuitatem, quia illud impetit exteriùs, ſed iſtud interiùs.

Ser 28. de verbis Domini.

Ser. 3.

Attende etiam in quantam miſeriam & calamitatem peccatis noſtris incidamus, vt qui facti quondam ad imaginem & ſimilitudinem Dei omnipotentis, nunc vitiis noſtris equorum, iumentorum, canum, porcorum, aſinorum vitam formamque referamus. Qua de re Pſaltes grauiter conqueritur: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nam laſciui & impudici non ſemel comparantur cum equis, ad omne iumẽtum *hinnientibus*. Peccata eadem ſepè repetentes, cum canibus redeuntibus ad vomitum: & ſuibus ad volutabrum luti. Ingrati, cũ aſinis & bobus, omnium brutorum ſtupidiſſimis: fraudulenti, cum vulpibus: erroribus alios commaculantes & perdentes, cum lupis rapacibus. &c.

Pſ. 48. *Ierem. 5.* *Tob. 6.* *Prou. 26.* *2. Pet. 2.* *Iſa. 1.* *Luc. 13.* *Matth 7.*

Hæc porro non eò ſpectant, vt ſublata libertate humani arbitrij, nobis aliquando de peccandi neceſſitate, aut fati cuiuſdam violentia blandiẽtes, excuſationes in peccatis quæramus, ſed duntaxat vt commendetur, oſtendatur, & aſſeratur Diuinæ gratiæ nos præuenientis, ſubſequentis, & cooperantis neceſſitas. Hac enim ſicut fræno, vt hîc docet Apoſtolus, humanus animus illuſtratur, moderatur, dirigitur, vt per viam ſalutis incedat, & ad ſummum finem ac bonum ſuum tandem feliciter perueniat. Nam, vt ait quidam, Gratia ſe habet ad liberum arbitrium, vt ſeſſor ad equum: ac idcirco Pſaltes ait. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecũ.* *Pſ. 72.* Item, *Gratia tua præueniet me, & ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* *Pſ. 38.*

4. *Et ecce naues cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur autem à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.*

Secundum argumentum, à re nautica petitum, quod hoc pacto poteſt diſponi: Quod in magnæ molis & ampliſſimis nauibus eſt temo & gubernaculũ, hoc in corpore & humana vita eſt lingua: ſed naues onerariæ contra quaſuis vẽtorum procellas & turbines in recto curſu tenentur, & ad optatos portus perueniunt, ſiquis peritè gubernacula earum rexerit. Igitur & vita humana rectè habebit, modò quiſque noſtrum linguam ſuam diligenter continuerit. Vel ſic, Si tantula ligni parte ampliſſima nauium corpora, cum nautis, mercibus, militibus, ponderoſis oneribus, ducũtur quocunque voluerit Nauarchus; multo magis lingua prudenter & piè directa nos ad omnem virtutem, iuſtitiam, ſalutémque perducet. Ergo vt exigua illa pars ligni in naui non eſt aſpernanda, neque in corpore lingua, ſi nobis rectè conſultum velimus eſſe.

Ergo mentes humanæ cum nauibus conferuntur; mundus in quo peregrinantur & iactãtur, cum mari: tentationes mundi carnis, & diaboli, cũm procellis & flatibus ventorum: lingua cum temone atque gubernaculo. Huiuſmodi comparationes ſunt familiares Spiritui ſancto, & frequenter occurrunt in ſcriptis Prophetarũ

Iſa.23. & Apoſtolorum eius. Iſaias namque ait, *Vlulate naues maris*, id eſt, homines qui nauibus maria ſulcatis. Vbi Hieronymus. Arguuntur quos malarum cogitationum turba circundat. Vt enim

nauibus, ſic mentibus portantur mercedes bonorum & malorum operum. Eccleſia quoque dicitur, *Nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Dauid confert mundum cum mari procelloſo & fluctuoſo, in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus. Et alibi, *Mirabiles elationes maris, &c.* Nauigamus per quoddam ſtagnum, ait Auguſtinus, & ventus, & procellæ non deſunt: tentationibus huius ſæculi propè completur noſtrum nauigium. Si non dormiret in te IESVS, tempeſtates iſtas non patereris: ſed tranquillitatem in te habes in te interius, conuigilante tecũ IESV. Quid eſt autem dormire IESVM? Fides tua quæ eſt de IESV, obdormiuit.

Prou.31. *Pſ.103.* *Præf. in 2. enarrat. Pſ. 25.* *Matth.8.*

Quantas verò & quales noſtrarum animarũ nauiculis tẽtationum procellas excitet, quantis laqueis nobis inſidietur hui us maris archipirata diabolus, ille idem ſanctiſſimus Antiſtes his verbis explicat, de iiſdémque conqueritur, Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis repleuit decipulis ad capiendas animas noſtras. Et quis effugiet? Laqueos poſuit in diuitiis, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, & in vigilia, in verbo, in opere, & in omni vita noſtra. Sed tu Domine, *Libera nos de laqueo venantium, & à verbo aſpero*, vt confiteamur tibi dicentes: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionẽ dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, &c.*

Solilo. c. 16. *Pſ. 90.* *Pſ. 123.*

Modico ligni gubernaculo, ſeu clauo, nauis ſeruatur, dũ declinatis ſcopulis in portum diri-

gitur: : ſic lingua debet eſſe quiddam προφυλάκτικον,&conſeruatorium hominis ad cælum velificantis:non autem φθαρτικὸν, vt profligat, mergat & perdat in interitum.

5. *Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exultat.*

Accommodat duas præcedentes ſimilitudines ad inſtitutam de linguæ moderatione diſputationem. Græcis autem μεγαλαυχεῖν eſt iactare ſe, atque venditare: vnde quidam vertunt, *magna iactat*. Alij, *magna exaltat*. Vetus interpres, *magna exultat*, non malè: quoniam etiam latinæ linguæ proceribus, *exultare* ſignificat, immoderatè iactare. Nam Tullius habet, omni crudelitate exultare: quod Nonius interpretatur, ſæuire. Dicitur quoque ab eodem, Annibalem iuueniliter exultaſſe. Volúntque ſcribendum *exſulto, exſultare*, vt à ſaltendo, & intemperantiùs geſtiendo etiam trahat originem. Dicitur autem hîc *magna exultat*, eadem phraſi, qua Cyprianus dicit, Non tam loquimur, quàm viuimus fortia. Ergo ſenſus eſt, Sicut neglectum frænum, ac contemptũ gubernaculum, tam ſeſſor equi, quàm vecti nauibus periclitantur: ita niſi linguam prudenter direxerimus, magnum incurremus & animi diſcrimen. Licèt enim ea inter reliquas corporis partes minima videatur, magna tamen iactat, gloriatur, magnificè ſe venditat, proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba. Puſillum eſt membrũ, ſed turgidum, iactabũdum, latéque miſcens exitium, & ingentes excitans tumultus, ni fræno cohibeatur. Hęc totos populos, tota regna inter

L. 4. de rep.

In Catone.

ſe committit. Non eſt igitur negligenda linguæ moderatio.

Horum autem ſcopus eſt, vt homo Chriſtianus ea verborum vtatur moderatione, vt non niſi ad honorem Dei, proximorum ædificationem, & vitæ atque ſalutis propriæ neceſſitatem os ad loquendum aperiat. *Si quis loquitur*, inquit Apoſtolus, *quaſi ſermones Dei*. Id eſt, velut Deo præſente, audiente, & diiudicante. Iucundam ſimul & vtilem hac de re Caſſiodorus & Nicephorus referunt hiſtoriam. Nimirum quendam doctum virum ad Pambonem Abbatem ſanctiſſimum quidem, ſed literarum imperitum acceſſiſſe, eidémque perſuaſiſſe, vt ad vitæ pietatem literarum ſtudia coniungeret. Aſſentienti patri prælegit Pſ. 38. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in vita mea*. Sat eſt, inquit pater: audiã reliqua, cùm iſtud operè impleuero. Multo poſt tempore reuerſus Doctor, interrogauit, cur alteram lectionem non quæſiuiſſet? Reſpondit, necdum ſe priorem opere perfeciſſe: Apoſtolum autem præcipere, *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm*. Alteram non minus fructuoſam addit M. Marulus, videlicet, Agathonem Abbatem lapillo ori ſuo tribus annis impoſito, adeo ſilere didiciſſe, vt etiam poſtea vix fari valeret, cum eſſet neceſſe. Quod legerat in Prouerbiis, *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam*, opere complere ſtudebat. Subiiciamus & tertiam ex Palladio. Leo in Thebaide Monachus, ſupra quàm credi poteſt, rariſſimè loquebatur, ſolis nutibus etiam neceſſaria ſignificans.

1. Petri. 4

L. 8 hiſt. trip. c. 1.

Pſ. 38.

Iac. 1.

Rom. 2.

L. 4 c. 6.

Prou. 13.

Lauſiaca hiſt.

Theo item monachus,in cellula clauſus,triginta annis ſermonibus cum hominibus abſtinuit, ſicque coram Deo profecit meritis,vt neminem infirmorum ad ſe venientium, non ſanum dimiſerit. Alia permulta religioſi ſilentij exempla refert Io.Caſſianus libro 2. inſtitutionum monaſticarum,cap.10.& 15.

Vtamur ergo lingua,id eſt,hoc inſigni & præclaro dono Dei, laudes illius concinendo: hoc
Pſ.49. enim ſuo iure poſtulat à nobis,& præcipit. *Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me,&c.* Hinc Dauid: *Immolabo in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis. Semper laus eius in ore meo.* Imò & angelus Raphael, non tam vtrique
Tob.12. Tobiæ, quàm vniuerſis mortalibus præcipit, *Benedicite Deum, cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi,&c.*

Vtamur & in fidei noſtræ erga Deum publicam,conſtantémque profeſſionem, ab ea non receſſuri,etiam ſi omnia nobis obiicerētur tormenta, & vitæ diſcrimina,ne & nos tunc abneget Chriſtus filius eius coram omnibus angelis & electis,ſuis, cùm iudicaturus orbem aduenict. Ait enim.
Matth.12. *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram Patre meo.* E contrario verò, *Qui me confeſſus fuerit, & ego confitebor eum coram Patre & angelis eius.* Paulus quoque ſcribit,
Rom.10. confeſſionem fieri ad ſalutem. Moueant nos innumera clariſſimáque Apoſtolorum, diſcipulorum,virorum,virginum,& fœminarum martyrum exempla propoſita,&c.

Vtamur & ad preces animo conceptas, etiā

vocibus cùm oportuerit exprimendas, vt cor noſtrum & caro noſtra exultent in Deum viuũ: *Pſ.83.* eidémque etiam linguâ ſupplicemus, qui linguã & donum ſermonis contulit. Chriſtus quippe lucidũ omnis pietatis exemplar, articulatis vocibus frequẽter orauit in mõte, in cœna in cruce: Apoſtolíſque eodẽ modo orandũ prę̨ſcripſit, *Cùm oratis, dicite: Pater noſter, qui es in cœlis, &c.*

Vtamur & ad confitenda coram Eccleſiæ paſtoribus peccata noſtra, vt beneficio clauium horum abſolutionem conſequamur. Non enim fruſtrà ſcriptum eſt, veniẽtes ad Ioannis baptiſmum *confeſſos eſſe peccata ſua.* Non fruſtrà B. Paulo multi *confitebantur actus ſuos.* Non denique fruſtrà beatis Apoſtolis, hiſque ſuccedentibus ſacerdotibus dictum eſt, *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis.* Non denique fruſtrà eiſdem Chriſtus dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, &c.* *Matth.3.* *Act.19.* *Matth.18.* *Io.20.*

Vtamur demum lingua noſtra, vt piis exhortationibus & conſiliis proximos ad Dei cognitionem, timorem denique & amorem perducamus: ne illa gladius fiat, & laqueus perditionis: Quot hominum myriadibus veræ iuſtitiæ & ſaluti fuerunt linguæ Prophetarum, Apoſtolorum, Diſcipulorum, Doctorum & Patrum ſanctorum? *Lingua placabilis* (ait Sapiens) *Lignum vitæ: quæ autem moderata eſt, conteret ſpiritũ.* *Prou.15.* Item. *Lingua ſapientum ornat ſcientiam, &c.* *Ibidem.*

Quanta ergo eſt hominum corruptio, quàm damnabilis & execranda malitia, qui tam nobili dono Dei abutũtur ad euomendas blaſphe-

mias,ad ſerendos errores,ad turpiloquia, ad excitandas lites & bella? Adſeminandas inter fratres diſcordias? Huiuſmodi linguis doloſis apponantur carbones iuniperorum,&c.

6. *Ecce quantus ignis quam magnam ſyluam incendit. Et lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.*

Hoc eſt tertium argumentum pro lingua temperanda, illúdque ductum ab ignis exemplo domeſtico. Nam vt frequens,vtilis & varius eſt ignis vſus in rebus mortalium,ſi rectè adhibeatur; ſummam verò adfert perniciem, ſi quis illo abutatur:ita etiam linguæ humanæ plurima vtilitas,& ex eadem extrema oriuntur pericula. Si modeſta & bene compoſita, totius vitæ noſtræ frænũ eſt:ſi petulans &improba, quaſi vno incendio omnia incẽdet,inflammabit,vaſtabit. An non videbis naturæ Opificem hoc ipſum ſignificaſſe, qui linguam hominum & ſpecie, & colore,& agilitate,ignem referre voluerit? Nec tamen in hoc ſimplex eſt malum, velut in aliis membris Nam lingua petulãs,laſciua, indomita,non ſolùm mare, ſed & mundus eſt atque congeries horrenda omnium vitiorum. Et quẽadmodum ignis ſcintillula quæ initio nullo labore extingui poteſt,ſi neglecta fuerit, vndique vires concipit, flammis incendit vicina, & in ſuum robur commutat,tum demum vaſtat magnam ſyluæ materiam,& nulla vi poteſt opprimi:ſic & linguæ hominum nihil obſtat ſua paruitas, nihil obſunt dentium & labiorum repagula,quo minus tam infirma carunculæ portio tam longè lateque pateat ad nocendum, ſitque

inter

inter homines omnium vitiorum fœcundiſſimum ſeminarium.

In his obſeruandum primò, rectè congruenterque linguam cum igne ab Apoſtolo comparari, tum propter formam, ſpeciem, velocitatẽ, & ardorem loquendi, tum propter efficaciſſimam alios inflammandi & concitandi, ſiue ad bonum ſiue ad malum, virtutem. Habet enim (authore HIERON.) latentem energiam maximam viua vox, & in aures diſcipulorum de authoris ore transfuſa, fortiùs ſonat. Finxerunt Ethnici Amphionem, Arionem, & Orpheum ſuauitate cantus piſces ineſcaſſe, feras cicuraſſe, quin & arbores & ſaxa ſuis locis mouiſſe, vt his vrbes conſtruerent. Non quòd reipſa hæc effecerint, ſed vt ſignificarent illos tanta dicendi vi ac efficacitate fuiſſe præditos, vt hominum ſaxeos, & barbaros animos ad humanitatem & virtutis amorem pertraxerint. Ferunt quoque Periclem Athenienſium ducem non ſimpliciter pro ſuggeſtu declamaſſe: ſed potiùs tonaſſe atque fulguraſſe. Demoſthenes ſuis ad Athenienſes orationibus, illos nunc ad bellum, mox ad pacem impellebat pro voluntate. Hercules Gallicus admirabili eloquentia populares ſuos verbis, velut catenulis aſtrictos quocunque voluit, facilè pertraxit. Ex lingua Neſtoris mella fluxiſſe cõmenti ſunt. Vlyſſes eloquentiæ ſuæ vi Achillis obtinuit arma. Quid facundia poſſet, tunc patuit fortiſque viri tulit arma diſertus. Plura alia efficacis eloquentiæ exempla recitat Valerius Max.l.8.c.8.& 9.

1. ad Paulinum.

Clem. Alex. in protrept.

ſibi cauet, quantumuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam, munditiam ſuam perpetuò ſeruat.

His denique nos hortatur D. Iacobus ad mãſuetudinem, quia ſimus ipſi quoque multis infirmitatibus circũdati. Hac enim etiam ratione Paulus lapſos corrigi iubet in ſpiritu lenitatis,
Gal.6. adiiciens, *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Et
1.Cor.10. alibi, *Qui ſtat, videat ne cadat.* Multũ enim ad tẽperandum nimiam ſeueritatem valet propriæ infirmitatis agnitio. Enimuero Chriſtus Petro
Luc 22. dixit, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Siquidem nullum eſt peccatũ (ait Auguſtinus) quod vnquam fecerit homo, quòd nõ poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit à quo factꝰ eſt
Soliloq.c. 15. homo. Quid ergo in cõſortes adeo feri ſumꝰ & immanes? Atque hęc de prima huiꝰ capitis propoſitione & parte, dupliciq. illius cõfirmatione.

3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Poteſt etiam freno circunducere totum corpus.*

Hæc eſt ſecunda pars huius capitis, qua latiſſimè diſſeritur de commodis & incommodis linguæ, eadémque omni ſtudio ac diligentia continenda & moderanda. Vult autem Apoſtolus dicere: Magna eſt, fateor, linguæ humanæ vtilitas, ſi quis illa rectè vtatur, docendo ea quæ ad veram pietatem attinent, & à peccatis homines reuocant. Sed eiuſdem incommoditas longè maxima eſt, imò & ipſa contagioſiſſima peſtis erit, niſi Diuini timoris fręno coërceatur. Aliquid eſt imperare ventri: nonnihil eſt temperare auribus & oculis: magnum carnis

voluptates ſpernere: continere manus: ſed omnium difficile, perfectè moderari linguam. Si quis huius particulæ omnes lapſus declinauerit, hic magna virtute & ſingulari perfectione præditus eſt. Ille, ille profectò idoneus erit, qui poſſit etiam totum corpus, & ſingulas eius alias partes fręno rationis moderari, poſtea quàm membrorum illud maximè lubricum, & volubile cohibere potuit. Lingua quidem puſilla eſt, ſed ab ea pendet vniuerſum corpus. Efficax & præpotens eſt quæ à lingua proficiſcitur oratio ſiue ad vtilitatem ſiue ad perniciem. Penetrat quippe in animos auditorum, & in his inſerit aut ſalutares aut peſtilentes cunctis de rebus opiniones. Excitat aut ſedat odia: commouet ad cædes, ſeditiones, & bella: animos componit ad pacem: & auditores huc aut illuc impellit, &c.

In his autem primùm attende, duobus modis homines poſſe *in verbo offendere*. Primò in verbo doctrinæ atque fidei, falſa, impia, & hæretica docendo. Et hoc peccatum ſanè grauiſſimum eſt, quoniam opponitur Diuinæ veritati. Atque hoc modo offenderunt ante Chriſtum natum ex Virgine, magi Pharaonis, Baaliſtæ, & Sadducæi. Poſtea, Simon magus, Elimas, Nicolaus, Ebion, Cerinthus, Gnoſtici, hæreſiarchæ omnes, horumque gregarij, miniſtri, & ſatellites. Secundò, offenditur in verbo bonorum morum & conuerſationis Chriſtianæ: idque & variis modis, & ferè ab omnibus. Primò blaſphemis & contumelioſis verbis in Deum, de

Matth.12. quibus dicitur: *Verbum blaſpemiæ non remittetur*
Exod.20. *neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui in vanum.* Secundò, verbis contumelioſis in proximum, quæ Chriſtus prohibet atque damnat,
Matth.5. dicens: *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit conſilio, &c.* Tertiò, detractoriis verbis bonum nomen traducendo, famámque lacerando confictis cri-
Pſal.100. minibus: de quibus Pſal. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.* Quartò, quocunque modo mentiendo; quoniam omne prorſus mẽdacium peccatum eſt, Sapiente dicente: *Ob quod*
Sap 1: *mentitur occidit animam. Odiſti omnes qui loquuntur*
Pſal.5. *mendacium.* Quintò, verbis doloſis, & prodito-
2.Reg. 20. riis: velut Ioab dicens Amaſæ, *Salue mi frater*, &
Io 18. pugione eundem cõfodiens. Aut Iudas cùm di-
Matth.12. cens, *Aue Rabbi*, tradidit Dominum. Sextò, imprudentibus, otioſis, & ſcurrilibus verbis, de quibus etiam reddenda eſt ratio in die iudicij, &c. De quibus vniuerſis hîc dicitur ab Apoſtolo Chriſti, eum eſſe virum perfectum & abſolutum, poſſéque aliis tum animi tum corporis facultatibus iure imperare, qui linguam moderari didiſcerit.

Expende etiam vel paucos, vel nullos ferè reperiri Sanctos, qui non aliquando lingua ſint lapſi: quorum peccata non ideo ſcripta referuntur, vt imitemur, ſed vt horum exemplo cautiores diſcamus eſſe, ne cadamus: & pœnitẽtiæ remedia quærere, poſtquam ceciderimus. Dauid
Pſal.31. in primis de ſeipſo dicit: *Quoniam tacui inueterá-*

uerunt oſſa mea. Vbi Auguſtinus: Peccauit tacendo peccata, & iactādo merita ſua. Hinc rurſum dicit, *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Credas (ait ibidem Auguſtinus) quòd legendo, diſſerendo, prædicando, monendo, obiurgando, hortando, homo agens inter homines Dauid aliqua pœnitenda dixerat: & lapſa erant ex ore eius quæ vellet reuocare, nec poſſet. Lingua in vdo eſt, quia facilè labitur. Sāctiſſimus etiam Iob labiis ſe tandem peccaſſe confitetur cùm dicit: *Leuiter locutus ſum, manū meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem.* Vbi b. Gregorius ex his, & b. Iacobi verbis probat, Nec ſanctos viros omnino coram Deo excuſari poſſe de verbis otioſis. Quinetiam Euangelicus propheta de ſe ait, *Væ mihi, quia tacui.* Peccauerat námque populum in peccata præcipitem, & Oziam regem impium non ſatis audacter & ſeueriter corripiendo. Quis ergo mūdum, ac purum ſe à peccatis linguæ confidenter ac verè iactabit?

Pſal. 38. *Iob 39.* *l. 32. mor. c. 2.* *Iſa. 6.*

Quoniam verò tam difficile eſt linguam moderari, & nihilominus ad iuſtitiam & ſalutem ſummopere neceſſaria eſt recta & diſcreta illius moderatio, ne in hunc ſcopulum impingamus, quædam diuini Spiritus oracula quæ ad hanc rem faciunt adiiciemus. Ait ergo per Salomonem. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Et poſtea. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Ex quibus conficitur, linguæ moderationem valere, & ad

Prou. 13. *Prou. 22.*

animarum fugienda pericula, & ad varia huius vitæ incommoda declinanda. Quod & propheta regius comprobat ſcribens: *Quis eſt homo qui vult vitam, & dies videre bonos? Prohibe linguam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Quocirca ſuppliciter & aſſiduè precemur: *Pone Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis, &c.* Enimuero hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam.

Pſal.33. *Prou.16.*

Quorundam etiam leuiſſimorum hominum loquacitatem caſtigans, ait, *Qui prius reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum.* Et rurſum. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur linguam ſuam, prudentiſſimus eſt.* Rurſumque, *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correctio.* Hinc Dauid. *Sepulcrum patens* (quod non niſi horrendum exhalat) *eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant.* Et diuinam iuſtitiam aduerſus hos implorans, inquit, *Iudica illos, Deus. Decidant à cogitationibus ſuis, &c.*

Prou.25. *Prou.20.* *Prou.29.* *Pſal.5.*

Sed quia de his adhuc in ſequentibus, hac diui Bernardi adhortatione ſententiam iſtam claudamus. Si de omni verbo ocioſo homines Deo reddituri ſunt rationem, quanto diſtrictiùs de verbo mendaci, mordaci, iniurioſo, elato, laſciuo, adulatorio, ac detractorio iudicabuntur? Nemo veſtrum fratres mei, parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: Volat quidem verbum irreuocabile, & velut tempus irremeabile. Leuis quidem res eſt ſermo, quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat:

Serm. de triplici cuſtodia.

leuiter trãſit,ſed grauiter vrit. Leuiter penetrat animum, ſed non leuiter exit. Profertur leuiter,ſed nõ leuiter reuocatur. Facilè volat, atque ideo facilè caritatem violat. Poſt multa tandem concludit, Vigilemus itaque ſuper verba noſtra, Fratres, ne in eis vel offẽdere Deum, vel proximo nocere contingat.

4. *Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis,omne corpus illorum circumferimus.*

Primum eſt argumentum, deſumptum à comparatis ſeu ſimilibus, quo demonſtrat linguam humanam diligentiſſimè continendam eſſe,hoc modo,Quod frænum eſt equis,hoc eſt hominibus lingua:ſed fræno reguntur,diriguntur, & circunflectuntur equi ad ſeſſoris arbitrium: igitur & lingua Dei timoris & amoris proximi legibus cohercita & temperata, omnes facultates & actiones humanas in ſuum finem moderabitur. Vel ſic, Equos quantumuis fortes,magnos, & feroces fræno regimus, eóſque obſequentes facimus adeo,vt in circuitum facilè flectantur: ergo ſic quoque moderanda eſt lingua petulans, vt nihil contra rationem effutiat. Aut ſic, Sicut equus ſine fræno fertur in præceps,ſi eius omnem curam ſeſſor abiecerit, ita niſi linguam coërcueritis, actum eſt de ſalute cùm corporis tũ animi veſtri. Ideo rectè hîc ſcribit vener. Beda:Poſt ſuperiora b. Iacobi verba ſubiiciẽdum eſſe;Quanto amplius decet, vt nobis ipſis frænum continentiæ in ora mittamus ad conſentiendum Creatori noſtro:quatenus per linguæ cuſtodiam, operum quoque

rectitudinem obtinere queamus?

In his autem primùm obſeruo, vniuerſam humanam naturam propter ſibi congenitam deprauationem, & ad peccandum procliuitatem, cum equis laſciuientibus & ferocientibus iure comparari: linguam verò noſtrã cum fræno: Diuinam autem gratiam cum ſeſſore, rectore, atque domitore: Ac certè lingua petulans rectè dicitur ἀχάλινον ϛόμα, os impudens & ſine fręno, quandoquidem in quoſlibet quæuis effundit, non minus quàm equus laſciuiens. Lingua facilitatem habet motus (inquit AVGVSTINVS, in vdo poſita eſt, facilè in lubrico labitur. Quando illa citiùs & faciliùs mouetur, tacitò tu aduerſus illam fixus eſto. Domabis, ſi vigilabis: vigilabis, ſi timebis: timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaueris. Author ſermonum ad fratres in eremo, apud eundem, iſtis paucis linguæ petulantis tradit incommoda. Verboſitas hominem conducit in ioculatorem, humanæ naturæ dignitatem deponit, honores ſibi rapit, inimicos infinitos acquirit, inflammat adoleſcentiam ad iocoſa, in virili ætate ad fraudulenta, & in ſenili ad detractoria. O lingua, tu periculum immittis, tu luctum producis, diſcordiam ſpargis, proditionis venenum ſeminas, & ad infernum qui tibi credunt perducis. Reſtinguenda eſt igitur hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam: ſurculus, ne creſcat in ſyluam: gutta, ne tumeſcat in fontem. Maius eſt denique fratres, linguam refrenare, quàm capere ciuitatem, quia illud impetit exteriùs, ſed iſtud interiùs.

Ser. 28. de verbis Domini.

Ser. 3.

Attende etiam in quantam miſeriam & calamitatem peccatis noſtris incidamus, vt qui facti quondam ad imaginem & ſimilitudinem Dei omnipotentis, nunc vitiis noſtris equorum, iumentorum, canum, porcorum, aſinorum vitam formamque referamus. Qua de re Pſaltes grauiter conqueritur: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nam laſciui & impudici non ſemel comparantur cum equis, ad omne iumẽtum *hinnientibus*. Peccata eadem ſepè repetentes, cum canibus redeuntibus ad vomitum: & ſuibus ad volutabrum luti. Ingrati, cũ aſinis & bobus, omnium brutorum ſtupidiſſimis: fraudulenti, cum vulpibus: erroribus alios commaculantes & perdentes, cum lupis rapacibus. &c. *Pſ.48. Ierem.5. Tob.6. Prou.26. 2.Pet.2. Iſa.1. Luc.13. Matth.7.*

Hæc porro non eò ſpectant, vt ſublata libertate humani arbitrij, nobis aliquando de peccandi neceſſitate, aut fati cuiuſdam violentia blandiẽtes, excuſationes in peccatis quæramus, ſed duntaxat vt commendetur, oſtendatur, & aſſeratur Diuinæ gratiæ nos præuenientis, ſubſequentis, & cooperantis neceſſitas. Hac enim ſicut fræno, vt hîc docet Apoſtolus, humanus animus illuſtratur, moderatur, dirigitur, vt per viam ſalutis incedat, & ad ſummum finem ac bonum ſuum tandem feliciter perueniat. Nam, vt ait quidam, Gratia ſe habet ad liberum arbitrium, vt ſeſſor ad equum: ac idcirco Pſaltes ait. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecũ.* *Pſ.72.* Item, *Gratia tua præueniet me, & ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* *Pſ.38.*

4. *Et ecce naues cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur autem à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.*

Secundum argumentum, à re nautica petitum, quod hoc pacto poteſt diſponi: Quod in magnæ molis & ampliſſimis nauibus eſt temo & gubernaculũ, hoc in corpore & humana vita eſt lingua: ſed naues onerariæ contra quaſuis vẽtorum procellas & turbines in recto curſu tenentur, & ad optatos portus perueniunt, ſiquis peritè gubernacula earum rexerit. Igitur & vita humana rectè habebit, modò quiſque noſtrum linguam ſuam diligenter continuerit. Vel ſic, Si tantula ligni parte ampliſſima nauium corpora, cum nautis, mercibus, militibus, ponderoſis oneribus, ducũtur quocunque voluerit Nauarchus; multo magis lingua prudenter & piè directa nos ad omnem virtutem, iuſtitiam, ſalutémque perducet. Ergo vt exigua illa pars ligni in naui non eſt aſpernanda, neque in corpore lingua, ſi nobis rectè conſultum velimus eſſe.

Ergo mentes humanæ cum nauibus conferuntur; mundus in quo peregrinantur & iactãtur, cum mari: tentationes mundi carnis, & diaboli, cum procellis & flatibus ventorum: lingua cum temone atque gubernaculo. Huiuſmodi comparationes ſunt familiares Spiritui ſancto, & frequenter occurrunt in ſcriptis Prophetarũ

Iſa. 23. & Apoſtolorum eius. Iſaias namque ait, *Vlulate naues maris*, id eſt, homines qui nauibus maria ſulcatis. Vbi Hieronymus. Arguuntur quos malarum cogitationum turba circundat. Vt enim

nauibus, ſic mentibus portantur mercedes bonorum & malorum operum. Eccleſia quoque dicitur, *Nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Dauid confert mundum cum mari procelloſo & fluctuoſo, in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus. Et alibi, *Mirabiles elationes maris, &c.* Nauigamus per quoddam ſtagnum, ait Auguſtinus, & ventus, & procellæ non deſunt: tentationibus huius ſæculi propè completur noſtrum nauigium. Si non dormiret in te IESVS, tempeſtates iſtas non patereris: ſed tranquillitatem in te habes in te interius, conuigilante tecũ IESV. Quid eſt autem dormire IESVM? Fides tua quæ eſt de IESV, obdormiuit.

Prou. 31. *Pſ. 103.* *Præf. in 2. enarrat. Pſ. 25.* *Matth. 8.*

Quantas verò & quales noſtrarum animarũ nauiculis tẽtationum procellas excitet, quantis laqueis nobis inſidietur huius maris archipirata diabolus, ille idem ſanctiſſimus Antiſtes his verbis explicat, de iiſdémque conqueritur, Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis repleuit decipulis ad capiendas animas noſtras. Et quis effugiet? Laqueos poſuit in diuitiis, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, & in vigilia, in verbo, in opere, & in omni vita noſtra. Sed tu Domine, *Libera nos de laqueo venantium, & à verbo aſpero*, vt confiteamur tibi dicentes: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionẽ dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, &c.*

Soliloq. c. 16. *Pſ. 90.* *Pſ. 123.*

Modico ligni gubernaculo, ſeu clauo, nauis ſeruatur, dũ declinatis ſcopulis in portum diri-

gitur: : ſic lingua debet eſſe quiddam προφυλάκτικον,& conſeruatorium hominis ad cælum velificantis:non autem φθαρτικὸν, vt profligat, mergat & perdat in interitum.

5. *Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exultat.*

Accommodat duas præcedentes ſimilitudines ad inſtitutam de linguæ moderatione diſputationem. Græcis autem μεγαλαυχεῖν eſt iactare ſe, atque venditare: vnde quidam vertunt, *magna iactat*. Alij, *magna exaltat*. Vetus interpres, *magna exultat*, non malè: quoniam etiam latinæ linguæ proceribus, *exultare* ſignificat, immoderatè iactare. Nam Tullius habet, omni crudelitate ex-

L.4.de rep. ultare:quod Nonius interpretatur, ſæuire. Dicitur quoque ab eodem, Annibalem iuueniliter

In Catone. exultaſſe. Volúntque ſcribendum *exſulto, exſultare*, vt à ſaltendo, & intemperantiùs geſtiendo etiam trahat originem. Dicitur autem hîc *magna exultat*, eadem phraſi, qua Cyprianus dicit, Non tam loquimur, quàm viuimus fortia. Ergo ſenſus eſt, Sicut neglectum frænum, ac contemptũ gubernaculnm, tam ſeſſor equi, quàm vecti nauibus periclitantur:ita niſi linguam prudenter direxerimus, magnum incurremus & animi diſcrimen. Licèt enim ea inter reliquas corporis partes minima videatur, magna tamen iactat, gloriatur, magnificè ſe venditat, proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba. Puſillum eſt membrũ, ſed turgidum, iactabũdum, latéque miſcens exitium, & ingentes excitans tumultus, ni fræno cohibeatur. Hęc totos populos, tota regna inter

ſe committit. Non eſt igitur negligenda linguæ moderatio.

Horum autem ſcopus eſt, vt homo Chriſtianus ea verborum vtatur moderatione, vt non niſi ad honorem Dei, proximorum ædificationem, & vitæ atque ſalutis propriæ neceſſitatem os ad loquendum aperiat. *Si quis loquitur*, inquit Apoſtolus, *quaſi ſermones Dei*. Id eſt, velut Deo præſente, audiente, & diiudicante. Iucundam ſimul & vtilem hac de re Caſſiodorus & Nicephorus referunt hiſtoriam. Nimirum quendam doctum virum ad Pambonem Abbatem ſanctiſſimum quidem, ſed literarum imperitum acceſſiſſe, eidémque perſuaſiſſe, vt ad vitæ pietatem literarum ſtudia coniungeret. Aſſentienti patri prælegit Pſ. 38. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in vita mea*. Sat eſt, inquit pater: audiã reliqua, cùm iſtud opere impleuero. Multo poſt tempore reuerſus Doctor, interrogauit, cur alteram lectionem non quæſiuiſſet? Reſpondit, necdum ſe priorem opere perfeciſſe: Apoſtolum autem præcipere, *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm*. Alteram non minus fructuoſam addit M. Marulus, videlicet, Agathonem Abbatem lapillo ori ſuo tribus annis impoſito, adeo ſilere didiciſſe, vt etiam poſtea vix fari valeret, cum eſſet neceſſe. Quod legerat in Prouerbiis, *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam*, opere complere ſtudebat. Subiiciamus & tertiam ex Palladio. Leo in Thebaide Monachus, ſupra quàm credi poteſt, rariſſimè loquebatur, ſolis nutibus etiam neceſſaria ſignificans.

1. Petri. 4 · *L. 8 hiſt. trip. c. 1.* · *Pſ. 38.* · *Iac. 1.* · *Rom. 2.* · *L. 4 c. 6.* · *Prou. 13.* · *Lauſiaca hiſt.*

Theo item monachus,in cellula clauſus,triginta annis ſermonibus cum hominibus abſtinuit, ſicque coram Deo profecit meritis,vt neminem infirmorum ad ſe venientium, non ſanum dimiſerit. Alia permulta religioſi ſilentij exempla refert Io.Caſſianus libro 2. inſtitutionum monaſticarum,cap.10.& 15.

Vtamur ergo lingua,id eſt,hoc inſigni &præclaro dono Dei, laudes illius concinendo: hoc
Pſ.49. enim ſuo iure poſtulat à nobis,& præcipit. *Jmmola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me,&c.*Hinc Dauid: *Immolabo in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.Semper laus eius in ore meo.*Imò & angelus Raphael, non tam vtrique
Tob.12. Tobiæ, quàm vniuerſis mortalibus præcipit, *Benedicite Deum, cæli,& coram omnibus viuentibus confitemini illi,&c.*

Vtamur & in fidei noſtræ erga Deum publicam,conſtantémque profeſſionem, ab ea non receſſuri,etiam ſi omnia nobis obiicerétur tormenta, & vitæ diſcrimina,ne & nos tunc abneget Chriſtus filius eius coram omnibus angelis & electis,ſuis, cùm iudicaturus orbem adue-
Matth.12 niet. Ait enim. *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram Patre meo.*E contrario verò, *Qui me confeſſus fuerit,& ego confitebor eum co-*
Rom.10. *ram Patre & angelis eius.* Paulus quoque ſcribit, confeſſionem fieri ad ſalutem. Moueant nos innumera clariſſimáque Apoſtolorum, diſcipulorum,virorum,virginum,& fœminarum martyrum exempla propoſita,&c.

Vtamur & ad preces animo conceptas, etiã

vocibus cùm oportuerit exprimendas, vt cor noſtrum & caro noſtra exultent in Deum viuũ: *Pſ.83.* eidémque etiam linguâ ſupplicemus, qui linguã & donum ſermonis contulit. Chriſtus quippe lucidũ omnis pietatis exemplar, articulatis vocibus frequẽter orauit in mõte, in cœna in cruce: Apoſtolíſque eodẽ modo orandũ pręſcripſit, *Cùm oratis, dicite: Pater noſter, qui es in cælis. &c.*

Vtamur & ad confitenda coram Eccleſiæ paſtoribus peccata noſtra, vt beneficio clauium horum abſolutionem conſequamur. Non enim fruſtrà ſcriptum eſt, veniẽtes ad Ioannis baptiſmum *confeſſos eſſe peccata ſua.* Non fruſtrà B. Paulo *Matth.3.* multi *confitebantur actus ſuos.* Non denique fruſtrà beatis Apoſtolis, híſque ſuccedentibus ſacerdotibus dictum eſt, *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis.* Non denique fruſtrà eiſdem Chriſtus dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, &c.* *Act.19.* *Matth.18.* *Io.20.*

Vtamur demum lingua noſtra, vt piis exhortationibus & conſiliis proximos ad Dei cognitionem, timorem denique & amorem perducamus: ne illa gladius fiat, & laqueus perditionis: Quot hominum myriadibus veræ iuſtitiæ & ſaluti fuerunt linguæ Prophetarum, Apoſtolorum, Diſcipulorum, Doctorum & Patrum ſanctorum? *Lingua placabilis* (ait Sapiens) *Prou.15.* *Lignum vitæ: quæ autem moderata eſt, conteret ſpiritũ.* Item. *Lingua ſapientum ornat ſcientiam, &c.* *Ibidem.*

Quanta ergo eſt hominum corruptio, quàm damnabilis & execranda malitia, qui tam nobili dono Dei abutũtur ad euomendas blaſphe-

inter homines omnium vitiorum fœcundiſſimum ſeminarium.

In his obſeruandum primò, rectè congruenterque linguam cum igne ab Apoſtolo comparari, tum propter formam, ſpeciem, velocitatẽ, & ardorem loquendi, tum propter efficaciſſimam alios inflammandi & concitandi, ſiue ad bonum ſiue ad malum, virtutem. Habet enim (authore HIERON.) latentem energiam maximam viua vox, & in aures diſcipulorum de authoris ore transfuſa, fortiùs ſonat. Finxerunt Ethnici Amphionem, Arionem, & Orpheum ſuauitate cantus piſces ineſcaſſe, feras cicuraſſe, quin & arbores & ſaxa ſuis locis mouiſſe, vt his vrbes conſtruerent. Non quòd reipſa hæc effecerint, ſed vt ſignificarent illos tanta dicendi vi ac efficacitate fuiſſe præditos, vt hominum ſaxeos, & barbaros animos ad humanitatem & virtutis amorem pertraxerint. Ferunt quoque Periclem Athenienſium ducem non ſimpliciter pro ſuggeſtu declamaſſe: ſed potiùs tonaſſe atque fulguraſſe. Demoſthenes ſuis ad Athenienſes orationibus, illos nunc ad bellum, mox ad pacem impellebat pro voluntate. Hercules Gallicus admirabili eloquentia populares ſuos verbis, velut catenulis aſtrictos quocunque voluit, facilè pertraxit. Ex lingua Neſtoris mella fluxiſſe cõmenti ſunt. Vlyſſes eloquentiæ ſuæ vi Achillis obtinuit arma. Quid facundia poſſet, tunc patuit fortíſque viri tulit arma diſertus. Plura alia efficacis eloquentiæ exempla recitat Valerius Max. l. 8. c. 8. & 9.

I. ad Paulinum.

Clem. Alex. in protrept.

Sacra quædam exempla ſubiicienda ſunt.
Num. 16 Datham, Coré, Abiron, Moſi aliquantiſper obtrectando, mox ducentos & quinquaginta Synagogæ proceres in eandem ſecum ſchiſmatis ſententiam, æternámque mortem pertraxerunt. Secundò Decem Hebræorũ exploratores, quos
Num. 13. 20. Moyſes inter Chananæos miſerat, ſuis detractionibus & maledictis adeò totum populum commouerunt, vt de reditu in Ægyptum cogitarent. Vnus Iudas contra Magdalenam ob-
Matth. 26. Luc. 22. murmurans, cæteros Apoſtolos adeò concitauit, vt & dentibus in ipſam frenderent, & verbis exclamarent: *Ut quid perditio hæc?* Rectè Hie-
Comen. c. 3. ad Galat. ronymus ſcribit: Arius in Alexãdria parua ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſus eſt, totũ orbem flamma eius eſt populata. Idem iudiciũ
Li. 3. conf. c. 6. de cũctis hæreſiarchis. Auguſtinus linguas Manichæorum miniſtrorum appellat, laqueos diaboli, & viſcum confectum commixtione ſylla-
Li. 5. conf. c. 3. barum nominis Dei. Et de Fauſti eorundẽ epiſcopi eloquentia ſcribit, Magnus erat laqueus diaboli, & multi implicabantur in eo per illecebrã ſuauiloquentiæ. Idem de multis aliis quis ſanæ mentis negabit?

Obſeruandum ſecundò, linguam improbam iure vocari vniuerſitatem, id eſt, mundum, abyſſum, immenſam voraginem iniquitatis, quãdoquidem eſt omnium vitiorum turpitudinúmque tum corporalium tum ſpiritualium parens & officina. Nã lingua hæretica Deũ blaſphemat, ſanctos omnes probris afficit, verbum Domini corrumpit, auditorũ mentes excæcat, volũtates

ad quiduis tentandũ & audendũ accendit, fidem exterminat, ſpem in præſumptionẽ vertit, caritatem extinguit, humanitatem tollit, & ſeditionum bellorúmque faces accẽdit, corpora commaculat, & animas in tartarum demergit. Per linguã indiſciplinatã (ait ven. Beda) cuncta facinora aut cõcinnantur, vt latrocinia & ſtupra: aut patrãtur, vt periuria, falſa teſtimonia, blaſphemię aut defendũtur, &c. Per linguã detractationes, ſuſurrationes, maledicta, conuitia, contumeliæ, & cætera id genus vitia aduerſus Deum & proximum deſignantur, quibus totius corporis & animæ facultates commaculantur. An non ergo mundus eſt iniquitatis?

6. *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.*

Quartũ argumentũ hîc conſtituo, illúdque à tribus incõmodis, quæ petulantẽ linguã ſequũtur, deſumptũ. Primũ eſt, quòd totũ corpus multorum vitiorum ſordibus contaminet. Secũdũ, quòd ad multa ſcelera totius vitæ noſtræ curriculum inflammet. Tertiũ, quòd accendatur ab ipſo diabolo gehennæ principe. Vult autem Apoſtolus, Sicut materiarum aceruo mixtus paruus ignis paulatim totam congeriem incendio corripit: ita & lingua admixta membris corporis, ni coherceantur, inficit & ſua lue inquinat vniuerſum corpus, totámque hominis vitam, ab incunabulis ad extremam vſque ętatem inflammat omni vitiorum incẽdio. Vim autem huius mali non indidit illi natura, ſed afflata eſt ex igni

gehennæ, vnde primùm per impios ſpiritus inficitur animus, & animi lues per organum linguæ prorumpit in peius, & hominē à malo reddit peſſimum.

Hîc primum conſidera pulcherrimam & lectiſſimam fabricam corporis humani, vtpote à ſapientiſſimo & omnipotente Deo cōſtructam, præſertim verò linguæ inter tot partes membráque illius diſpoſitionem. *Lingua*, inquit Apoſtolus, *inter membra corporis humani conſtituitur*, nimirum ab humani corporis primo conditore. Lingua, id eſt illud fruſtulum carnis & membrũ quod in ore mouetur, cùm animi ſenſa verbis efferimus. Ergo qualisqualis ſit Deũ habet conditorem, qui eam ſuo loco & ordine collocauit: eiuſdē vſum quibus vult impertit; cùm placet, mutat: & cùm expedit, à multis tollit. Sancti ſeptem Machabæi linguas poſtulati, citò eaſdem
2. Mach. 7. proferentes, dicebant: *E cælis iſta poſsidemus, &c.* Moſi tarditatem linguæ cauſificanti, dicit Deus
Exod. 4. *Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum? Nonne ego?* An non & ipſe adeo cōfudit olim linguas hominum ad turrim Babel, vt
Gen. 11. vnuſquiſque non intelligeret proximum ſuum?
Luc. 1. Zachariam exitio ſuo loquacem, mutũ effecit: & credentē poſt nouē mēſes, & linguæ & prophe-
Mar. 7. tiæ beneficio donauit? Alterius muti ſoluit vin-
Mar. 16. culum linguæ, vt rectè loqueretur, & Deum lau-
Act. 2. daret? Apoſtolis miraculo conceſſit, vt variis linguis loquerentur magnalia Dei? Non dicant ergo impii cum Diuinæ prouidentiæ contumelia,
Pſ. 11. *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à no-*

bis ſunt, &c. quando velint nolint etiam ingratiſſimi filii hominum, iſthæc, horúmque vſum ſingulari Dei viuētis & omnipotentis beneficio acceperunt & poſſident: quíque de his exactam olim exiget rationem. *Diſperdet vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Nicanoris impia lingua in partes fruſtulatim diſſecta, auibus pręda fuit. Immitis epulo de linguæ ſuæ ardentiſſima ſiti, in flāmis inferorum fruſtrà cōquéritur. *2. Mac. 15.* *Luc. 16.*

Huius porrò multiplicē vſum Tullius Chriſtianorum, paucis, ſed lectiſſimis verbis exponit. Primus eſt vocem motibus ſuis in verba diſcernere, eſſé que interpretem animi. Nec tamē ſola poteſt per ſe eloquēdi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adiuta vel offenſione dentium, vel cōpreſſione labiorum. Subſcribit Auguſtinus, quid velit cor, inquiens, lingua teſtatur. Philoſophi quoque docent, Voces eſſe earum quæ ſunt in anima paſſionum notas. *Li. de opif. Dei, c. 10.* *Præfat. in Pſ. 93.*

Habet præterea & illud officium, quo non in omnibus, ſed tamen ſolo in mutis vtitur, quòd contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit, & trāſmittit ad ventrem. Itaque Varro à ligando cibo putat linguæ nomen impoſitum.

Beſtias etiam in potu adiuuat. Protentâ enim cauatâque hauriunt aquam, eamque comprehēſam linguę ſinu, ne tarditate ac mora defluat, ad palatum celeri neceſſitate complodunt.

Linguâ etiā ſapores ſentiuntur, nec tamē totâ: nā partes eius quæ ſunt ab vtroque latere tenuiores ſaporē ſubtiliſſimis ſenſibus trahunt. Et

cùm neque ex cibo quicquã, neque ex potione minuatur, tamẽ inenarrabili modo penetrat ad ſenſum ſapor eadẽ ratione, qua nihil de quacunque materia odoris decerpit.

Li.6.c.18. Et confutans illud Luciliani, Homini amico, ac familiari non mentiri meum: addit; Sed etiã inimico, atque ignoto exiſtimabit (homo Chriſtianus) non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando cõmittet, vt lingua interpres animi, à ſenſu, & cogitatione diſcordet. Atque hæc de linguæ conſtitutione ac officiis.

Dicitur autem *maculare totum corpus*, quando blaſphemiis in Deum, periuriis verò & falſis teſtimoniis in proximos peccando, totum hominem multorũ criminũ reũ facit. Nã hæc peccata etiã in cætera mẽbra, facultatéſque corporis & animæ redundant. Deinde, loquaces & petulantes vt plurimũ aliis quoque vitiis laborant, videlicet, mendaciis, impoſturis & detractionibus,

Prou.10. quę totũ cõmaculãt hominẽ. *Nam in multiloquio non deeſt peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.*

Præterea, totius vitæ humanæ curriculũ iure magno cũ rota cõparatur. Perpetuò enim inge-

Iob.14. nita ſibi volubilitate & inconſtantia rotatur atque mouetur: & nunquam in eodem ſtatu per-

Soliloq. c.2. manet. AVG. huiuſmodi mutabilitatem noſtram in ſeipſo delineans ſcribit, Nunc gaudeo, ſtatim triſtor: nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, ſtatim morior: nunc felix appareo, ſemper miſer:

Rom.8. nunc rideo, iam fleo: ſicque omnia mutabilitati ſubiacent, vt nihil vna hora in vno ſtatu per-

maneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc langor, inde dolor exuberat: ſubſequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit.

Nec humanos authores latuit huiuſmodi vitæ noſtræ inconſtantia. Scribit namque Diogenes Pythagoram dixiſſe, vitam humanam ſimilem eſſe foro, & nundinis, ad quas dum alii veniunt, alij reuertūtur: alii vendituri, alii empturi, alij ſpectaturi. Idem rurſum refert Pyrrhonem philoſophum exiſtimaſſe, tale eſſe genus hominū, quale eſt foliorum, quòd aliis defluentibus, alij ſuccedant. Stobæus quoque teſtatur, Ariſtotelem interrogatum, Quidnam eſſet homo? reſpōdiſſe, Imbecillitatis exemplum, tēporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, & calamitatis trutina. Theodorus Priſci medicus, apud Nicephorum recitat, quendam regem Seſoſtris regis iunctum currui, rotarum eius cōtinuas volutiones ſpectantē, & his vitā noſtrā cōparantē, ſe ſuóſque coniugales in libertatē aſſeruiſſe, &c. Hanc porrò *rotam natiuitatis noſtræ*, τροχὸν γενέσεως, id eſt toti⁹ humanæ vitæ curſū lingua petulans litigando, detrahendo, blaſphemando miſerabilem in modū inflāmat & cōtaminat, quouſq; ad mortē, vel currēte rota perueniamus. Et certè prodigio ſimile eſt, quòd cū alia hominū vitia vel ætate deficiant, vel tēporis ſucceſſu corrigantur, vel ſaltē non occupent totum hominē, vitia tamē linguæ per omnes vitæ partes ſpargātur atq; graſſentur. Maturè igitur

Li. 8. de vit. Philoſoph.
Li. 9.
Serm. 96.
Li. 18. hiſt. c. 29.

& diligenter illam cohercere ſtudeamus.

Dicitur autẽ *inflammari à gehenna*, id eſt, concitari ab ipſo diabolo, & prouocari ab ipſo diabolo, cuius domus, ſedes, & perpetuus incolatus eſt ipſa flamma gehennæ. Hic enim ſaluti noſtrę inuidens, peccata ſuggerit; deinde, per linguã aperit, tandémque per cætera membra diffundens, illa ad effectum perducit. Ad hæc appoſitè ſcribit Irenæus martyr, diabolum etiã nunc per linguas hæreticorum mentiri aduerſus Deũ, & homines ad mortẽ ſeducere, ſicut olim per ſerpentẽ primos parẽtes noſtros mentiẽdo ſeduxit & perdidit. Nemo enim negabit linguã Lutheri inflãmatã fuiſſe à Satana, cùm ipſemet ſcriptis editis profiteatur ipſum Satanã noctu ſibi apparuiſſe, & argumenta ſubminiſtraſſe, quibus ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium impeteret. De cũctis aliis hæreſiarchis, quantumuis diſſimulent, idẽ eſt iudiciũ: vt nos etiã ex illorũ publicis ſcriptis nõ vno tãtùm loco alibi euicim⁹. Intẽperãs ergo lingua eſt velut ignis inferni flãma, quã timoris Diuini aquis extinguere neceſſum eſt.

Præfat. in l. 4. & lib. 5. c. 23.

Annot in l. 1. Irenei. c. 9. & lib. 2. c. 56. & 57.

Cũ deniq; hui⁹ vitia horũq; omnẽ ſuſpicionẽ Apoſtolus & à Deo, & à prima naturæ humanę cõditione tã ſtudioſè remoueat, vt diabolũ accuſet, profectò nunquã ſatis refellẽda & execrãda impietate tenentur Caluiniani, quando omniũ peccatorũ cauſam Deo optimo & maximo tribuunt. Sed de hac re copioſiùs in Dialogorũ noſtrorum priore hebdomada.

7. *Omnis enim natura beſtiarũ, & volucrũ, & ſerpẽtiũ, & cæterorũ domãtur, & domita sũt à natura humana.*

8. *Linguã autem nullus hominum domare poteſt: in-*

quietum malum, plena veneno mortifero.

Quintum eſt argumentum, quo facta collatione ad alia animalia quantumuis ferocia & truculenta, Apoſtolus probat humanæ linguæ petulantiam & improbitatem omnium maximã eſſe, eò quòd ſemper indomita permaneat: etiam ſi feræ, ſerpentes, belluæ tam marinæ quàm terreſtres, hominis induſtria mãſueſcant. Eſt igitur illa omni vulpe nequior, omni lupo triſtior, omni leone crudelior, omni tygride truculentior, omni vulture rapacior, & omni bellua immanior. Scribit ad hæc vener. Beda. Legimus apud Plinium immaniſſimam ſerpentum aſpidem in Ægypto domitam à patrefamilias, & quotidie de cauerna ſua egreſſam, ad menſam eius annonam percipere ſolitam. Legimus etiam manſuefactam tygridem, ab India, Anaſtaſio imperatori miſſam. Huius meminit Plinius l.8.hiſt. c. 17. Marcus Paulus Venetus in libris de regionibus oriẽtalibus, refert magnum Cham imperatorem Tartarorum habere cicuratos leones, leopardos, tygrides, linces, vrſos, & reliquas id genus feras, domeſticas, quibus ad capiendas eiuſdem ſpeciei feras efferatas in venationibus vtitur. Plinius rurſum ſcribit, Facilè eſſe domare leones: deinde, tygrides manſuefieri: ac elephantes brutorum maximos adeò dociles eſſe, vt & Regem agnoſcant inter cæteros omnes, & adorent. Idem quoque refert plurimos homines ac pueros à draconibus & ſerpentibus ſeruatos fuiſſe à periculis, vel directos per inuia & deſerta loca. Subiguntur etiam ab hominibus crocodili, miteſcunt

l. 8. c. 16. & 17.

l. 8. c. 17.

Plin. lib. 9. c. 8.

aſpides, aquilæ & vultures familiares reddun-
tur, picæ & graculi humanas voces ſonare di-
ſcunt. Accipitres & falcones ad dominorum
ſuorum manus ſæpe reuolare cernũtur, ad ami-
citiam hominum alliciuntur delphini: & omne
genus animantium induſtria artéque humana
domatur. Vnguibus & dentibus ſæuiunt leo-
nes: at, veneno carent. Venenum habent viperæ
& aſpides: ſed nec vngues, nec cornua, &c. Lin-
gua verò improba, innumeris modis nocere
poteſt, nimirum, & feritate inſuperabili, & ve-
neno tam animę quàm corpori mortifero. Ser-
pentes ſolos præſentes ſibi lædunt, lingua im-
proba etiam abſentes procul. Quinimo & vita
functos aliquãdo lacerat atque proſcindit, &c.

Ser. 4. de verbis Domini. l. de nat. & grat. c. 15.

Hæc porrò non ideo dixit Apoſtolus (vt AV-
GVSTINVS obſeruat) vt illius improbitatem no-
ſtra negligentia perpetuò dominari permitta-
mus: ſed vt cunctis viribus contendamus eam
cohibere ac moderari. Demúmque ad eam do-
mãdam diuinum poſtulemus auxilium, vt non
nos ipſi, ſed Spiritus Patris noſtri loquatur in
nobis. Igitur cum Dauide toto pectore roge-

Pſal 38.

mus: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium cir-
cunſtantiæ labiis meis.* Vbi rectè CHRYSOSTOMVS:
Poſtulationem incipit Dauid ab eo, quod om-
nium malorum cauſa eſt, ſi negligatur: quem-
admodum bonorum, ſi in eo cura ac ſtudium
ponatur. Addit, Quemadmodum nihil iuuant
domus, vrbes, mœnia, niſi ſint qui portas cuſto-
diant, claudant, & aperiant cùm opus fuerit: ita
nulla eſt hominis vtilitas, niſi ratione os ſuum

claudere & aperire didicerit. Scriptum namque eſt, *Non tot gladio, quot lingua ceciderunt.* Et Chriſtus ait, *Quæ ex ore exeunt, coinquinant hominem.* Quoniam Phariſæus ori ſuo fores nõ appoſuit, paucis verbis, quæ intus erant, perdidit: quemadmodum qui theſaurum poſuiſſet in domo, in qua nullæ fores fuiſſent. Niſi enim Eua locuta eſſet cum ſerpente, & verba dixiſſet quæ non conueniebant, tantum damnum non intuliſſet. Hactenus Chryſoſtomus. *Eccl. 28.* *Matth. 15.* *Luc 18.* *Gen. 3.*

Illos autem qui linguas ſuas domare negligunt, AVGVSTINVS his verbis coarguit & pudefacit: Homo domat feram, nõ domat linguã. Domat leonem, non refrenat ſermonẽ. Domat ipſe, & non domat ſeipſum. Domat quod timebat, & vt ſe domet non timet quod timere debebat, &c. Et paulò poſt, *ſi linguam hominum nullus domare poteſt*, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram. Equus nõ ſe domat, nec camelus, nec elephantus, nec aſpis, nec leo: ſic & homo non ſe domat: ergò Deus quæratur vt dometur homo. Ergo Domine, *refugium factus es nobis, &c.* Et author ſermonum ad fratres in eremo, Non debemus (inquit) tantùm oculos clauſos ſeruare, ſed & linguas intra dentes reſeruare illæſas: ſermo enim vanus, vanæ conſcientiæ index eſt. Qualis es, tales ſermones loqueris, talis & mens comprobatur: & qualis fueris in factis, talis comprobaris in verbis. Qualis eſt homo in mente, talem verboſitas depingit in ore, &c. Summa tamen verecundia eſt, & depreſſa deiectio, non poſſe linguam re- *Serm. 4. de verb. Domini.* *Pſal. 82.* *Serm. 3.*

frenare,&tam vile non poſſe ligare membrum, &c.

Serm. 29. Idem rurſus explicans intemperantis linguæ varia incommoda,ſcribit: Non ſolùm eſt lingua doloſa, quæ ſeminat inter fratres diſcordias,quæ ſuſcitat lites,quæ incitat furores, quæ etiam conuentus conturbat: ſed etiam illam linguam doloſam dicimus, quæ te laudare adulando procurat. Nam tales adulatores ſunt, mendacia diligunt & faciũt, quia falſitatis ſunt inuentores,diaboli fratres, veritatis deſtructores,puritatis deuiatores, odiorum inuentores, Satanæ mediatores,Dei perſecutores,& omniũ malorum inuentores. Mel in ore portant,&venenum aſpidum inſanabile in corda hominum conſpuunt,&c. Nos verò fratres ſi verberamini à lingua doloſa, humili & tranquillo animo dicite: *Domine libera animam meam a labiis iniquis,* Pſal. 119. *& à lingua doloſa,&c.*

Dauid & in aula Saulis,& toto exilij ſui tempore, adulatorum & detractorum linguis flagellatus & traductus,de his & frequẽter & grauiter apud Deum conqueritur: miriſque comparationibus illarum improbitates deſcribit in pſalmis. Ac in primis cum ſepulcris mortuorum patentibus,ex quibus fœtores oriuntur in-Pſal. 5. tollerabiles,eas conferens dicit,*Sepulcrum patens eſt guttur eorum,linguis ſuis doloſè agebant.* Et diuinam iuſtitiam aduerſus illas implorans,ſubdit: *Iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus ſuis,expelle eos,&c.* Deinde,aduerſus Doeg Idumæi maledicam linguam inſurgens, ſimúlque cæleſtem

vltionem in eum prædicans, ait: *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta* (qua nihil acutius, & ad diſcindendum aptius) *feciſti dolum.* Nam eius delationibus Sacerdotes Domini de Nobe, occidione deleti fuerant. *Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te de tabernaculo tuo, &c.* Et de aulicorum improbis apud Saulem detractionibus hanc querimoniam contexit. *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Quid autem ferreis & calybeis armis fortius? quid ſagittis ocyus? aut gladio acuto terribilius? His itaque ora & linguas impiorum, potius quàm manus armatas fuiſſe dicit. Et poſtea, *Exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.* Tandémque linguis ſerpentum acutiſſimis, & venenis aſpidum eaſdem aſſimilans ait: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* An non ergo impudens, blaſphemáque lingua, inquietum malum eſt, & plena veneno mortifero?

Pſal.51. 1.Reg.22. Pſal.56. Pſal.63. Pſal.139.

9. *In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.*

Sextum argumentum de lingua moderanda, ſumptum à collatione frequentis vſus & abuſus linguæ. Vſus autem legitimus eius eſt, cùm Deum Patrem laudamus in operibus ſuis, virtutem prædicamus in miraculis, benedicimus in donis ac beneficiis acceptis ab eodem: híſque proximos noſtros ad eum nobiſcum timédum, amandum, & inuocandum excitamus &

prouocamus. Ad hunc quippe finem & vſum, linguam ſermonis effectricem initio Deus homini contulit. His addit CHRYSOSTOMVS, Lingua membrum eſt per quod cum Deo colloquimur: & ſumma veneratione dignum (adorationem S. Euchariſtiæ attende) ſacrificium ſuſcipimus. Idem. rurſus, Linguam noſtram vocat manum, qua pedes Dei in oratione attingimus. Denique etiam linguam Chriſti, cùm ea loquimur, quæ præcepit Chriſtus. Rurſúmque, Vnius beati Pauli linguam, omni ſole ſplendidiùs per totum orbem ſplenduiſſe ſcribit. Demùm concludit, linguam magis quàm pupillam oculi cũſtodiendam eſſe. Nam dictu eſt impoſſibile, quãtum debeamus ſacris linguis Prophetarum, Apoſtolorum, diſcipulorum, Martyrum & Confeſſorum, propter fidei & pietatis doctrinam ab illis orbe toto annunciatam & promulgatam.

In Pſ. 104. *Hom. 79. in Matth.* *Proœmio in Epiſt. ad Rom.* *Ho. 52. in Matth.*

Vide autem in primis, Deum id ſuo iure ab hominibus repoſcere, vt eum benedicamus & laudemus, tum virtutes ipſius celebrando, tum præceptis obaudiendo. Nam vt is nobis benedicere dicitur, cùm ſanctificat, liberat, ſeruat, & donis tam ſpiritalibus quàm corporeis pauperiem noſtram exornat: ita & nos eidem benedicimus, quando grata mente illius poteſtatem, miſericordiam, beneuolentiam, ſapientiam, bonitatẽ in nos effuſam, & priuatim & palàm commemoramus, ei gratias agimus, miranda eiuſdem opera prædicamus, atque in cunctis periculis & neceſſitatibus noſtris auxiliũ eius

ſuppliciter & confidenter imploramus. Ad hãc benedicendi ſpeciem pertinet iſtud veteris Tobiæ ad iuniorem filium ſuum præceptum, *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas cuſtodiat.* Tob. 4.
Et Raphaëlis archangeli ad vtrumque: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.* Tob. 12.
Hoc idem reſonant omnes ferè pſalmi Dauidis, vtpotè: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. In eccleſiis benedicam te, Domine. Benedicam Dominum in omni tempore. Benedicam te in vita mea, labia mea laudabunt te. Benedicite Gentes Deum noſtrum.* Pſal. 15. Pſal. 25. Pſal. 33. Pſal. 62. Pſal. 65.
Et plurima eiuſdem beneficia commemorans, & animam ſuam & cunctas eius facultates ad benedicendum excitans, ait: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c.* Pſal. 102.
Huic porrò benedictionis diuinæ ſpeciei aduerſantur, & Deo maledicere perhibentur, qui contumelioſè in eum, perfectiones, opera, atque iudicia eius iaciũt. Huiuſmodi fuit Ægyptiorum rex dicens, *Quis eſt Dominus vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam?* Exod. 5.
Et ſuperbiſſimus thraſo Holofernes dicens ad Achior: *Oſtendam tibi quoniam Deus non eſt, niſi Nabuchodonoſor.* Iudith. 6.
Et Babylonicus tyrannus ad tres pueros: *Et quis eſt Deus qui eripiet vos de manibus meis?* Dan. 3.
Nicanor denique, interrogans. *Si eſt potens in cœlo, qui imperauit agi diẽ ſabbathorum?* 2. Mach. 15.
Sic enim iſti, & alij gigantum fraterculi, & ipſam Diui-

nitatem, & ſummas perfectiones eius, quas vereri & benedicere debent, ſuperbiſſimè aſpernantur atque blaſphemant.

Ad alteram autem ſpeciem benedicendi Deum pertinent hæc Auguſtini verba. Hoc eſt benedicere Deum in eccleſiis, Fratres, ſic viuere vt per mores cuiuſque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Domino linguâ, & factis maledicit, non in eccleſiis benedicit Domino. Linguâ propè omnes benedicunt, ſed non omnes factis. Quidam voce benedicunt, quidam moribus, &c.

Enarrat. 2. in Pſal. 25.

Abuſus autem linguæ eſt, quòd eâdem *execramur homines, qui ad imaginem Dei conditi ſunt.* Reſpicit autem Apoſtolus ad hiſtoriam creationis, in qua ſcribitur, Deum condidiſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuã. Ergo violatur Conditor hominis, quando viua veráque imago eius in homine probris maledictíſque vexatur. Nam in Deum pius eſſe nõ poteſt, qui crudelis & maledictus eſt aduerſus proximum. Enimuerò ſi benedicendus eſt Deus in operibus ſuis, id præſertim in hominibus valere debet, in quibus relucet imago eius & gloria. Et tamen hoc organo laudamus Deum, patrem illum appellantes, & cum eodem vituperamus & infamamus proximũ, ad Dei ſimilitudinem conditum. Linguâ canimus Deum omnium bonorum authorem, & eâdem, ſummis malis affligimus hominem, quaſi in hunc iactæ contumeliæ non pertinerent ad Deum eius conditorem. Hanc peruerſorum hominum hypocriſim

Gen. 1.

Pſal. 144.

criſim auerſatur Deus, cùm Propheta de his conqueritur, *Ore ſuo benedicebant, & corde maledicebant.* *Pſal.61.* Et impio dicit, *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis nomen meum per os tuum? Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, &c.* *Pſal.49.*

Eâdem rurſum fœdiſſimè ac pernicioſiſſimè abutuntur, qui veritatem agnitam impugnant, ſanctis iam cum Chriſto in cœlis regnantibus bellum denunciant, ſanctiſſimis Eccleſiæ ſacramentis atque ritibus eorum obloquũtur, fidem catholicam impugnant, ſuis hæreſibus animas Chriſtianas inficiunt & perdunt, &c. Nam hi linguis quidem ſuis fingunt ſe benedicere Deum: iiſdem verò rebus ſanctiſſimis obtrectant.

Abutuntur iterum *& hominibus maledicunt,* qui fictis criminationibus eos onerant, falſiſque teſtimoniis & delationibus apud tyrannos opprimunt. Impingunt enim in illud præceptum diuinum: *Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.* *Exod.20.* Imitantur verò ſceleratos Iſraëlitas, qui Achabo & Iezabeli miniſtri fuerunt, vt ſanctum virum Naboth neci traderent. *3.Reg.* Sequuntur & ſceleratorum duorum Iudicum impietatem, qua Suſannæ caſtiſſimæ fæminæ maximum creatunt periculum. *Dan.13.* Denique verè ſunt germina, imò & genimina viperarum illarum, Iudæorum, qui Chriſtum de multis tam falsè quàm impiè coram Caipha, Pilato, & Herode accuſauerunt. *Matth.3. Luc 22. Matth.26. & 27.*

Abutuntur quoque linguis ſuis obſcœnis ac

impudicis verbis delectantur, fornicationes & adulteria ſua nefariè iactant, & velut admotis flabellis fœdæ concupiſcentiæ carbones in aliis excitant & accendunt. Hos enim ad reproborum cœtum pertinere Spiritus apertè pronunciat, dicens: *Gloriantur cum malefecerint, & exultant in rebus paſſionis, quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Et Paulus adfirmat, colloquia praua bonos mores corrũpere: ſimúlque docet, nec fornicationẽ, nec aliquam immũditiam nominandam eſſe inter Chriſtianos, &c.

Prou. 2. *1. Cor. 15.* *Ephes. 5.*

10. *Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei, hæc ita fieri.*

Ex ſuperiori argumento duo colligit. Primum, vnicam hominis linguam longè diſſitorum & contrariorum effectricem eſſe, quod monſtro prodigioque ſimile eſt. Nam aduerſatur ordini naturæ, quòd ab vno principio procedant effecta contraria: quandoquidem contrariorum contrariæ debeant eſſe cauſæ. Secundum conſequens eſt, ergo longè longius fugiendum eſt hoc malum, & lingua ſedulò cuſtodienda. Apologus Satyri hoſpitem ſuum fugientis, quòd ex eodem ore calidum efflaret ac frigidum, huc pertinet, Spiritus autem diuinus eos auerſatur, qui nec calidi ſunt nec frigidi: ſed tepidi. Diſcamus nos hinc lingua Deum colere & laudare: proximos noſtros in bonum ædificare, & ſale prudentiæ noſtros condire ſermones.

Apoc. 3. *Coloſſ. 4.*

Serm. 43. S. Maximvs Abbas, & martyr, ex hac D. Iacobi ſententia, aliiſque aliquot ſimilibus, docet

cauendum ab adulatoribus, quoniam frequenter qui in faciem laudant,clam detrahunt. Additque iſta ex Chryſoſtomo: Qui improbitatem laudat,eam pœnitentiæ remedio fraudat. Item, hæc b.Ignatij. Vt ſanus ſim in his quæ ad Deū pertinent,vehementiùs tamen verendum mihi eſt,& cauendum ab his,qui me temerè inflant, laudantes enim me flagellant. Denique & iſtud Socratis: Fidos eos exiſtimato, non qui dicta & facta tua omnia laudant : ſed qui quæ peccaueris reprehendunt.

11. *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?*

Septimum argumentum à ſimilitudine fontis deſumptum ſic poteſt formari. Pugnat cum experientia,ratione, & natura, vnicum fontem eadem ſcaturigine, ac eodem canali & foramine, aquā proferre dulcē & amaram, potabilem & non potabilem. Igitur linguę,quæ tantùmmodo ad Deum celebrandum, & proximum ædificandum condita eſt, nunquam permitti debet,vt Deū benedicendo, proximo ſuo maledicat. Prodigioſus eſt igitur ille, qui eadē linguâ benedicit & maledicit, mortem & vitam prædicat,virtutem & vitium perſequitur, vituperium & laudē depromit. Monſtroſus eſt qui lingua orat, *Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Eâdem verò crudeliter ſæuit in fratres ſuos qui ſunt in terris, pro quibus Filius Dei mortuus eſt. Portentū eſt,qui linguâ prædicat Dei bonitatem, clementiā, & miſericordiā in homines: eandē verò exacuit in con- *Matth. 6.*

cùm neque ex cibo quicquã, neque ex potione minuatur, tamẽ inenarrabili modo penetrat ad ſenſum ſapor eadẽ ratione, qua nihil de quacunque materia odoris decerpit.

Li.6.c.18. Et confutans illud Luciliani, Homini amico, ac familiari non mentiri meum: addit; Sed etiã inimico, atque ignoto exiſtimabit (homo Chriſtianus) non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando cõmittet, vt lingua interpres animi, à ſenſu, & cogitatione diſcordet. Atque hæc de linguæ conſtitutione ac officiis.

Dicitur autem *maculare totum corpus*, quando blaſphemiis in Deum, periuriis verò & falſis teſtimoniis in proximos peccando, totum hominem multorũ criminũ reũ facit. Nã hæc peccata etiã in cætera mẽbra, facultatéſque corporis & animæ redundant. Deinde, loquaces & petulantes vt plurimũ aliis quoque vitiis laborant, videlicet, mendaciis, impoſturis & detractionibus, quę totũ cõmaculãt hominẽ. *Nam in multiloquio* *Prou.10.* *non deeſt peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſsimus eſt.*

Præterea, totius vitæ humanæ curriculũ iure magno cũ rota cõparatur. Perpetuò enim inge- *Iob.14.* nita ſibi volubilitate & inconſtantia rotatur atque mouetur: & nunquam in eodem ſtatu per- *Soliloq. c.2.* manet. Avg. huiuſmodi mutabilitatẽm noſtram in ſeipſo delineans ſcribit, Nunc gaudeo, ſtatim triſtor: nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, ſtatim morior: nunc felix appareo, ſemper miſer: *Rom.8.* nunc rideo, iam fleo: ſicque omnia mutabilitati ſubiacent, vt nihil vna hora in vno ſtatu per-

maneat.Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis,hinc calor, hinc frigus, hinc langor, inde dolor exuberat:ſubſequitur his importuna mors,quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit.

Nec humanos authores latuit huiuſmodi vitæ noſtræ inconſtantia.Scribit namque Diogenes Pythagoram dixiſſe,vitam humanam ſimilem eſſe foro & nundinis,ad quas dum alii veniunt,alij reuertũtur:alii vendituri,alii empturi, alij ſpectaturi.Idem rurſum refert Pyrrhonem philoſophum exiſtimaſſe,talè eſſe genus hominũ,qualè eſt foliorum,quòd aliis defluentibus, alij ſuccedant.Stobæus quoque teſtatur,Ariſtotelem interrogatum,Quidnam eſſet homo? reſpõdiſſe, Imbecillitatis exemplum,tẽporis ſpolium,fortunæ luſus,inconſtantiæ imago,& calamitatis trutina. Theodorus Priſci medicus, apud Nicephorum recitat,quendam regem Seſoſtris regis iunctum currui,rotarum eius cõtinuas volutiones ſpectantẽ,& his vitã noſtrã cõparantẽ,ſe ſuóſque coniugales in libertatẽ aſſeruiſſe,&c. Hanc porrò *rotam natiuitatis noſtræ*, τροχὸν γενέσεως,id eſt totiꝰ humanæ vitæ curſũ lingua petulans litigando,detrahendo,blaſphemando miſerabilem in modũ inflãmat & cõtaminat, quouſq; ad mortẽ,vel currẽte rota perueniamus.Et certè prodigio ſimile eſt, quòd cũ alia hominũ vitia vel ætate deficiant,vel tẽporis ſucceſſu corrigantur,vel ſaltẽ non occupent totum hominẽ,vitia tamẽ linguæ per omnes vitæ partes ſpargãtur atq; graſſentur.Maturè igitur

Li.8.de vit. Philoſoph.

Li.9.

Serm.96.

Li.18. hiſt. c.29.

& diligenter illam cohercere ſtudeamus.

Dicitur autẽ *inflammari à gehenna*, id eſt, concitari ab ipſo diabolo, & prouocari ab ipſo diabolo, cuius domus, ſedes, & perpetuus incolatus eſt ipſa flamma gehennæ. Hic enim ſaluti noſtrę inuidens, peccata ſuggerit; deinde, per linguã aperit, tandémque per cætera membra diffundens, illa ad effectum perducit. Ad hæc appoſitè ſcribit Irenæus martyr, diabolum etiã nunc per linguas hæreticorum mentiri aduerſus Deũ, & homines ad mortẽ ſeducere, ſicut olim per ſerpentẽ primos parẽtes noſtros mentiẽdo ſeduxit & perdidit. Nemo enim negabit linguã Lutheri inflãmatã fuiſſe à Satana, cùm ipſemet ſcriptis editis profiteatur ipſum Satanã noctu ſibi apparuiſſe, & argumenta ſubminiſtraſſe, quibus ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium impeteret. De cũctis aliis hæreſiarchis, quantumuis diſſimulent, idẽ eſt iudiciũ: vt nos etiã ex illorũ publicis ſcriptis nõ vno tãtùm loco alibi euicim⁹. Intẽperãs ergo lingua eſt velut ignis inferni flãma, quã timoris Diuini aquis extinguere neceſſum eſt.

Præfat. in l. 4. & lib. 5. c. 23.

Annot in l. 1. Irenei. c. 9. & lib. 2. c. 56. & 57.

Cũ deniq; hui⁹ vitia horũq; omnẽ ſuſpicionẽ Apoſtolus & à Deo, & à prima naturæ humanę cõditione tã ſtudioſè remoueat, vt diabolũ accuſet, profectò nunquã ſatis refellẽda & execrãda impietate tenentur Caluiniani, quando omniũ peccatorũ cauſam Deo optimo & maximo tribuunt. Sed de hac re copioſiùs in Dialogorũ noſtrorum priore hebdomada.

7. *Omnis enim natura beſtiarũ, & volucrũ, & ſerpẽtiũ, & cæterorũ domãtur, & domita sũt à natura humana.*

8. *Linguã autem nullus hominum domare poteſt: in-*

quietum malum, plena veneno mortifero.

Quintum eſt argumentum, quo facta collatione ad alia animalia quantumuis ferocia & truculenta, Apoſtolus probat humanæ linguæ petulantiam & improbitatem omnium maximā eſſe, eò quòd ſemper indomita permaneat: etiam ſi feræ, ſerpentes, belluæ tam marinæ quàm terreſtres, hominis induſtria māſueſcant. Eſt igitur illa omni vulpe nequior, omni lupo triſtior, omni leone crudelior, omni tygride truculentior, omni vulture rapacior, & omni bellua immanior. Scribit ad hæc vener. Beda. Legimus apud Plinium immaniſſimam ſerpentum aſpidem in Ægypto domitam à patrefamilias, & quotidie de cauerna ſua egreſſam, ad menſam eius annonam percipere ſolitam. Legimus etiam manſuefactam tygridem, ab India, Anaſtaſio imperatori miſſam. Huius meminit Plinius l.8. hiſt. c. 17. Marcus Paulus Venetus in libris de regionibus orientalibus, refert magnum Cham imperatorem Tartarorum habere cicuratos leones, leopardos, tygrides, linces, vrſos, & reliquas id genus feras, domeſticas, quibus ad capiendas eiuſdem ſpeciei feras efferatas in venationibus vtitur. Plinius rurſum *l. 8. c. 16. &* ſcribit, Facilè eſſe domare leones: deinde, tygri- *17.* des munſuefieri: ac elephantes brutorum maximos adeò dociles eſſe, vt & Regem agnoſcant inter cæteros omnes, & adorent. Idem quoque *l. 8. c. 17.* refert plurimos homines ac pueros à draconibus & ſerpentibus ſeruatos fuiſſe à periculis, vel directos per inuia & deſerta loca. Subiguntur etiam ab hominibus crocodili, miteſcunt

Plin. lib. 9. c. 8. aſpides, aquilæ & vultures familiares reddun-tur, picæ & graculi humanas voces ſonare di-ſcunt. Accipitres & falcones ad dominorum ſuorum manus ſæpe reuolare cernũtur, ad ami-citiam hominum alliciuntur delphini: & omne genus animantium induſtria artéque humana domatur. Vnguibus & dentibus ſæuiunt leo-nes: at, veneno carent. Venenum habent viperæ & aſpides: ſed nec vngues, nec cornua, &c. Lin-gua verò improba, innumeris modis nocere poteſt, nimirum, & feritate inſuperabili, & ve-neno tam animę quàm corpori mortifero. Ser-pentes ſolos præſentes ſibi lædũt, lingua im-proba etiam abſentes procul. Quinimo & vita functos aliquãdo lacerat atque proſcindit, &c.

Ser. 4. de verbis Domini. l. de nat. & grat. c. 15. Hæc porrò non ideo dixit Apoſtolus (vt Av-GVSTINVS obſeruat) vt illius improbitatem no-ſtra negligentia perpetuò dominari permitta-mus: ſed vt cunctis viribus contendamus eam cohibere ac moderari. Demúmque ad eam do-mãdam diuinum poſtulemus auxilium, vt non nos ipſi, ſed Spiritus Patris noſtri loquatur in nobis. Igitur cum Dauide toto pectore roge-

Pſal 38. mus: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium cir-cunſtantiæ labiis meis.* Vbi rectè CHRYSOSTOMVS: Poſtulationem incipit Dauid ab eo, quod om-nium malorum cauſa eſt, ſi negligatur: quem-admodum bonorum, ſi in eo cura ac ſtudium ponatur. Addit, Quemadmodum nihil iuuant domus, vrbes, mœnia, niſi ſint qui portas cuſto-diant, claudant, & aperiant cùm opus fuerit: ita nulla eſt hominis vtilitas, niſi ratione os ſuum

claudere & aperire didicerit. Scriptum namque eſt, *Non tot gladio, quot lingua ceciderunt.* Et Chriſtus ait, *Quæ ex ore exeunt, coinquinant hominem.* Quoniam Phariſæus ori ſuo fores nõ appoſuit, paucis verbis, quæ intus erant, perdidit: quemadmodum qui theſaurum poſuiſſet in domo, in qua nullæ fores fuiſſent. Niſi enim Eua locuta eſſet cum ſerpente, & verba dixiſſet quæ non conueniebant, tantum damnum non intuliſſet. Hactenus Chryſoſtomus.

Eccl. 28. *Matth. 15.* *Luc 18.* *Gen. 3.*

Illos autem qui linguas ſuas domare negligunt,

AVGVSTINVS his verbis coarguit & pudefacit: Homo domat feram, nõ domat linguã. Domat leonem, non refrenat ſermonẽ. Domat ipſe, & non domat ſeipſum. Domat quod timebat, & vt ſe domet non timet quod timere debebat, &c. Et paulò poſt, *ſi linguam hominum nullus domare poteſt,* ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram. Equus nõ ſe domat, nec camelus, nec elephantus, nec aſpis, nec leo: ſic & homo non ſe domat: ergo Deus quęratur vt dometur homo. Ergo Domine, *refugium factus es nobis, &c.* Et author ſermonum ad fratres in eremo, Non debemus (inquit) tantùm oculos clauſos ſeruare, ſed & linguas intra dentes reſeruare illæſas: ſermo enim vanus, vanæ conſcientiæ index eſt. Qualis es, tales ſermones loqueris, talis & mens comprobatur: & qualis fueris in factis, talis comprobaris in verbis. Qualis eſt homo in mente, talem verboſitas depingit in ore, &c. Summa tamen verecundia eſt, & depreſſa deiectio, non poſſe linguam re-

Serm. 4. de verb. Domini. *Pſal. 89.* *Serm. 3.*

frenare,&tam vile non poſſe ligare membrum, &c.

Serm. 29. Idem rurſus explicans intemperantis linguæ varia incommoda,ſcribit: Non ſolùm eſt lingua doloſa, quæ ſeminat inter fratres diſcordias,quæ ſuſcitat lites,quæ incitat furores, quæ etiam conuentus conturbat: ſed etiam illam linguam doloſam dicimus, quæ te laudare adulando procurat. Nam tales adulatores ſunt, mendacia diligunt & faciũt, quia falſitatis ſunt inuentores,diaboli fratres, veritatis deſtructores,puritatis deuiatores, odiorum inuentores, Satanæ mediatores,Dei perſecutores,& omniũ malorum inuentores. Mel in ore portant,&venenum aſpidum inſanabile in corda hominum conſpuunt,&c. Nos verò fratres ſi verberamini à lingua doloſa, humili & tranquillo animo dicite: *Domine libera animam meam a labiis iniquis,* Pſal. 119. *& à lingua doloſa,&c.*

Dauid & in aula Saulis,& toto exilij ſui tempore, adulatorum & detractorum linguis flagellatus & traductus,de his & frequẽter & grauiter apud Deum conqueritur: miríſque comparationibus illarum improbitates deſcribit in pſalmis. Ac in primis cum ſepulcris mortuorum patentibus,ex quibus fœtores oriuntur in-Pſal. 5. tollerabiles,eas conferens dicit,*Sepulcrum patens eſt guttur eorum,linguis ſuis doloſè agebant.* Et diuinam iuſtitiam aduerſus illas implorans,ſubdit: *Iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus ſuis,expelle eos,&c.* Deinde,aduerſus Doeg Idumæi maledicam linguam inſurgens, ſimúlque cæleſtem

vltionem in eum prædicans, ait: *Tota die iniuſti-* Pſal. 51.
tiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta (qua nihil acutius, & ad diſcindendum aptius) *feciſti dolum.* Nam eius delationibus Sacerdotes Domini de Nobe, occidione deleti fuerant. *Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te de tabernaculo tuo, &c.* 1. Reg. 22. Et de aulicorum improbis apud Saulem detractionibus hanc querimoniam contexit. *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, &* Pſal. 56.
lingua eorum gladius acutus. Quid autem ferreis & calybeis armis fortius? quid ſagittis ocyus? aut gladio acuto terribilius? His itaque ora & linguas impiorum, potius quàm manus armatas fuiſſe dicit. Et poſtea, *Exacuerunt vt gladium lin-* Pſal. 63.
guas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum. Tandémque linguis ſerpentum acutiſſimis, & venenis aſpidum eaſdem aſſimilans ait: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſer-* Pſal. 139.
pentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. An non ergo impudens, blaſphemáque lingua, inquietum malum eſt, & plena veneno mortifero?

9. *In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.*

Sextum argumentum de lingua moderanda, ſumptum à collatione frequentis vſus & abuſus linguæ. Vſus autem legitimus eius eſt, cùm Deum Patrem laudamus in operibus ſuis, virtutem prædicamus in miraculis, benedicimus in donis ac beneficiis acceptis ab eodem: híſque proximos noſtros ad eum nobiſcum timédum, amandum, & inuocandum excitamus &

prouocamus. Ad hunc quippe finem & vſum, linguam ſermonis effectricem initio Deus homini contulit. His addit CHRYSOSTOMVS, Lingua membrum eſt per quod cum Deo colloquimur: & ſumma veneratione dignum (adorationem S. Euchariſtiæ attende) ſacrificium ſuſcipimus. Idem. rurſus, Linguam noſtram vocat manum, qua pedes Dei in oratione attingimus. Denique etiam linguam Chriſti, cùm ea loquimur, quæ præcepit Chriſtus. Rurſúmque, Vnius beati Pauli linguam, omni ſole ſplendidiùs per totum orbem ſplenduiſſe ſcribit. Demùm concludit, linguam magis quàm pupillam oculi cuſtodiendam eſſe. Nam dictu eſt impoſſibile, quãtum debeamus ſacris linguis Prophetarum, Apoſtolorum, diſcipulorum, Martyrum & Confeſſorum, propter fidei & pietatis doctrinam ab illis orbe toto annunciatam & promulgatam.

In Pſ. 104.

Hom. 79. in Matth.

Proœmio in Epiſt. ad Rom.

Ho. 52. in Matth.

Vide autem in primis, Deum id ſuo iure ab hominibus repoſcere, vt eum benedicamus & laudemus, tum virtutes ipſius celebrando, tum præceptis obaudiendo. Nam vt is nobis benedicere dicitur, cùm ſanctificat, liberat, ſeruat, & donis tam ſpiritalibus quàm corporeis pauperiem noſtram exornat: ita & nos eidem benedicimus, quando grata mente illius poteſtatem, miſericordiam, beneuolentiam, ſapientiam, bonitatẽ in nos effuſam, & priuatim & palàm commemoramus, ei gratias agimus, miranda eiuſdem opera prædicamus, atque in cunctis periculis & neceſſitatibus noſtris auxiliũ eius

ſuppliciter & confidenter imploramus. Ad hāc benedicendi ſpeciem pertinet iſtud veteris Tobiæ ad iuniorem filium ſuum præceptum, *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas cuſtodiat.* Tob. 4. Et Raphaëlis archangeli ad vtrumque: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.* Tob. 12. Hoc idem reſonant omnes ferè pſalmi Dauidis, vtpotè: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. In eccleſiis benedicam te, Domine. Benedicam Dominum in omni tempore. Benedicam te in vita mea, labia mea laudabunt te. Benedicite Gentes Deum noſtrum.* Pſal. 15. Pſal. 25. Pſal. 33. Pſal. 62. Pſal. 65. Et plurima eiuſdem beneficia commemorans, & animam ſuam & cunctas eius facultates ad benedicendum excitans, ait: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c.* Pſal. 102. Huic porrò benedictionis diuinæ ſpeciei aduerſantur, & Deo maledicere perhibentur, qui contumelioſè in eum, perfectiones, opera, atque iudicia eius iaciūt. Huiuſmodi fuit Ægyptiorum rex dicens, *Quis eſt Dominus vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam?* Exod. 5. Et ſuperbiſſimus thraſo Holofernes dicens ad Achior: *Oſtendam tibi quoniam Deus non eſt, niſi Nabuchodonoſor.* Iudith. 6. Et Babylonicus tyrannus ad tres pueros: *Et quis eſt Deus qui eripiet vos de manibus meis?* Dan. 3. Nicanor denique, interrogans. *Si eſt potens in cœlo, qui imperauit agi diē ſabbathorum?* 2. Mach. 15. Sic enim iſti, & alij gigantum fraterculi, & ipſam Diui-

nitatem, & ſummas perfectiones eius, quas vereri & benedicere debent, ſuperbiſſimè aſpernantur atque blaſphemant.

Enarrat. 2. in Pſal. 25. Ad alteram autem ſpeciem benedicendi Deum pertinent hæc Auguſtini verba. Hoc eſt benedicere Deum in eccleſiis, Fratres, ſic viuere vt per mores cuiuſque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Domino linguâ, & factis maledicit, non in eccleſiis benedicit Domino. Linguâ propè omnes benedicunt, ſed non omnes factis. Quidam voce benedicunt, quidam moribus, &c.

Gen. 2. Abuſus autem linguæ eſt, quòd eâdem *execramur homines, qui ad imaginem Dei conditi ſunt.* Reſpicit autem Apoſtolus ad hiſtoriam creationis, in qua ſcribitur, Deum condidiſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuã. Ergo violatur Conditor hominis, quando viua veráque imago eius in homine probris maledictíſque vexatur. Nam in Deum pius eſſe nõ poteſt, qui crudelis & maledictus eſt aduerſus proximum. Enimuerò ſi benedicendus eſt Deus in *Pſal. 144.* operibus ſuis, id præſertim in hominibus valere debet, in quibus relucet imago eius & gloria. Et tamen hoc organo laudamus Deum, patrem illum appellantes, & cum eodem vituperamus & infamamus proximũ, ad Dei ſimilitudinem conditum. Linguâ canimus Deum omnium bonorum authorem, & eâdem, ſummis malis affligimus hominem, quaſi in hunc iactæ contumeliæ non pertinerent ad Deum eius conditorem. Hanc peruerſorum hominum hypocriſim

criſim auerſatur Deus, cùm Propheta de his conqueritur, *Ore ſuo benedicebant, & corde maledicebant.* Et impio dicit, *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis nomen meum per os tuum? Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, &c.* *Pſal. 61.* *Pſal. 49.*

Eâdem rurſum fœdiſſimè ac pernicioſiſſimè abutuntur, qui veritatem agnitam impugnant, ſanctis iam cum Chriſto in cœlis regnantibus bellum denunciant, ſanctiſſimis Eccleſiæ ſacramentis atque ritibus eorum obloquũtur, fidem catholicam impugnant, ſuis hæreſibus animas Chriſtianas inficiunt & perdunt, &c. Nam hi linguis quidem ſuis fingunt ſe benedicere Deum: iiſdem verò rebus ſanctiſſimis obtrectant.

Abutuntur iterum *& hominibus maledicunt*, qui fictis criminationibus eos onerant, falſiſque teſtimoniis & delationibus apud tyrannos opprimunt. Impingunt enim in illud præceptum diuinum: *Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Imitantur verò ſceleratos Iſraëlitas, qui Achabo & Iezabeli miniſtri fuerunt, vt ſanctum virum Naboth neci traderent. Sequuntur & ſceleratorum duorum Iudicum impietatem, qua Suſannæ caſtiſſimæ fæminæ maximum crearunt periculum. Denique verè ſunt germina, imò & genimina viperarum illarum, Iudæorum, qui Chriſtum de multis tam falsè quàm impiè coram Caipha, Pilato, & Herode accuſauerunt. *Exod. 20.* *3. Reg.* *Dan. 13.* *Matth. 3.* *Luc 23.* *Matth. 26. & 27.*

Abutuntur quoque linguis ſuis obſcœnis ac

cauendum ab adulatoribus, quoniam frequenter qui in faciem laudant,clam detrahunt. Addítque iſta ex Chryſoſtomo: Qui improbitatem laudat,eam pœnitentiæ remedio fraudat. Item, hæc b.Ignatij. Vt ſanus ſim in his quæ ad Deũ pertinent,vehementiùs tamen verendum mihi eſt,& cauendum ab his,qui me temerè inflant, laudantes enim me flagellant. Denique & iſtud Socratis: Fidos eos exiſtimato, non qui dicta & facta tua omnia laudant: ſed qui quæ peccaueris reprehendunt.

11. *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?*

Septimum argumentum à ſimilitudine fontis deſumptum ſic poteſt formari. Pugnat cum experientia,ratione, & natura, vnicum fontem eadem ſcaturigine, ac eodem canali & foramine, aquã proferre dulcẽ & amaram, potabilem & non potabilem. Igitur linguę,quæ tantummodo ad Deum celebrandum, & proximum ædificandum condita eſt, nunquam permitti debet,vt Deũ benedicendo, proximo ſuo maledicat. Prodigioſus eſt igitur ille, qui eadẽ linguâ benedicit & maledicit, mortem & vitam prædicat,virtutem & vitium perſequitur, vituperium & laudẽ depromit. Monſtroſus eſt qui lingua orat, *Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Eâdem verò crudeliter ſæuit in fratres ſuos qui ſunt in terris, pro quibus Filius Dei mortuus eſt. Portentũ eſt,qui linguâ prædicat Dei bonitatem, clementiã, & miſericordiã in homines: eandẽ verò exacuit in con- Matth.6.

ſortes & proximos ſuos. Indignus eſt hominis titulo, qui pacem habet in ore, opere autẽ ſerit lites & bella. Qui ſemen cæleſtis doctrinæ pollicetur, & merũ ſeminat aconitum. Sunt equidem fontes ſcaturientes aquis ſaluberrimis: & ſunt fontes quos guſtaſſe ſaluberrimi eſt. Sunt qui ſuffundant aquam dulcem & potabilem: & ſunt qui amaram & ſalſam. Neque id mirum, cùm per diuerſas terræ venas fluens aqua, ſulphuris, ferri, aluminis, calcis ſaporẽ refert. Igitur ex eodem hominis corde, ex eodem ore, & per eãdẽ linguam effundere inter homines benedictiones & maledictiones omnino indecẽs & abſurdum eſt. Qui ſunt iſtiuſmodi, repugnant naturæ, eiúſque ordinem præſtitutum à Deo ſubuertunt: quandoquidem & fontes, & arbores, ab huiuſmodi hypocriſi cernimus abhorrere, &c.

Hîc porrò attende, multa planéque diuina miracula etiam in rebus inanimis, id eſt, ſuper fluminum & fontium aquis, in hominum fauorem, & Diuinæ poteſtatis, ſapientiæ, & prouidentiæ manifeſtationem fieri: quæ à Plinio tametſi viro planè impio & atheo, magna ex parte deſcribuntur. Nam potæ variis morborum generibus medētur, & afflictis hominum rebus ſubueniunt. Sunt quæ neruis, pedibus, tibiis & coxendicibus fractis vel luxatis non mediocriter proſunt. Aliæ leniunt & inaniunt aluos, aliæ ſanant vulnera, aliæ capiti, aliæ auribus, aliæ oculis medentur. Sunt quæ ſterilitatem vel fœcunditatem fœminarum procurant,

Plin. l. 2. c. 106 & l. 31. c. 2.

& homines ab inſania liberant. Sunt quæ calculoſos,podagricos, febricitantes ſanant: aliæ lymphaticos & hebetes reddunt. In Bœotia inſula duo ſunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert. Sunt quæ voces canoras, ſenſus ſubtiliores & pilos albos, mox nigros reddunt. Sunt quæ inebriant, & quæ vini odium tædiúmque generant. Sunt quæ in lucernis & lampadibus velut oleum ardeant. Sunt in quibus ligna, folia, & quæcunque alia lapideſcunt. Eſt amnis in Bithynia, cuius gurgite notantur periuri pati velut flammam vrentem,&c.

Horum etiam meminit Tertullianus libro de anima c.50. & libro aduerſus Valentinianos, c.15. Sed idem toto libro de Baptiſmo, ſuperioribus adiicit mirabilia facta in aquis diluuij maris rubri,petræ deſerti,Iordanis atque Bethſaidæ,quæ in ſacris libris referuntur:atque hæc omnia ad, illuſtrandam Dei virtutem in ſacramento Baptiſmatis pertinere copioſè & eleganter docet.

ANTON.MELISSA ex hoc D. Iacobi loco, & conſimilibus, docet laudem ex rebus peſſimis non eſſe captandam, nec adulatoribus cedendum: veram autem ac ſolidam gloriam naſci ex virtutum officiis. Subdit hæc Nazianzeni verba: Præcipuum beneficium eſt, in rebus honeſtis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ ſupremum & finis eſt omnium, quæ deſi- *Serm.51.*

derantur. Deinde & hæc Chryſoſtomi, Qui laudant improbos, erunt participes eorum ſupplicij: & qui bonos laudant, conſortes erunt coronarum, quæ illis deſtinatæ ſunt. Exemplum in Scriptura habemus. Dixit enim Dominus ad Abraham. *Benedicentes tibi benedicam, & execrantes te, execrabor.*

12. *Nunquid poteſt, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam.*

Octauum pro moderanda lingua argumentum iſtud ſumitur à comparatione linguæ cum arboribus. Senſus autem eſt: Singulæ arbores ſeſe adeò in propria ſpecie continent, vt nunquam alterius fructum ſibi edendum aſſumant. Igitur & lingua, quæ ad officia virtutum condita fuit, vitiorum fructus nunquam proferre debet. Nunquam enim ficus, quæ naturâ dulcis eſt, amaras oliuarum baccas producit: Nunquam vitis vuas proferens ficus edit. Nunquam quercus pro glandibus, pira: velut pirus, pro fructibus ſuis glandes: ſed cuique arbori fructus reſpondet, & radicis ſuccum ſapore refert. An non ergo monſtrum immaniſſimum iure cenſetur homo, qui eodem pectore, eiſdémque buccis & labiis, pietatem & impietatem, veritatem & mendacium, ſalutem & exitium efflat? An non qui eiuſmodi eſt, cum natura, eiúſque authore & ordinatore Deo confligit? Summa ergo cura atque diligentia cohercenda eſt lingua, ne tam nefarios ſecúmque pugnantes fœtus edat. Enimuerò vt improba

linguâ nihil eſt pernicioſius,ita bonâ & eruditâ nihil ſalubrius.

In his autem primo loco perpende,quàm humile dicendi genus,& ad captum vulgi accommodatum vſurpauerunt beati Apoſtoli,qui lingua angelorum alioquin vti potuiſſent: aſſumptis etiam ad illud ruſticis & domeſticis exemplis,adeò omnis oſtentationis expertes, & inanis priuatæque gloriæ fuerunt contemptores. Sic Diuinæ gloriæ ſtudioſos, & vtilitatis proximorum amantes nos omnes eſſe decet:& ad hunc ſcopum omnia ſtudia noſtra, omnes adhortationes & cõciones dirigere. Iiſdem namque ſimilitudinibus Chriſtus ſummus Dominus & magiſter noſter in concionibus vtebatur, vt ex pleriſque euangeliorum locis apertum & certum eſt, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere,&c. Facite arborem bonam,&c. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas?&c. Ex fructibus arbor dignoſcitur,&c.* *Matth. 7.* *Luc 6.* *Matth. 12.*

Præterea obſeruandum, Apoſtolum tota ſuperiori diſputatione tantummodo detractores, blaſphemos, & maledicos damnare: non autem verbi diuini præcones, qui zelo iuſtitiæ & correctionis ſeueras increpationes & redargutiones, in ſuis ad populum concionibus aliquoties vſurpant, immò & Diuinas iras, vltiones gehennas, inferos, & diabolos peccantibus denunciant ac obiiciunt, vt horum ſaltem terrore peccare deſinant, & pœnitentiæ fructus dignos faciant. Debet autem abeſſe

animis omnis liuor, omnis appetentia vindictæ,& criminandi libido: adeſſe verò Diuinus timor,proximorum amor, & omnis Euangelica modeſtia. Eo enim animo Præcurſor increpans Phariſæos dicebat:*Progenies viperarum, quis*
Matth.3. *docebit vos, &c.* Et princeps Apoſtolorum Si-
Act 8. moni mago dixit,*Pecunia tua tecum ſit in perditio-*
Act.13. *nem.*Et Paulus Elimæ: *O plene omni dolo & fallacia,fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, &c.* Quinimò Chriſtus perfectiſſimum omnis moderationis exemplar, horrenda maledictionum
Matth. 23. tonitrua poſtremis concionibus in Phariſæorum pertinacem infidelitatem contorſit, vt horum ſaltem terrore, vel illos ad pœnitentiam compelleret, vel inexcuſabiles redderet, vel quaſi iudex vltimam ſententiam reis, conuictis,perditiſque hominibus proferret,Quàm duriter à patribus excipiantur hæretici, videat qui volet,in Annotat.noſtris ſuper.Irenæum,l. 1.c.5.8.12.& 29.

Obſeruat poſtremò D. Thomas, octo ſpecies improbarum linguarum hîc ab Apoſtolo damnari. Prima, detractorum: 2. adulato-
Pſal.11. rum:3.ſuperborum, de quibus dicitur: *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* 4. viperinas linguas,de quibus ſcri-
Pſal.13. & 139. bitur:*Venenum aſpidum ſub labiis eorum.*5.blaſphemorum & maledicorũ:6. proditorum & hypo-
Pſal.119. critarũ:de quibus Pſaltes cõqueritur,*Quid detur, aut apponetur ad linguam doloſam?* 7.luxurioſorum ac ſpurcorum: 8. aduocatorum corruptorum.

Ac de his omnibus cum Dauide exclamandum eſt iugiter ad Deum: *Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa, &c.* Atque hæc de ſecunda huius capitis parte.

13. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona cõuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.*

Hæc eſt tertia pars huius capitis, in qua poſt vehementem interrogationem, quæ & negandi & increpandi vim habet, deſcribit quibus virtutibus præditus eſſe, & quibus è contrario vitiis carere debet verus paſtor & Doctor eccleſiaſticus. Eadem quoque operâ vniuerſos Chriſtianos abſterret ab omni crudelitate, inſolẽtia, inuidia, & contentione: ſuadet verò omnem manſuetudinem, & moderationem quandiu inter homines vitam egerimus. Rogat igitur, Eſtne aliquis inter vos, qui adeò ſibi in rebus Diuinis & humanis ſapere videtur, vt ſtatim audeat aſpirare ad Doctoris cathedram, ſummíque paſtoris gradum & officium? Prodeat in publicum quiſquis ille ſit. Sed viderit ille, ſi præcedentis vitæ mores ita compoſuerit, vt manſueti ac hominis Chriſtiani nomine ſatis dignè clareat. Non iactet arrogãter & faſtuoſis verbis ſuam ſapientiam, non inflatis buccis ſuas laudes crepet, non ſe cunctis mortalibus præferat. Huiuſmodi enim ſuperbos & arrogantes nec amat, nec eligit Spiritus ſanctus Eccleſiæ ſempiternus rector: ſed qui piis, integris, & manſuetis moribus ac bonis operibus, potiùs quàm verbis

oſtenderit qualis ſit. Hæreſes profeſſores amant contentioſos, feroces, arrogantes: Catholica verò & apoſtolica doctrina omnem manſuetudinem, modeſtiam, pudorem, patientiam, & animos à contentionibus alienos omnino requirit.

In primis ergo certum & apertum eſt, homines arrogantes & contentioſos, quales ſunt omnes ſchiſmatici ac hæretici, nec verè ſapientes, nec vera ſcientia prędítos eſſe. Glorioſè quidem ſapientiā iactant: ſed non quod quiſque loquatur, verùm qualē ſeſe gerat, ſpectādum eſt. Non ſunt autem manſueti ac mites: ſed elati, ſuperbi, ſanctorum patrum & Doctorum contemptores, ſeditionibus & bellis omnia miſcent, piorum ſitiunt ſanguinem, &c. Apoſtolus deſcri-
1. *Tim.* 6. bens hæreticum, *Superbus eſt,* inquit, *nihil ſciens; ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum.* Et ne de vno tantùm & altero id affirmaſſe vi-
2. *Tim.* 3. deatur, de omnibus ait, *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Sed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit in*
Li. 3. *c.* 40. *omnibus.* Irenæus martyr vaniſſimas Gnoſticorū glorias refellēs ſcribit: Vani ſunt omnes, & in-
L. præſcrip. c. 41. docti, & inſuper audaces, qui fruſtrantur ſpeciem Euāgelij. De eiſdem quoque Tertullianus: Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Ante ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti.
Contra Valent. Epiphanius denique: Seſe cognominant Gnoſticos, id eſt peritos, ſcientes, & rerum diuinarum humanarúmque cognitores. Sed iſta no-

mine tenus: nam reuera nihil eſt imperitius, &c.

Patet deinde, Apoſtolum quatuor præſertim conditiones atque perfectiones in vero ac legitimo Eccleſiæ paſtore & doctore requirere. Prima eſt, vt ſit Σοφὸς, ſapiens, id eſt, rerum diuinarum & humanarum cognitione præditus. Ita enim Sapientem definit Tullius: probátque *Tuſcul.4.* Auguſtinus lib.1. contra Academicos, c.8. Aſſentit Lactantius his verbis: Omnis ſapientia hominis in hoc vno eſt, vt Deum cognoſcat & co- *Li.3.c.30.* lat. Et paulò poſt. Qui vult ſapiẽs ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat iuſtitiam, ſacramentũ natiuitatis ſuæ noſcat, humana contemnat, Diuina ſuſpiciat, vt ſummum bonum ad quod natus eſt poſſit adipiſci, &c. Enimuero huiuſmodi ſapientia omnibus quidem Chriſtianis, ſed paſtoribus ac doctoribus præſertim eſt neceſſaria, vt ſuæ profeſſioni reſpondeant. Propterea enim à Chriſto appellantur *ſal terræ, lux mundi, paſtores,* *Matth.5.* *rectores, agricolæ, viticolæ, diſpenſatores, legati, cooperatores, magiſtri, &c.* *Io.10.et 25.* *Luc.9.* Quid autem reipublicæ ac ci- *Eph.4.* uitati magis exitioſum, quàm ſpeculator cæcus, *1.Cor.3. et* curſor, claudus, aut præco mutus? Viderint am- *4.* bitioſuli nundinatores ſacerdotiorum, qui vix *2.Tim.5.* legere didicerunt, & tamen ad Epiſcopatus officia nihil dubitant aſpirare, & parœcorum inuadere locos & munera.

Secunda conditio eſt, vt ſit Επιστήμων, ſciens ac peritus: quod Theologi intelligunt, verſatum eſſe tam in praxi virtutum moralium & Theologicarum, quàm in illarum ſpeculatione. Hoc

Pſ.118. quendam à Domino Rex ſimul & propheta poſtulauit dicens, *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Hinc author libri de duodecim abuſionum gradibus apud Cyprianum, expli- *Gradu.11.* cans hunc verſum *Apprehendite diſciplinam, &c.* *Pſ.2.* ait. Diſciplina eſt morum ordinata correctio, & maiorum pręcedentium regularum obſeruatio, de qua Apoſtolus monet: *In diſciplina perſeuerate, fratres.* *Heb.12.*

Tertia veri paſtoris conditio eſt, vt ſit animo lenis, facilis, & manſuetus. Eſt autem manſuetudo (vt ait Ariſtoteles) depreſſa ſedatio, & ſtu- *Ethic.4.* dioſa mediocritas, circa iræ paſſionem. Caſſio- *& Rheto.2.* dorus autem in hunc Pſalmi verſum, *Manſueti hæreditabunt terram*, ſcribit, Manſuetos appella- *Pſ.36.* mus patientes & mites, qui alienas improbitates tolerant, cuiuſmodi fuit Chriſtus, qui *cùm maledicer etur non maledicebat: & quaſi agnus manſuetus portabatur ad victimam.* *Ierem.11.* Dauid eximia manſuetudine noluit Semei conuitia iactantem occidi: & Sauli hoſti infeſtiſſimo ſæpius indulſit. *1.Reg.* Vnde Salomō precatur, *Memento Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* *Pſ.131.* Beatus Areopagita ferociam cuiuſdam Demophili caſtigans, adfir- *Epiſt. ad* mat, Ioſephum, Moſem, & Dauidem, maximam *Demoph.* apud Deum gratiam inueniſſe, quoniam manſueti fuerunt. Hinc Chriſtus ait: *Diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde.* *Matth.11.* Et Paulus docet, *Seruum Dei debere eſſe manſuetum ad omnes.* *2.Tim.2.* Epiſcopum quoque vult eſſe modeſtum, non liti- *1.Tim.3.* gioſum, &c.

Quarta conditio eſt, vt per exercitium bo-

norum operum priorem conuerſationem ſuam comprobauerit. Ideò enim & Paulus ſcribit. *Oportet epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ornatum, prudentem, hoſpitalem.* Et D. Bernardus cenſet longè efficaciorem eſſe vocē operis, quàm ſermonis. Dabis, inquit, voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, priùs tibi illud videris perſuaſiſſe. Et alibi, Illius libenter doctoris audio vocem, quæ nō ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat.

1.Tim.3. Ser.59.in Cantic. Ser.58. in Cantic.

14. *Quod ſi zelum habetis amarum, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem.*

Nunc docet quibus vitiis carere debēt Chriſtiani omnes, præcipuè autem Eccleſiarum paſtores & Doctores. Si habetis, inquit, animos amarulenta inter vos ęmulatione vitiatos, ſi cor habetis contentionibus, & peruicaci ſtudio, inuidiáque corruptum, cedite potius docēdi munus, quàm vt gloriæ veſtræ contentionique ſeruientes, mentiamini aduerſus euangelicam veritatem. Hanc enim nemo ſyncerè tradere poteſt, niſi cuius animus liber fuerit ab omnibus humanis affectibus. Proinde, quiſquis ad hanc profeſſionem accedit, ſi ſenſerit animum ſuum infectum amore, aut odio humano, ſi liuore, ſi ſtudio gloriæ, ſi cupiditate pecuniæ, ſi voluptatum dulcedine, priùs diligēter expurget intima pectoris, vt ad puriſſimam doctrinam purus accedat. Ne illotis manibus & pedibus ſanctiſſimam iſtam functionem capeſſat.

Primùm ergo à zelo amaro, id eſt, omni amarulenta inuidia fœlicitatis proximorum, verus

Paſtor & Doctor debet purus ac immunis eſſe. Amarum autem zelum vocat inuidentiam, quia nutrix eſt indignationis, quæ multam habet animi perturbationem, triſtitiam, amaritudinem & anxietatem. Notat autem D. Thomas quadruplicem eſſe zelum. Primum, cæcum quendam affectum id defendendi, quod non planè
Ro.7.et 10. intelligis. De hoc dicit Apoſtolus: *Zelum quidem legis habent* (Iudæi Euangelium perſequentes:) *ſed non ſecundùm ſcientiam.* Seipſum quoque profitetur fuiſſe æmulatorem paternarum traditionum: ſed ignorantiâ id feciſſe. Secundum zelum planè malignum, quando quis alienum ſibi præferri adeò graui fert animo, vt inde multa offendicula excitet in perniciem multorum. Hac inuidia laborauerunt Cain, fratres Ioſeph, Eſau, Iſmael, Dathan, Iudæi, Iudas, Valentinus, Simō magus, Marcion, Florinus, Blaſtus, Arius, Nouatus, hęreſiarchæ omnes. Tertium zelū amarū, de quo præſenti loco diſſerit D. Iacobus. Quartum eſſe bonum atque laudabilē, de quo Chri-
Io.2. ſtus poſt Pſalmiſtam dixit, *Zelus domus tuæ comedit me.* Helias quoque ait, *Zelo zelatus ſum pro domo*
3.Reg.19. *Domini exercituum.* Pari zelo ſuccenſi fuēre Phinées, Mathatias, Iudas, Ionathas, Simon, bellantes bella Domini.

Secundum vitium quo ſynceri paſtores vacare debent, eſt contentio, vt nullas foueant in cordibus ſimultates: ſed neque verbis, factis, vel conſiliis exerceant & doceant, præſertim victoriæ aut gloriolæ humanæ appetentia. Huiuſmodi quondam fuerunt multi philoſophi ac ſo-

phiſtæ, qui varias inter auditores ſuos factiones & ſectas pepererunt, vt alij dicerentur Platonici Pythagorici, Stoici, Peripatetici, Epicuræi, &c. Simili morbo laborauerunt omnes ſectæ hæreticorum, quando alij Simoniani, alij Nicolaitæ, alij Valentiniani, alij Ebionitæ, alij Arriani, alij Donatiſtæ, &c. à ſectarum auctoribus ſunt denominati. Chriſtiani eſſe deſierunt, ait LACTANTIVS, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt. *L. 4. c. 30* Athanaſius quoq; ſcribit de Arianis, Nomen ab Ario obtinuerunt. *Orat. 2. cōtra Arian.* Cuius ſi pudore non tenentur, ne quærant eludere: ſin pudori eſt, aut præ confuſione abdant ſeſe, aut reſiliāt à ſuis impietatibus. Nūquam autem populus Catholicus ab Epiſcopis ſuis, ſed neque ab Apoſtolis Domini: ſed à Domino in quem creditum fuit, nomen accepit, cùm à Chriſto Chriſtiani & ſimus & dicamur. Et AVGVSTINVS, Sumus enim Chriſtiani, *In Pſ. 44.* non Petriani. Apoſtoli ſiquidem non ſibimetipſis, ſed Chriſto nos genuerunt. Nec ſanguine Petri aut Pauli redempti ſumus; aut in nominibus eorum baptizati: ſed ſolius Chriſti, ac ſanctiſſimæ Trinitatis inuocatione renati ſumus. Iure ergo à Paulo reprehenduntur, qui dicebāt; *Ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, quaſi diuiſus eſſet Chriſtus.* *1. Cor. 1.*

Tertium eſt, quod omni diligentia cauere debent, ne mentiantur contra veritatem, vel agnitam impugnando; vel externis ceremoniis pietatem ſimulando, quam reipſa in animis non habeāt. Iſtiuſmodi quippe homines velut fictos,

& hypocritas Chriſtus veritatis ſummus aſſertor reprobabit, dicens: *Quare tu aſſumis nomen meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, &c. Non omnis qui dicit mihi, Domine, &c. Non noui vos: Diſcedite à me operarij iniquitatis.* De iiſdem Paulus quoque ſcribit. *Verbis quidem fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et graui obiurgatione vnumquemque illorum conueniens ait, *Qui alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas non mœchandum, mœcharis? Non furandum furaris? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Per vos nomen Domini blaſphematur inter Gentes.* Atque hæc de tertia parte huius capitis.

Pſ 49.
Matth. 7.
Rom. 2.
Iſa. 52.
Ezech. 36.

15. *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens à Patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica.*

Hæc eſt quarta & poſtrema pars huius capitis, in qua Apoſtolus ex diuerſis affectis ſapientiæ cæleſtis, atque terrenæ, colligit illam amplexandam eſſe, hanc verò reſpuendam & fugiendam. Sapientiam porrò vocat, *terrenam, falſam, diabolicam*, qua quis, prætermiſſis iis, quæ ad pietatem & ſalutem æternam faciunt, tantummodò ſtudet elationi, oſtentationi, vanæ gloriæ, lucris, ventri, voluptatibus, contentionibus, & ſimilibus, quæ huius mundi ſunt. Ait autem, Quiſquis veſtrûm propria opinione ſcientiæ inflatus, primos Eccleſiarum thronos, ác docendi publicum munus vſurpat, interea animo eſt elato, cor habet inuidia corruptum, propriam gloriam quærit, ardet pecuniæ cupiditate, voluptatibus carnis indulget, ambitione Satanam refert, diſſidiis gaudet, & ſeipſum potius quàm Chriſtum

Chriſtum prædicas huius ſapientia non eſt de cælis, ſed de inferis: non a Deo, ſed à diabolo: nõ à Patre luminum, ſed à principe tenebrarum: nõ à Spiritu ſancto, qui locutus eſt per Prophetas, & illuminauit Apoſtolos: ſed à Satana, qui & angelos de cælis, & primos parẽtes de paradiſo ſuis tentationibus & fraudibus expulit. Non eſt cæleſtis; ſed potius *terrena*; quia terram ſapit: non ſpiritualis, ſed *animalis*: quia potius ſpectat quæ ſunt corporis, & huius vitæ, quàm quæ ad animã & vitam æternam pertinent. Nõ eſt Diuina, ſed *diabolica*, quia inſtinctu dæmonũ habetur, illa ſuggerentium, quæ nos à cæleſtis æternæque vitæ ſtudio reuocant atque diſtrahunt. Iſtiuſmodi ſapientia turgent in ſynagogis Iudæorũ Phariſæi & Sadducæi, in ſcholis philoſophorum Epicuræi, infames gentilium pontifices idolorũ, & ſub nomine Chriſtiano multi apoſtatæ, ſeductores, hæreſiarchæ, & impiarum ſententiarum miniſtri, &c.

Quatuor autem falſæ ſapientiæ notas hîc tradit Apoſtolus. Prima eſt, quòd Deum authorem & inſpiratorem non habet: quod diligenter obſeruandum eſt aduerſus prodigioſas planéque diabolicas Buceri, Caluini, & Theodori Bezæ blaſphemias, quibus *Volunt Deum authorem eſſe omnium errorum, & falſarum opinionum illarum, quibus pſeudopropheta prius faſcinati, alios poſtea excæcant & dementant.* Verùm, impoſſibile eſt Deum fontem luminis, veritatis, & iuſtitiæ, cauſam eſſe tenebrarum, maleficarum, & impiarum opinionum, qui-

Com. in 1. ad Rom. 1. Inſtit. c. 18. ſect. 1. 2. 4. Li. adu. Caſtalionem.

bus aut veritas fidei oppugnatur, aut integri mores corrumpuntur. Sed neque animarum ſeductores ab eo mittuntur, vt eas ſeducant &perdant, quas pretio magno redemit: ſed propria temeritate & impudentia veniunt, ídque ſuaſore diabolo, permittente autem in vltionem peccatorum huius mundi Deo. Sic enim & Satanas à ſeipſo acceſſit ad Euam, Iobum affligere popoſcit, Chriſtum tentauit in deſerto, Petrumque cribrare percupiuit. Falſi prophetæ ſponte currebant, & non mittebat eos
Ierem. 14. 23.26.29. Dominus, Hæretici à ſe veniunt in veſtimentis ouium: fures non accerſuntur, ſed propria
Matth. 7. audacia aſcẽdunt in ouile, vt furentur, mactent
Io.10. & perdant. Deus autem paterfamilias eſt, qui
Matth.13. non niſi bonum ſemen ſeminat in agro ſuo: non zizania. Sed aduerſus has hæreſes copioſè egimus in prima Dialogorum noſtrorum hebdomada, Dialog. 2.

Secunda falſæ ſapientiæ nota eſt, quòd ſit ἐπίγειος, *terrena*, non cæleſtis: videlicet, quòd opes, pecunias, prædia, poſſeſſiones, & temporaria terræ lucra ſectetur auariſſimè, his noctes diéſque incumbit, eadem præ cunctis meditatur & ambit. Talis erat eorum ſapientia
Micha. 3. de quibus conqueritur Dominus, *Principes in muneribus iudicabant, ſacerdotes in mercede doce-*
Ier. 6 & 8. *bant, & prophetæ in pecunia diuinabant.* Et per
Luc. 12. & 16. Ieremiam: *A minimo vſque ad maximum omnes auaritiæ ſtudent. Et à propheta vſque ad ſacerdo-*
Matt. 23. *tem omnes faciunt dolum.* Phariſæorum auaritiam, Chriſtus & grauiter & frequenter coar-

guit: & Paulus decernit *Epiſcopum non debere eſſe turpis lucri cupidum.* Pſeudoprophetas & hæreſiarchas ſemper fuiſſe rapaces, & lucri ſectatores demonſtrant Balaami, Iudæ proditoris, & Simonis magi exempla. Ignatius appellat ætatis ſuæ hæreticos, alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quaſi vortices. Irenæus martyr ſcribit de Valentinianis; Solos illos docent, qui grandes mercedes præſtare poſſunt. Et poſtea, Maximè circa mulieres vacant, præſertim eas quæ ſunt purpuratæ & ditiſſimæ. Auguſtinus li.1. Contra litteras Petiliani, c.24. & l.3. contra Creſcouium, cap.42. grauiter conqueritur de inuaſionibus, rapinis, furtis, ſacrilegiis, & deprædationibus Donatiſtarum, eis omnino ſimilibus, quibus Lutherani Germaniam, & Hugnoſtici Scotiam, Angliam, Franciam, Flandriam noſtro ſæculo funeſtiſſimè deformauerunt. Tantundem dé Arrianis per Africam refert Victor Vticæ Epiſcopus, tribus libris de perſecutione Vvandalica.

Ep.3.

L.1.c.1.et9.

Tertia falſæ ſapientiæ nota eſt, quòd ſit ψυχικὴ *animalis*: id eſt, illius profeſſores carnis voluptatibus, quibus ſenſus corporis more animalium delectantur, indulgent. Animalis enim hoc loco ſpiritui opponitur, ſicuti cùm Paulus dicit, *Animalem hominem non capere quæ Dei ſunt. Corpus ſeminatur animale, reſurget ſpirituale.* Huiuſmodi autem fœdis ac belluinis voluptatibus addictos fuiſſe omnium ætatum ac hæreſeων authores & patronos, ſatis indicant

1.Cor.2. & 15.

Simon magus, Helenam ſcortum ſecum aſſumens: & Nicolaus Antiochenus promiſcuos concubitus more ferarum ſuis verbo & exemplo permittens. De Gnoſticis ſcribit martyr Irenæus. Carnis voluptatibus inſatiabiliter inſeruiunt & carnalia carnalibus, ſpiritalia ſpiritalibus ſeſe reddere dicunt. Quidam eas mulieres quæ diſcunt ab eis doctrinam, clam corrumpunt. Alij verò & manifeſtè, quaſcunque adamauerint, has à viris ſuis abſtrahentes, ſuas nuptas faciunt. Alij valdè modeſtè initio, quaſi cum ſororibus fingentes habitare, procedente tempore manifeſtati ſunt, grauida ſorore à fratre facta, &c. Eadem perſequitur poſtea cap. 8. 9. 20. & 23. Clemens Alex. teſtatur Carpocratianos ad cœnas conuenientes viros ſimul & fœminas, lumine amoto, ſolitos commîſceri: quomodo, & cum quibus vellent. Tertullianus ſcribit, Marcionem propter ſtuprum virgini illatũ, Eccleſia motum fuiſſe. Appellẽ vocat deſertorem continentiæ, & carne lapſum. Hermogeni exprobrat, quòd aſſiduè nuberet, & totus adulter eſſet prædicatione & carne. Apollonius apud Euſebium, adfirmat Montanum eas quas circũducebat mulierculas velut prophetiſſas, à viris propriis ad explendam libidinem ſuam abſtraxiſſe. Cyprianus ſæculi ſui hæreſiarchas nominat, Virginum ſtupratores & matrimoniorum corruptores ac depopulatores. Et vt huic narrationi finem imponam, tam laſciuos ac impudicos D. Hieronymus cenſuit eſſe omnes hæreticos, vt ſcripſerit, Difficile eſſe inuenire hæ-

Li. 1. c. 1.

L. 3. ſtrom.

L. præſc.

Li. 5. hiſt. c. 18.

Epiſt. 18.

Com. in c. 9. Oſe.

reticum, qui diligat caſtitatem. Notiſſimum eſt orbi quàm ſalaces & impuri fuerint Hugnoſticorum anteſignagni Lutherus, Bucerus, Caluinus, & Beza qui etiam publicatis poëmatibus, adulteria, ſcortationes, & pæderaſtias ſuas celebrare non erubuit.

Quarta falſæ ſcientiæ nota eſt, quòd ſit δαιμονιώδης; *Dæmoniaca*, nō tantùm quòd cum Dæmonum ingenio, quod eſt mentiri ac ſeducere, conueniat: ſed etiam quòd profeſſores ſuos inſtar Satanæ, reddat ambitioſos, ſuperbos, contumaces, impacatos, perduelles, homicidas, &c. Plato in Cratylo, & poſt hunc Lactantius, volunt δαίμονες, quaſi δαήμονες, id eſt φρονίμυς, ſcientes, & ſapientes, aſtutos appellatos eſſe. Sed Auguſtinus ſcientiam illorum talem eſſe docet, qualis ea eſt de qua dicit Paulus: *Scientia inflat.* Dæmon igitur mendax, ſuperbus, fallax, ſeductor, & homicida ab initio, hanc artem & ſapientiam ſuam inſtillauit primis parentibus, Caino, Gigantibus, idololatris, magis, Baaliſtis, pſeudoprophetis & cunctis deinceps hæreſiarchis. Inde vocatur à Chriſto, *inimicus homo, qui ſuperſeminauit Zizania. Miſit in cor Iudæ Simonis Iſcariotis, ut proderet Chriſtum.* Tentauit cor Ananiæ, vt mentiretur Spiritui ſancto. Elimas à Paulo vocatur *filius diaboli*: & hæreſeôn authores, *Miniſtri Satanæ transfigurati in angelos lucis.* Nouiſſimorum temporum ſeductores prædixit, ſeminaturos eſſe *Doctrinam Dæmoniorum.* Antichriſtum omnium hæreticorum principē, dixit venturum eſſe *ſecundùm operationem Satanæ*:

Io. 8. Gen. 3. L. 2. c. 15. L. 9. de ciu. c. 2. Matt. 13. Io. 13. Act. 5. Act. 13. 2. Cor. 11. 1. Tim. 4. 2. Theſſ. 2.

Apoc. 2. Ioannes hæreticorum cõuenticula profert eſſe, *ſedes & ſynagogas Satanæ.* Marcionem beatus Polycarpus appellauit Primogenitum Satanæ: Irenæus verò eundẽ vocauit, Os diaboli. *L. 1. c. 9.*

De huius æui hæreſiarchis Hugnoſticis quid dicam? Planè quod Irenæus martyr quondam de Gnoſticis adfirmauit: nimirum, illos ſpiritus paredros, i. aſſeſſores habere, per quos prophetare & prædicare videntur. Iſtud inficiari audebitis, viri Lutherani & Caluiniani? At ego ipſiuſmet Lutheri, prophetæ veſtri apertis teſtimoniis confirmo. *Crede mihi,* inquit ille, *valdè bene noui diabolum, Mecum in dormitorio nonnunquam deambulat. Quando cum hominibus ſum, non nocet mihi: cùm verò me ſolum deprehendit, tunc docet me mores.* Et rurſum addit hæc magis horrenda. *Diabolus frequentiùs & propiùs mihi condormit, quàm mea Catharina.* Et non parum in dæmonum ſchola ſe profeciſſe indicans ſubiicit. *Habeo vnum & alterum mirabilem diabolum, à quibus diligenter, & admodum intentè obſeruor. Sunt enim non vulgares: ſed magni dæmones, imò inter diabolos magni doctores in Theologia.* Et litteris ad electorem Saxoniæ ſcribit, *Diabolus interdum per meum cerebrum ita commeat, vt nec ſcribere poſſim, nec legere.* Placet etiã ex ipſomet audire quæ noctu à Satana præceptore didicit? *Contigit me ſemel, ait, ſub mediam noctem expergefieri: Ibi Satan mecum cœpit huiuſmodi diſputationem. Audi, Luthere doctor perdocte, noſti etiam te quindecim annis Miſſas priuatas penè quotidie celebraſſe, &c.* Tum ordine pro-

Tom. 2. Germ. Ienæ fol. 77. Colloq. german. fol. 275. & 281.

L. de Miſſa priuata. to. 7. fol. 228.

lixéque recitat quinque Satanæ argumenta,quę ex eius ore audiuit, his ſuccubuit, & vera eſſe credidit,quæ pater ille mendacij diſſeruit. Qua igitur fronte, quo ore negabitis huius hæreſiarchæ veſtri ſapiētiam verè fuiſſe dęmoniacam? Non vos pudebit deinceps adeò maledicti, reprobi,&damnati præceptoris?Non pigebit impiarum opinionum, quas Satan ex infernali pectore ſuo inLutheri veſtri aures animũq; inſuſurrauit ac euomuit? De Carolſtadij,Zuinglij, Caluini, Anabaptiſtarum, aliorúmque Sacramentariorum cum diabolo commercio, communicatíſque conſiliis,aliâs egimus. *Annot. in l.4.c.32. B.Irenæi.*

16. *Vbi zelus & contentio,ibi inconſtantia,& omne opus prauum.*

Sententiam ſuperiorem, quòd illa ſapientia ſit dæmoniaca, nunc confirmat argumento deſumpto à fructibus illius mortiferis,hoc pacto; Malorum fructuum ac effectuum oportet arborem cauſamque malam eſſe. At verò æmulationes,contentiones,ſectæ, opiniones blaſphemæ & inconſtantiſſimæ, & innumera ſcelerum portenta naſcuntur ex falſa ſapientia. Igitur & ipſa conſcelerata & damnabilis eſt. Vel ſic dirigetur ratiocinatio; Inter mundanæ ſapientiæ profeſſores philoſophos,poëtas, hæreſiarchas, videtis quanta ſit æmulatio, qualis inuidentia, quæ pugnæ,quæ diſſidia,quod vincendi ſtudiũ, quanta dogmatum inconſtantia, quanta bonorum morum deprauatio, & vita omni vitiorum genere contaminata. Nihil ergo am-

bigendum quin illorum ſapientia ſit terrena, & planè diabolica.

Conſpicimus ergo quàm amari & peſtilētes ſint falſæ ſapientiæ ac doctrinæ fructus, nimirū *zelus*, id eſt inuidia. Nam ζῆλος, id eſt, φθόνος, inuidentia. *Contentio*, ἐριθεία, id eſt, irritatio. *Inconſtantia*, ἀκαταστασία, perturbatio, ſeditio, ſiue tumultus: & omne malignum opus atque conſilium. Hæc etiam Paulus enumerat inter opera carnis, videlicet, inimicitias, æmulationes, con-
Gal. 5. tētiones, ſeditiones, ſectas, cędes, & his ſimilia. An non duo magi Pharaonis ipſum ac vniuerſos Ægyptios ſuos aduerſus Deum, & populum eius, denique ad cædes, & poſtremam perni-
Exo 4. 5. 6 &c. ciem concitauerunt? Ecqui præter Baaliticæ hæreſeos profeſſores, Achabum & Iezabelem in prophetas Dei, ipſúmque virum diuinum
3. Reg. 18. & 19. Eliam irritauerunt? Quantum negotij Michææ, Ieremiæ, aliiſque veris prophetis, fecerunt falſi prophetæ & doctores? Christi euangelio in primis ſeſe obiecerant Phariſæi ac legiſperiti: ſicut Apoſtolis, huius mundi ſapientes & Philoſophi. Adeò verè de his dicit Ter-
L. de pall. tullianus: Plus læſêre rempublicam togæ, quàm galeæ. Siquidem plus incommodi noſtræ fidei attulerunt Sabellius, Arius, & alij hæreſiarchæ, ſapientiam humanam iactantes, quàm Nero, Diocletianus, aliique tyranni & cruenti perſequutores. Nam perſecutio martyres fecit, hæreſis verò apoſtatas. Sed ſingulos fructus iſtos perſtringamus.

Primus falſæ doctrinæ fructus dicitur *Zelus*, ſeu æmulatio & inuidentia: qua aduerſus pios incitantur hypocritæ, illorumque proſperis aduruntur, macreſcunt, diſrumpuntur, enecantur. Et hoc à principe huius mundi accipiunt, qui (vt docet Cyprianus) ex zelo & liuore inter initia ſtatim mundi, & periit primus, & alios perdidit. Nam poſtquàm hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum malo liuore prorupit. Quinetiam, videns Diuinam eſſentiam, ait Anſelmus, multo ſe præſtātiorem, contra conſcientiam ſuam cœpit Deo inuidere, & voluit ſe ei parem facere. Primogenitus eius fuit Cain (inquit Baſilius,) qui felicitati germani ſui inuidens, ipſum crudeliſſimæ neci tradidit. Valentinus in hæreſim teterrimam lapſus eſt, ait Tertullianus, quòd alius in Epiſcopatus electione prælatus ei fuiſſet. Arium, Neſtorium, Macedonium, hæreſiarchas ferè omnes in perditionis barathrum eadem machina Satan præcipitauit.

l. de zelo & liuore.

In c. 12. Matth.

Hom. de inuidia.

l. adu. Valent.

Secundus fœtus prauæ ſapientiæ eſt *Contentio*, irritatio, tumultus. Nam vt vera ſapientia gignit ſtatum mentis bene compoſitum, ſic cōtentio eum perturbat, ſecum ipſa tumultuatur, & ſine modo in alios efferueſcit. Phariſæis cum Sadducæis multæ & magnæ contentiones fuerūt de ſcriptis prophetarum, de angelis, de animarum immortalitate, de reſurrectione mortuorum. Philoſophorum dimicationes philoſophiam ipſam inuiſam multis reddiderunt. Cæſaris & Pompeij, Tulij & Catilinæ ſummo-

Matth. 23. Act. 21.

rum virorum inimicitiæ & certamina Romanum imperium ferè perdiderũt. Magnus Conſtantinus grauiter conqueritur, quòd ab Ario & gregalibus eius excitata de religione diſſidia, totius orientis pacem interturbarent & labefactarent. An non eadem hæreſis, vnà cùm Neſtorianiſmo Africam & Aſiam impuriſſimis Mahometanis ſubiecit? Exemplo miſerabilis Græciæ & Hungariæ, diſcant Germani & Galli perturbatores ſuos, hæreſeôn miniſtros & ſatellites de medio ſui reſcindere: ne ſerò nimis ſapiant.

Ep. ad Alc. apud Nice.

Tertius falſæ ſapientiæ fructus eſt ἀκαταστασία, quod vetus interpres *inconſtantiam* conuertit: alij verò *ſeditionem, tumultum, & perturbationem* reddunt. Non enim ſolam animi leuitatem & mobilitatem voluit ſignificare Apoſtolus: ſed & perturbati animi malignitatem, quæ omnia ſeditionibus miſcet atque tumultibus. Quàm verò inconſtantes, & ſecum & cum veritate pugnãtes fuerint veteres hæretici, ſuperius attigimus. Noui certè, id eſt, Lutherus, Melanthon, Carolſtadius, primi hæreſeôn præſentium architecti, ſingulis annis, ſinguliſque libellis doctrinæ ſuę capita ſic mutabant, vt illuſtriſſ. Saxonię dux Georgius dicere ſolitus ſit, Se bene ſcire quid hoc anno & menſe crederent vicini ſui Lutherani: ſed omnino dubitare, quid proximo anno & menſe eſſent credituri. Inconſtantiam doctrinę Caluinianæ & Bezanæ ſatis luculenter patefecimus Dialogis noſtris: quando plus ſexcentis locis eiuſdem au-

thores ſibi ipſis aduerſos & cõtrarios eſſe probauimus. Quantos tumultus, quãta ciuilia bella, quàm multiplices horrendáſque hominum cædes excitauerint hæreſeôn Miniſtri ſingulæ propemodum Europæ deformatę, ſuíſque ornamentis ſpoliatę regiones & ciuitates docent.

Quartus, qui plurima cõprehendit, eſt, *omne opus prauum.* Nullum namque peccatum, nullum ſcelus nullum facinus deſignari poteſt, quod non à ſeductoris falſæque doctrinæ prædicantis officina prodeat. An non à prauis idololatriæ doctoribus prophetas occidere, & altaria Dei viuẽtis ſubuertere didicerunt Achab & Iezabel? Manaſſes, filium ſuum traducere per ignem Moloch? Iſraëlitarũ apoſtatæ filios ſuos & filias immolare dæmoniis? De fructibus cõcionum & ſcriptionum ſuarum idoneus teſtis ſit Lutherus de auditoribus ſuis dicens: *Adeò effrenes facti ſunt, vt quicquid illis libeat, liceat. Non terrentur inferno: non obaudiunt Deo, floccifaciunt Euangelium, &c.* Et poſtea. *Sub Papa manſit nomen Chriſti, ſed noſtra ingratitudo merebitur quòd Chriſtus non nominabitur.* Et rurſum. *In paroecia Uuitebergenſi tantùm vnus habetur ruſticus, qui ſyncerè ſuam familiam ad verbum Dei hortetur: Cæteri omnes ad diabolum ire pergunt.* Dux Saxoniæ Georgius accedat. Is enim literis blandiſſimis inuitatus à Luthero, vt vnà cum ſubditis in ſuæ partes trãſiret, conſtãter ad eum ſcripſit: Dedimus operam vt pro virili caueremus, ne à noſtris Euangelium tuum reciperetur. In cauſa ſunt mali fructus inde profecti, nimirum, blaſphemiæ in

Tom 1. colloquior fol. 34.

Fol. 49.

Fol. 94.

Anno 1526

ſacroſanctam Eucnariſtiam, in ſanctiſſimã Dei genitricem, in ſanctos omnes. Ex tua doctrina omnes iam olim damnatæ hęreſes renaſcũtur, omnis Dei cultus aboletur. Quando vnquam tot facta ſunt ſacrilegia Deo dicatorum hominum, quot ſub tuo Euangelio? Quãdo crebriores in Magiſtratus extitēre rebelliones? Quando tot ſacrarũ ædium expilationes, tot furta & rapinæ viſæ ſunt? Quando maritis ablatæ ſunt vxores, aliiſque traditæ? Quando tot numeroſa perpetrata ſunt adulteria, quàm poſteaquam tu ſcribere non dubitaſti, *Si mulier è viro ſuo concipere nequeat, ad alium ſe transferat, à quo poſsit fœcundari, itidémque vir faciat? &c.* Hi peſtilentiſſimi & amariſſimi fructus, hi praui & reprobi fœtus huius noui Euangelij, atque terrenæ & diabolicæ ſapientię.

B. DAMASCENVS citata ſuperiore b. Iacobi ſententia contra inuidiam ac æmulationem, ſubiicit iſtas ex D. Baſilio: Inuidiâ nullus exitioſior affectus in hominum animis innaſci poteſt. Vt enim ferrum rubigo, ita inuidia animã, quam obſederit, conſumit; imò quemadmodum viperã exeſo materno ventre, in lucemedi: videmus eodẽ modo inuidia quoque hãc naturam habet, vt parturientem ſe animam laceret atque cõficiat. Addit & iſta Chryſoſtomi, Quid hominibus inuidis miſerius excogitari poteſt? Cùm gaudere ipſis liceat, malunt tamẽ ob aliorum gloriam, nominiſque ſplendorem mœſtitia affici, atque vnà cruciatum quoque à Deo pœnámque intolerandam ſibi accerſere. Deni-

l. 3. parall. c 101.

que & hos ſubdit Gregorij Naz. verſus:

Pulchrum inuideri: turpis inuidentia.
Incede celſus, inuidos linquens humi.

Pręterea, ſanctus pater MAXIMVS, laudatis eiuſdem Apoſtoli verbis, hęc ſubtexuit ex Gregorio Nyſſeno: Narrant, vultures cadaueribus delectari, vnguento necari: ad maleolentia corrupta aduolare: Ita qui morbo inuidiæ tenetur, amicorum proſperitate quaſi vnguento admoto, emoritur: ſin autem in calamitatem incidiſſe animaduerterit, aduolat, & os infigit aduncum, occultam miſeriam extrahens. Hæc denique Socratis philoſophi, Multi mortuos ſepulchris remunerantur, quos viuos antea per inuidiam dolore effecerant. *Locorum com. c. 54.*

Sed & ANT. MELLISSA, poſt eadem Apoſtoli verba, addit ex Chryſoſtomo, Inuidet quidem Dæmon, ſed hominibus, nulli verò dęmoni. Tu verò cùm ſis homo, hominibus inuides. Et quomodo conſequeris veniam? &c. *Serm. 62.*

17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, honeſta: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiæ, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione.*

Pulcherrima antitheſi nunc deſcribit Apoſtolus alteram ſapientiæ ſpeciem, eiuſdémque conditiones & fructus alteri contrarios enumerat ſimúlque docet, qualem oporteat eſſe verum Eccleſiæ paſtorem & doctorem. Dicitur autem eſſe *deſurſum*, id eſt, cæleſtis atque diuina ſapientia iſta, quia verè eſt donum Dei, deſcendés à Patre luminum. Nam apud Iſaiam *Iſa. 11.*

inter Spiritus ſancti chariſmata connumerantur *ſpiritus ſapientiæ & intellectus*. Et Sapiẽs profitetur ſe Deum inuocaſſe, datumque ſibi ſpiritum ſapientiæ, quam præpoſuit regnis & ſedibus, diuitiáſque nihil duxiſſe in comparatione illius. Ergo non eſt inuentum humanum, qualis philoſophia eſt, ſed diuinum cæleſtéque beneficium. Gentilium oracula vel ab impuris dæmonibus, vel è terræ cauernis & tripodibus oriebantur: hæc autem ſapientia è ſupernis infunditur. Illa afflati ſancti Dei homines, ex ouiũ paſtoribus, agricolis, bubulcis, agaſonibus, continuò ſanctæ Synagogæ rectores, prophetæ, populique ſacri rectores ſapientiſſimi euaſeſerunt; vt Moſes, Dauid, Heliſæus, Amos, &c.

Matt.5. & 28. Eadem illuſtrati Apoſtoli & Diſcipuli, ſine pręcedenti laborioſo longóque litterarum ſtudio, facti ſunt totius orbis doctores & lumina. Promiſerat illis Dei Filius, *Luc 21.* *Dabo vobis os & ſapientiam, cui reſiſtere non poterunt omnes aduerſarij veſtri. Paraclitus docebit vos omnem veritatem.* *Io.14.* *Ille vobis ſuggeret omnia quæcunque dixi vobis.* Stephani hac ſapientia muniti Antagoniſtæ, non potuerunt *Act.6.* reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui in eo & per eum loquebatur. Paulus denique doctrinam *Gal.2.* Euangelicam, quæ hanc præſertim ſapientiam continet, non accepit ab homine, neque didicit: ſed per reuelationem IESV CHRISTI.

Sed quid? Diſcipulis atque ſucceſſoribus Apoſtolorum, patribus, doctoribus, nobis demum non eſt litteris incumbendum, vt iſtius ſupernæ ſapientiæ ſimus aliquando participes? Iterũ de cœlis ſpectãdus Paraclitus, qui nos ſine

ſtudiorum vigiliis & laboribus illuſtret? Minimè gentium. Imò poſt feruentes ad Deum preces, die noctúque vigilandum, legendum, ſcribendum, meditandum eſt: Spirituque Diuino noſtris laboribus benedicēte & aſpirante, tantum eiuſdem ſapientię conſequemur, quantum ſorti noſtræ decuerit & oportuerit. Nam & Chriſtus ipſe ad ſacrorum librorum lectionem nos remiſit dicens, *Scrutamini ſcripturas, &c.* *Io.* 8.
Æthiops eunuchus incumbebat ſcriptis Iſaiæ, quando ad eum miſſus eſt Philippus interpres. *Act.* 8.
Ergo vnicuique noſtrum dictū putemus, quod Timotheo ſuo dixit Paulus: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* *1. Tim.* 4. Nam beatus eſt vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. *Pſal.* 1. Penetralia cordis noſtri peruadāt hæc D. Hieronymi verba: Diuinas ſcripturas ſæpius lege, immo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. *Ep. ad Nepot.* Diſce pſalmos ad verbum. Diſce quod doceas. *Epiſt. ad Ruſtic.* Et rurſum, Nunquam de manibus tuis recedat liber. Ama ſcientiam ſcripturarum, & vitia carnis non amabis, &c.

Sed eiuſdem ſapientiæ cæleſtis octo fructus enumerantem Apoſtolum noſtrum audiamus. Primùm inquit, ἁγνή ἐστιν, eſt *caſta, pura, pudica:* quoniam docet profeſſores ſuos vitæ innocentiam colere ac tueri, corpore & animo caſtos eſſe: nihil cogitare, nihil loqui, nihil facere, quo vel propria, vel aliena caſtitas violari poſſit. Itē, non eſt ficta, ſed pura & ſyncera: nihil hypocriticum admittit, nullis prauis affectibus indulget. Non dubitat de diuini verbi veritate: ideó-

que nihil huic cōtrarium admittit, omnē peccati turpitudinem & fœditatem deteſtatur. Primi illius aſſertores Prophetæ, Apoſtoli, Patres, vel à fœminarum complexibus penitus abſtinuerunt: vel ab antea ductarū vſu fruitionéque omnino ceſſauerunt. Nam princeps eorum
Matth.19. cōſtāter clamat: *Ecce nos reliquimus omnia.* Nam inter omnia, inquit Hieronymus, vſus fœminæ comprehenſus eſt. Ioſue, Melchiſedec, Elias, Heliſæus, Ieremias, Ioannes Baptiſta, Ioannes
Ep ad Philadelph. Euangeliſta, Timotheus, Titus, Marcus, Lucas, Euodius, Clemens, b. Ignatij ſententia, in caſti-
1.Cor.16. tate de vita exierunt. Enimuero qui ſine vxore eſt, *cogitat, quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, &c.* Apoſtatę verò terrenæ ſapiētiæ miniſtri, etiam *oculos habent plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.*
2.Petr.2. *Gratiam Domini noſtri transferunt in luxuriam.* Ef-
Iud.v.4. fractis enim & monaſteriis, & votis ſuis, primùm ſemetipſos, deinde alios omni libidine contaminant, & cum Luthero Caluinoque vociferantur, *Continentiam eſſe omnino impoſſibilem. Copulam carnalem adeo neceſſariam, vt edere, bibere, ſcreare, dormire, &c.*

Deinde, eſt εἰρηνική, *pacifica*, pacis amans & ſtudioſa, nec contentionibus delectatur. Etenim non tantùm facit cultores ſuos eximiâ conſcientiæ pace gaudere: verùm vt & alios ad idem incitent, hortentur, atque perducant. Pacem docet ſeruare cum maioribus, illis obaudiendo: cum æqualibus, eos diligendo: & cum
Matth.5. inferioribus, illos ſeruando & dirigendo. Ideo
Matth.10. Chriſtus adfirmat, beatos pacificos: & Apoſtolis

lis iubet, vt intrantes in domos hominum pacem eis precentur & offerant. Apoſtolus vniuerſis ad quos ſcribit, *miſericordiam & pacem à Deo Patre & Domino noſtro* IESV CHRISTO comprecatur: eandémque pacem præcipit habendam & ſeruandam non ſolùm cum amicis: ſed etiam quantum fieri poteſt, cum omnibus hominibus. Chriſtum denique vocat pacem noſtram: ac ipſummet Deum, Deum pacis & dilectionis eſſe confirmat, &c. *Epheſ. 2.*

At verò, de falſæ diabolicæque ſapiétiæ profeſſoribus ac prædicantibus proprio ore dicit Deus: *Non eſt pax impiis. Cor impiorum quaſi mare feruens. Viam pacis neſcierunt. Dicunt pax, pax: & non eſt pax.* Hinc Auguſtinus explicans hunc pſalmi verſum, *Cum his qui oderũt pacem, eram pacificus, &c.* admodum appoſitè ſcribit. Omnes hæretici oderunt pacem, quia conſciderũt vnitatem. Si enim pacem non odiſſent, in vnitate eccleſiæ manſiſſent. Furunt, ſæuiunt, quærunt nos mortificare cùm loquimur illis de pace, impugnant nos gratis. Pacis oſcula fingunt aliquando, ſed inſtar Iudæ Iſcariothis. Omnia ſuſpicionibus, inſidiis, proditionibus, bellis, & rebellionibus replent, &c. *Iſa. 48. & 59.* *Ierem. 2. & 8.* *In Pſ. 119.*

Tertiò dicitur ἐπιεικής, moderata, æquabilis, humana, quoniam qui hac præditi ſunt, nunquã moroſi, difficiles aut intractabiles: ſed è cõtrario humaniſſimi & faciliimi. Procul diſtãt ab illa auſteritate ac barbarie, quæ nihil in fratribus tolerat. Inſuper cùm maledicuntur, benedicũnt: cùm perſecutionem patiuntur ſuſti- *Matth. 5.*

nent:orant pro perſequentibus, & calumniantibus:omnia potiùs ſufferunt quàm pugnas excitent, vel ſchiſmata faciãt. Modeſtiſſimus ſanè fuit Dauid, qui tam dura diráque à Saule ſuſti-
1.Reg. nens, nunquam in illum inſurrexit. Modeſtiſſi-
Act.7. mus Stephanus, qui pro lapidantibus ſe orauit.
Rom.9. Modeſtiſſimus Paulus cupiens *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*, Iudæis vbique ei inſidiãtibus, &c. Viderint huius æui hæretici, viuos & mortuos cõtumeliis lacerãtes, & pro prauis opinionibus ſuis omnia miſcentes & perturbãtes.

Quartò, εὐπειθὴς, *tractabilis*, multum abhorrẽs à ſuperbia & malitia. Illos quos ſemel afflauerit, reddit ſtudioſos & amatores veritatis: huic facilè acquieſcunt, hanc præ cunctis rebus diligunt & amplexantur. Huius largitor Chriſtus Apoſtolis facilè perſuaſit naues, retia, telonia, lucra, parentes, vxores, imò & ſemetipſos relinquere & abnegare. Saulus hac ſapientia victus
Act.9. exclamat, *Quid me vis facere?* Ad omnia illius obſequia paratus, & Chriſto non grauatè cedens,
Act.7. &c. Hæretici contrà, vt alij Pharaones corda ſua indurant, & continent aures ſuas, more illorum quos Stephanus conuincebat. Sicut aſ-
Pſal.54. pides ſurdæ obturant eas, ne audiant voces incantantium ſapienter.

Quintò, eſt *bonis conſentiens*, quando qui eam ſeriò profitentur, propriis iudiciis non tantum tribuũt, quin melioribus cedere ſint parati. His
Prou.3. verbis Sapientis obaudiunt: *Ne ſis nimium ſapiens*
Rom.12. *apud temetipſum.* Et Apoſtolo obſequuntur dicenti: *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Atten-

dunt Paulum cũ Petro, & Iacobo conferentem Gal. 1.
de Euangelio, quod prædicabat in gentibus, ne
fortè in vanum curreret. Lutherus contrà, ſcri-
bit *ſe omnium patrum, omnium conciliorum, omniúm- L. adu. Re-
que angelorum dicta nihili facere. Nihil curare ſi mille gē Angliæ.
Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ contra ſe ſta-
rent, &c.*

Et vt toti mundo manifeſtior ſit iſtiús omnium huius ſæculi hæreſeôn, & miniſtrorum eius, parentis ſumma impudentia, contumacia, & inſignis improbitas, hîc addere libet, quæ Ioannes Aurifaber diſcipulus & commenſalis illius de lutheri præceptoris ſui Colloquiis mēſalibus per Germaniam ſcriptis publicis euulgauit. *Deponite*, aiebat ad Catholicos, *quicquid armaturæ ſuppeditant Orthodoxi veteres, Theologorum ſcholæ, authoritas Conciliorum, & Pontificum, Conſenſus tot ſæculorum ac totius populi Chriſtiani. Nihil recipimus niſi Scripturas, ſed ſic vt penes nos ſolos ſit authoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc ſenſit Spiritus ſanctus. Quod adferūnt alij, quamuis magni, quamuis multi, à ſpiritu Satanæ, & alienata mente profectum eſt.* Quis hominum tam patiens & lentus, qui ad tantam improbitatem non miraretur & ſtomacharetur? Quis omnium retrò hæreſiarcharum, hunc profligatiſſimum & perditiſſimum fuiſſe non cenſebit? Omnes veteres orthodoxos, omnes Theologorum ſcholas, omnes Pontifices, omnia concilia, omnia ſæcula, omnem populum Chriſtianum, inſanis opinionibus ſuis aduerſari percipit: nec tamen his vult cedere. Manus profani huius Eſau, cō- Gen. 16.

L. Colloq. Menſalium Lutheri.

tra omnes, & manus omnium contra eum. Sed neque diuinas Scripturas admittit, obſtupeſcat cœlum, niſi penes furentem animi ſui rabiem ſit harũ interpretatio. Quod libido ei ſuggeſſerit, hæc erit mens Spiritus ſancti. Quæcunque verò diuinus Paraclitus ſanctiſſimis patribus organis ſuis reuelauerit & dictauerit, erunt diaboli cogitationes & ſenſa. O deteſtabilem hominem! Compeſcat Dominus glorioſiſſimo aduentu ſuo tantam audaciam & improbitatem. Sapientiæ cæleſtis conditiones perſequamur.

Sextò, eſt *plena miſericordia, & fructibus bonis.* Docet enim ſtudioſos & cupidos ſui aliis beneficos eſſe, nemini nocere, pauperes iuuare, peregrinos hoſpitio ſuſcipere, nudos veſtire, ægrotos viſitare, & omnibus afflictis opẽ ferre pro viribus. Itẽ modeſtos eſſe in proſperis, fortes in aduerſis, & in ipſa morte conſtantes. Huiuſmodi fuerunt Apoſtoli, martyres, patres, virgines, &c. Ac terrena ſapientia inflati hæretici, bonis operibus ſic aduerſantur, vt ea clamitent peccata eſſe, nihilque conferre aut ad iuſtitiam aut ad ſalutem.

Septimò, eſt ἀδιάκριτος, abſque diiudicatione, nimirum, temeraria proximorum. Nun-
Luc 7. quam in malam partem rapit omnia, ſicut
Luc 18.
Luc 15. quondam Phariſæi Magdalenæ lacrymas, publicani preces, Chriſtique in peccatores facilitatem & humanitatem. Ait enim Dominus:
Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Et Paulus, *Nolite*
1. Cor. 4. *ante tempus iudicare, &c.*

Octauò, eſt ἀνυπόκριτος, ſine ſimulatione: nihil fuci aut ſimulationis admittit. Non vult profeſſores ſuos aliud ſtantes, aliud ſedentes: aliud publicè, aliud clam: aliud corde, aliud ore ſtatuere: ſed omnia candidè ſyncereque peragere. Non curant hominibus videri doctiores aut ſanctiores, quàm reapſe ſint: hoc vno contenti, quòd Deo placeant. Huius ſapientiæ ſupremus magiſter Chriſtus Phariſæorum hypocriſim frequenter damnauit: & doctor gentium profitetur: *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Matth. 6. & 23. Gal. 1.

18. *Fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem.*

Eleganti grauíque epiphonemate totam huius capitis diſputationem claudit: docétque homines pacis ſtudioſos ingentem ſuæ virtutis mercedem tandem aliquando recepturos eſſe. Quod & Paulus his verbis etiam tradit, *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* 1. Cor. 9. Habet & mundana ſapientia ſuum fructum, ſed aut inanem, aut mortiferum, vt poëtarum, Philoſophorum, Iudæorum, hæreticorum exempla docent. Cæleſtis autem ſapientia & hîc vitæ innocentiam, & poſtea æternam in cælis gloriam largitur. *Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Io. 7. Hauriamus itaque in gaudio de Iſa. 12. fontibus Saluatoris, &c. Hactenus de ſacris præfecturis non ambiendis, humanæ linguæ commodis & incommodis, litibus fugiendis,

ac terrenæ cæleſtíſque ſapientiæ diſcriminibus.

CAPVT QVARTVM.

1. *Vnde bella & lites in vobis? Nónne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?*

TOtum hoc caput obiurgatorium eſt. Poſteaquàm enim ſuperioribus manſuetudinem, caritatem, pacem, linguæ moderationem, bona opera, & omnium virtutum ſtudium commendauit: nunc totam orationem conuertit ad increpanda aliquot genera vitiorum, quibus tunc plurimi laborabant: atque ideo tot eſſe poſſunt huiuſce capitis partes, quot vitia damnãtur. Coarguit autem præſertim bella & lites, concupiſcentias inordinatas, cædes, æmulationes, peruerſas preces, adulteria, amorem huius ſæculi, ſuperbiam, riſum immoderatum, Dei contemptum, duplicitatem animi, temeraria iudicia, & longiorem viuendi fiduciam. Intermiſcentur quoque variæ & commodæ exhortationes, vitiis, quæ coarguuntur, oppoſitæ, vt ſuis locis indicabitur. Et quoniam hac etiam ætate ſuperioribus peccatis non minus quàm illa, plerique Chriſtiani laborant, huic quoque ſæculo valdè commoda, imò & neceſſaria eſt huius

capitis diligens explicatio.

Primo itaque loco apoſtolica planè maieſtate & vehementia inuehitur in pacis & tranquillitatis humanæ perturbatores, dicens, *Vnde bella & lites inter vos?* Nam homines, & quod pluris eſt, Chriſtiani eſtis. Quî fit igitur, vt abiecta humanitate, imò & neglecta religione ſanctiſſima, non ſolùm maledicis verbis contẽditis: ſed & pugnis, & verberibus, & ferro, & igni, pluſquam ferino ac belluino more inter vos ſæuiatis? An non & Chriſti & Moſis leges præſcribunt, vt concordibus animis vitam iſtam viuatis? Tot tantáque de proximi dilectione, déque mutua caritate fouenda & retinenda præcepta facitis nauci? Ecquid magis repugnans & contrarium illis, quàm armis in proximorum facultates & vitas graſſari? Vel linguis contumelioſis famam eorum lacerare? Imagini ſanctiſſimæ Trinitatis manus adferre violentas? Rixis & altercationibus odiorum & conuitiorum plenis, cum illis noctes diéſque certare? Quid magis indignum ac flagitioſum, quàm fratres litigare, & coram perfidis iudicibus conflictari? Ab his itaque ſceleribus rogo & obſecro vos fratres, abſtinete, & caritati pacíque ſtudete, ſi diuinam vltionem timetis, & ad cæleſtem gloriam aſpiratis.

Hoc autem D. Iacobi exemplo diſce, Paſtorum munùs eſſe gliſcentia paſſim vitia & voce & ſcripto caſtigare, inſectari, & omni con-

ſtantia damnare: vt ab his homines deterreant, & ad meliorem vitæ frugem eos reuocent.
Iſa.58. Ideo enim ad Iſaiam dictum eſt, *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Apoſtolus quoque horrendis per Chriſti aduentum, iudicium, & regnum adiurationibus,
2.Tim.4. ſub vnius Timothei nomine omnibus paſtoribus & doctoribus præcipit: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Samuel, Nathan, Gad, Elias, Eliſęus, Michæas, Ionas, Ieremias, Daniel, prophetæ omnes toti ſunt in increpandis & Pontificum, & Regum, & popularium ſuorum ſceleribus. Chriſtus memora-
Matth. 23. bili concione Phariſæorum hypocriſim, ambitum, crudelitatem, rapacitatem ſeueriter eſt inſectatus. Quis vnquam Romanorum, Corinthiorum, Galatharum varia crimina, imò & vniuerſorum hominum peccata liberiùs & acerbiùs improbauit, quàm vnus Paulus? &c. Carpenda igitur ſunt omnium vitia in ſcriptis, in concionibus, in colloquiis, etiam ſi cum Paulo, & ſanctis patribus & martyribus, immò & ſi cum Chriſto totius mundi odia, iras, mi-
Io.3. náſque in capita noſtra prouocaremus: vel vt mundus reſipiſcens Deo ſeruiat, vel inexcuſabilis in iudicio appareat, quinimò etiam ante iudicium poſtremum damnationis ſuæ inuitus ſententiam ſuam audiat & accipiat, &c. De palponibus & timidis Dominus conqueritur, *Prophetæ tui viderunt tibi falſa &*

ſtulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam; vt te ad pœnitentiam prouocarent. Succenſet quoque illis, qui diſſimulando & adulando, dicunt, *Pax, pax, & non eſt pax: liniunt parietem ruinoſum*, id eſt, corruptiſſimam hominum conuerſationem, *luto abſque paleis:* Idem horribile atque ſempiternum væ, id eſt gehennam, comminatur illis, *qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capitibus vniuerſæ ætatis, violántque diuinas leges propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Thren. 2. Ezech. 13. Ibidem.

Eodem rurſum exemplo collige, aliud quoque Paſtoris munus eſſe, omnes Chriſtianos à bellis tum exteris tum maximè ciuilibus, ſeditionibus, duellis, armis; imò etiam verborum contentionibus, quantum potuerit, diſſuadere atque reuocare: & ad contraria caritatis & pacis ſtudia prouocare & accendere. Bellis enim nihil infelicius, nihil perniciofius rebus humanis vnquam contingere poſſe, ſatis manifeſtauit Dauid Rex & propheta, quando maluit ſæuiſſima peſtilentiâ, quàm bello caſtigari. Accedit, quòd inter diuinæ iræ flagella, vt duriſſimum & ſæuiſſimum frequentius recenſetur. 2. Reg. 12. Inſuper, omni dubitatione caret, Diabolum homicidam ab initio, bellóque cælis in inferos victum & detruſum, omnium litium, diſſidiorum atque bellorum ſuaſorem & authorem eſſe. Deut. 32. Ierem. 5. Io. 8. Bellis, inquit Auguſtinus, regna conteruntur, nobiles & amplæ vrbes delentur, perduntur ciuitates, regiones longè lateque vaſtantur, ab- Apoc. 12. L. 3. ciuit. c. 18.

ſumuntur homines,nec ſacris nec profanis parcitur. Hieronymus ſæculi ſui bellorum hæc in-
Epitaphio Nepotiani. commoda recitat: Horret animus noſtrorum temporum ruinas. Viginti & eò ampliùs anni ſunt,quòd Romanus ſanguis quotidie funditur. Multi hoſtes prouincias vaſtant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ,quot virgines, quot ingenua corpora his belluis (Gothis, Hunnis Vvandalis) fuerunt ludibrio? Capti Epiſcopi, interfecti Preſbyteri, & diuerſa officia clericorum. Subuerſæ eccleſiæ,ad altaria Chriſti ſtabulati equi,martyrum effoſſæ reliquiæ: vbique luctus,
Epiſt. 70. vbique gemitus,& plurima mortis imago. Iure ergo Auguſtinus Bonifacium Africæ Proconſulem hortatur, vt à rebus bellicis, & cædibus hominum abſtineat quantum poterit,ſalua pace publica: potiúſque ſtudeat expugnare principes tenebrarum,& ſpiritualia nequitiæ, id eſt, vitia, cupiditates,ſpiritus immundos.

Ipſum autem bellorum & contentionum fontem Apoſtolus indicans velut digito,ſubdit, *Nónne oriuntur ex concupiſcentiis veſtris,quæ militant in membris veſtris?* Sunt autem concupiſcentiæ iſtæ, deſideria ſenſuum humanorum, cum legibus diuinis, rectáque ratione pugnantes: vt cùm quis illicita videre,prohibita tangere, audire nefaria, vetita guſtare delectatur: & quæcunque Diuinis mandatis aduerſa, aut affectu aut effectu concupiſcit,aut committit. De his
Gen. 6. et 7. ſcribit Moyſes, *ſenſus & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua.* Sunt etenim reliquæ peccati originalis relictæ in car-

ne noſtra ad virtutis exercitium,&ſuperbiæ humanæ dilectionem.

Dicuntur porrò *militare in membris noſtris*,ſumpta à re militari metaphora; quandoquidem ſicut ſæuus aliquis tyrannus abutitur armis operibúſque militum,ad alios vexandos & opprimendos,ſic concupiſcentia abutitur oculorum, aurium, linguæ,pedum,manuum, aliorúmque membrorum induſtria miniſterióque,tanquam corruptis prauíſque ſatellitibus, ad quælibet perpetrãda ſcelera, & totum hominem in peccati,mortis, & inferi ſeruitutem redigendum. Quot igitur in nobis praua deſideria naſcũtur, tot ſunt milites armati & prompti ad pugnas& rebelliones concitandas aduerſus Deum & proximum. Hinc & Petrus ait, *Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* *1.Pet.2.*
Quàm verò latè pateat hæc concupiſcentiarum tyrannis,his verbis deſcribit D. Bernardus; Ab *Ser.de ſex.* intus manat concupiſcentia,de corde exit peſtiferum *tribulat.* virus,ac deinceps corpus occupat vniuerſum, mentem deſideriis afficit,membra illecebris inficit.Inde pruritus aurium,oculorũ petulantia,olfaciendi voluptas, in faucibus tam inordinata delectatio,in vniuerſo corpore mollities ſenſus, & libido pernicioſa tangendi. In anima ebrietas illa prauorum deſideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ,inuidiæ, contumeliæ, & omnium denique vitiorum affectibus accenſa vehementer, &c.

De his autem concupiſcentiæ prauis deſi-

deriis frangendis, adeóque tota naturæ noſtræ vitioſitate edomanda & comprimenda, varia ſunt in ſacris litteris præcepta, & præclara in ſcriptis ſanctorum patrum exempla. Ait enim
Rom.6. Paulus, *Spiritu ambulate, & deſideria carnis ne perficiatis.* Et alibi. *Deponite veterem hominẽ qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Et rurſum, *Mortifi-*
Eph.4.
Coloſſ.3. *cate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Et ad Ti-
2.Tim.2. motheum, *Iuuenilia deſideria fuge.* Et ad Titum,
Tit. *Abiicientes omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, &c.*

Quantò autem labore ac ſtudio carnis ſuæ concupiſcentias idem ipſe fregerit, ſatis indicat
1.Cor.9. cùm ſcribit, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Et alios ad idem præſtandum adhortans, ſimulque aliquot caſtigationum ſpecies exponẽs
2.Cor.6. ſcribit, *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceßitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in laboribus,*
2.Cor.11. *in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, &c.* Et poſtea, *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis. In frigore & nuditate, &c.* Ex innumeris ſanctorum patrum exemplis, vnius tantùm Hieronymi, ac eiuſdem quoque verbis facta, dictáque proponam. Cùm enim adoleſcentem ardentiſſimis facibus libidinis Satanas vexaret, ieiuniis, verberibus, lacrymis, humiculationibus, vigiliis, frequentiſſimis precibus, rebellantem carnem adeò & affligere, &
Gal.5. cum vitiis ac concupiſcentiis ſuis crucifigere decreuit, vt in vaſtiſſimam Syriæ eremum con-

fugeret. O quoties, inquit, ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus, horridum monachis pręſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam, &c. Ille igitur ego, qui ob Gehēnæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore: & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad IESV iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Memini me clamātē diem crebrò iunxiſſe cum nocte: nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Sicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus: ibi illud miſerimæ carnis ergaſtulum: & poſt multas lacrymas, poſt cælo inhęrentes oculos, nōnunquam videbar mihi intereſſe agminibus angelorum: & lætus gaudénſque cantabam: *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus, &c.* Hæc ſanctiſſimi doctoris lectiſſima verba, ſanctiſſima exercitia, & ſaluberrima exempla, nobis

Epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtoch.

Cant. 1.

Spiritus ſancti conſilio ad imitandum propoſita putemus. His armis Satanam vicit, his remediis carnis concupiſcentias domuit, corporis & animi caſtitatem ſeruauit, atque his virtutibus regna cælorum petiuit.

Ter ergo quatérq; miſeri Lutherani & Caluiniani, qui carnis laſciuiã ſolis amplexibus fœdíſque concubitibus fœminarum compeſcendam autumant: cùm tamen illis ad breuiſſimum ſolummodò tempus laſſetur quidem: ſed non ſatietur libido, &c. Impuritatis eorum certa apertaque teſtimonia poſtulas? Principem eorum Lutherum audi de ſemetipſo loquẽtem in Colloquiis, quæ ex illius ore diſcipuli collegerunt, & typis per orbem euulgauerunt. Sic enim de

Colloq. to. 2. fol. 14. 18 & 118. ſuis inceſtis deſertor monachus gloriatur: *Anno* 1523. *depoſui habitum. Niſi cucullam exuiſſem, carnem* (in quadrageſima) *manducaſſem, & vxorem duxiſſem, Papiſtæ doctrinam calumniati eſſent.* Et de ſpuriis à Monacha ſua ſuſceptis, ſine vllo pudore ſic exultat, *Habeo vxorem, & ſex liberos. Anno* 25. *in ſeditione ruſticorum, 12. Junij vxorem monialem duxi: anno* 26. *Ioannes procreatus eſt:* 27. *Eliʒabetha:* 29. *Magdalena:* 31. *Martinus:* 33. *Paulus:* 34. *Margareta.* Et cunctis audientibus clandeſtinas ſcortationes & ſacrilegia ſua iactat, nec erubeſcit ora

fol. 118. omnium, dicens: *Niſi ergo clam celebraſſem nuptias, omnes impediſſent, quia omnes clamabant: Non hanc, ſed aliam.* Quàm verò impudico eſſet voto

fol. 160. & animo, iſtis ſignificat, *Cælebs olim hoc apud me concluſeram, vt ſi mihi inſperatò moriendum fuiſſet, vel etiam in lecto mortis, mihi puella deſponſanda ad-*

biberetur, cui in teſtimonium duos ſcyphos dicare voluiſſem. Egregia ſanè præparatio ad mortem: ſecundam, nimirum, quæ eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure. Et vt aliis, omnis laſciuiæ & impudicitiæ author eſſet, aiebat, *Quiſquis ſatanicas cogitationes, aliis cogitationibus, vt de puella pulchra, &c. pellere poteſt, huic ſuadeo.* An nō diabolica planè ſuaſio? Quis enim vnquā Prophetarū, Apoſtolorū, Sāctorum, tā impuri cōſilij author fuit? Quis petulātis & laſciuiētis carnis impetus ſic fouere & adaugere ſuaſit? Quis Epicurus, Sardanapalus, Heliogabalus, aut lenonum omnium impuriſſimus impuriora & deteriora ſuaſit? Sed turpiſſimum ac inhoneſtiſſimum hominem, omnium huius ſæculi miniſtrorum prædicantium antiſtitem, & ſpurciſſimum parentē iāiam miſſum faciamus. Ex hoc tantùm vno, diſce omnes. *Apoc. 21.* *fol. 125.*

Ex his quoque B. Iacobi verbis obſeruandum illos omnes turpiter hallucinari, quantumlibet aliàs ſe perſpicaces eſſe iudicent, qui turbas, diſſidia, pugnáſque in hoc ſæculo orientes, acceptas ferunt piis eccleſiæ & fidei Catholicæ prędicatoribus & propugnatoribus, dum conſtanter in hæreſes inſurgunt, & hæreticorum artibus, maleficiiſque ſeipſos pro viribus opponunt: falſum eſt enim quòd hi bellorū ſint buccinatores vel authores, vel quòd diſſidia foueāt & diſſenſiones, qui vnicam Eccleſiam, vnicam fidem catholicam ſartam tectam percupiunt, qui ſanctiſſimam vnitatem procurant, qui cōmunionem ſanctorum docent, qui vni ſummo

omnium Chriſtianorum paſtori firmiter adhęrendum profitentur, & legitimis principibus ſubiacendum prædicant. Verùm, ex ſuperbis & ambitioſis principum & aulicorum concupiſcentiis, ex fœdiſſimarum voluptatum amoribus, ex inſatiabili regnandi libidine, ex inſana mutuæ vltionis cupiditate, contentionũ grana ſeruntur, germinant, adoleſcunt. Regiorum làteronum & ſtipatorum alius concupiſcit gloriam, alius inhiat lucro, hic ſtudet regno, ille voluptatem venatur, vnus inuidet commilitoni, alter hunc ſibi prælatum dolet, & ſublatum iri procurat. Hic inſolentiùs exultat quòd auctus ſit honoribus: ille diſcruciatur & propè deſperat quòd vileſcat. Iſte cunctis aliis detrahit, ille pluſquã ſeruiliter adulatur, &c. Hinc pugnę, hinc lites, & omnium diſſidiorum ac bellorum tumultus. *Inter ſuperbos namque ſemper fuerunt, & erunt iurgia.* Prauis ergo cupiditatibus ſuis bellorum cauſas tribuant, non piis doctrinæ Chriſtianæ & catholicæ aſſertoribus.

Prou. 13.

Io. 8.

Accedunt miniſtri & ſatellites hæreſeôn, qui à patre mendaciorum ad hoc ſubornantur, mittuntur, & impelluntur, vt omnem pietatem labefactent, cunctáque repleant diſſidiis, tumultibus, erroribus. Magi Pharaonis miſerum regem regnumque ad exitioſum ſibi bellum incitauerunt. Sedechias, aliique quadringenti pſeudoprophetæ, infelicẽ Achabum ad pugnam eam animauerunt, vnde ſanus redire non potuit. Arriani & Donatiſtæ orbem cædibus repleuerunt. Zuinglius fortiſſimos Heluetios ſuos inter ſe

Exod. 3. 4. 5 *&c.*

3 *Reg.* 22.

ſe commiſit. Lutherus ruſticorum accendit bellum, quo ſupra centum hominum millia perierunt. Notius eſt, quid Caluinus, Beza, ſimiléſque ardeliones in Scotia, Belgio, & Gallia patrarint, quàm vt hoc loco recitare neceſſe ſit, &c. His ergo Reges & aulici eorum & ciuiles & exteras diſſenſiones ſuas imputent: non auitæ & catholicæ religionis defenſoribus, ni malint blaſphemiam malitiæ & perfidiæ ſuæ coniungere, Deo tribuentes, quod eſt diaboli & angelorum eius. Compeſcant ergo principes prauas cupiditates ſuas, Regi Regum Chriſto faſces ſuas ſubiiciant, doctrinæ illius obtemperent, ſponſæ illius adhæreant, temeratores illius plectant, hæreditatem denique illius non opprimant aut diripiãt: & deſideratiſſima pace fruentur, &c.

DE BELLO.

QVia verò omnem bellandi & litigandi rationẽ hîc reprobare & prohidere videtur Apoſtolus, & nos quantum ad Concionatorem Chriſtianum ſpectat, ſatis locum explanaſſe putamus: non erit tamen inutile nec iniucundum, in gratiam eorum qui locorum communium fuſiori tractatione delectantur, paulò copioſiùs & diligentiùs in vtrumque inquirere. Ac primo loco de Bello, altero de litibus dicemus.

1. Bellum Hebræis dicitur *Milchamah*, à *Lacham*, quod primò ſignificat comedere, manducare: Prou. 4. Pſ. 141. & Iob 20. vbi nos habemus *bellum*. Inde *Lehem*, panis & omnis cibus. Se-

cundò, *Lacham* ſignificat pugnare, belligerari, præliari: quòd in bello gladius comedat homi-
Iſa.1. nes, eóque modo dicatur, *Gladius deuorabit vos.*
Leuit.17. *Cadetis in ore gladij*. Eſt autem plerunque paſſiuæ vocis, ſed actiuæ ſignificationis. Ioſue 10. Pſ.26. & Iudic. 5. &c. πόλεμος, bellum, pugna. Cuius vocis etſi multiplex ſit apud Grammaticos etymon, nunc tamen malũt à πολέω deduci, quòd bellum omnia vertat, inuertat, euertat. Priſcianus vult Latinis, *Bellũ* per antiphraſim dici quòd minimè bellum ſit. Feſtus à belluis, quòd belluarum ſit mutuò ſe laniatu conficere. Colligũt autem ex Liuio, quòd Bellum ſit tũ ipſa pugna, tum totum tempus quo bellum conficitur: Prælium, ipſum tantummodò armorum certamen: Pugnam & Certamen, etiam citra arma fieri, vtpotè verbis & ſcriptis: quæ voces ſæpe tamen confunduntur.

2. Illud ſecernunt in iuſtum, & in iniuſtum: tametſi iniuſtum, non ſit propriè dicendum bel-
L 4. ciui. c. lum: ſed Auguſtini ſententiâ, publicum latrocinium. Iuſti autem belli hanc aſſignant finitionem: Eſt hoſtilis diſſentio, qua edicto Principis, vi & armis vel iniuſtè capta repetuntur, vel ſcelera reprimuntur, vt homines iuſtè & tranquillè, ex iuſtitia & pietate poſſint viuere. Plato quidem ſcribit: Homines mouere bellum, cùm aut
In Alcibiade. decipiuntur, aut coguntur, aut ſpoliantur: ſed hæc comprehenduntur in illis verbis, *propria repetuntur vel ſcelera reprimuntur.* Generis locum tenet Diſſenſio: differentiæ, hoſtilis, Edictum

principis, eſt cauſa efficiens: diſſenſio hoſtilis, formalis:res iniuſtè ablatæ,&ſcelera,materialis: iuſtè & piè viuere, finalis: ſic omnibus partibus ſuis finitio conſtat. Et Auguſtinus quidem, ac poſt eum ipſa iura pontificia, Bella iuſta definiunt, quæ vlciſcuntur acceptas iniurias, vt Dauid violatorum legatorum ſuorum ab Ammonitis: vel quæ repetunt quod per iniurias ablatum eſt, vt fecerunt Machabæi Ieroſolymam, templúmque ſuum à tyrannide Antiochi: vel quæ Deus imperat, vt Amalec delendum, & Chananæos expugnandos. Iſidorus quoque ſcribit: Bellis rectè ſuſcipi vel de rebus repetendis; vel de propulſandis iniuriis.

Quæſt. 10. in Ioſue. *2. Reg. 10.* *23. q. 1. c. Culpatur.* *1. Reg. 15.* *L. 17 etym. c. 1.*

3. His addunt authoritatem principis ſupremi, iuſtam bellandi cauſam, & rectam bellantium intentionem. Equidem certum eſt, Principem portare gladium & illum quibus velit committere: priuatis autem & ſubditis dictum eſſe: *Qui gladio percuſſerit, gladio peribit*, Legéſque canunt, Vt armorum officia, niſi iuſſu Principis, ſint interdicta. Qui bellum gerunt, aut delectum habent, aut exercitum comparant iniuſſu Principis, tenentur lege Maieſtatis. Et Valentinianus edixit; Nulli nobis inconſultis, vſus armorum tribuatur. Et id iure optimo. Nam ſi priuatus aut ſubditus pro ſuo arbitratu velit arma tractare, violabit Principis maieſtatem, imò etiã in caſtris, qui contra edictum imperatoris pugnat, etiam ſi res ceſſerit proſperè, capite plectitur: quod Valerius exemplo confirmat: & Ionathas inde ſubiit vitæ periculum.

Rom. 13. *Matth. 26.*

4. Iuſtæ cauſæ bellandi in Definitione comprehenſæ ſunt & in ius Pontificium relatæ, 23.q.2. c. Dominus noſter,& quæſt.8. Intentio autem recta eſt,quando non ſuſcipitur ex odio,inuidia, ambitu,appetitu vindictæ:ſed zelo iuſtitiæ, videlicet,vt malum tollatur,& promoueatur bonum. Deficientibus his, vel vno ex his tribus, bellum prorſus iniuſtum eſt.

5. Nullum etiam bellum iuſtum putauerunt, niſi quod ante denunciatum, aut per Fæcialem, aliquot ritibus indictum fuiſſet. Liuius & Feneſtella de forma belli per fæcialē ſeu caduceatorem indicendi tradunt quòd fiebat verbis cōceptis,immiſſo in hoſtes telo,vel haſta ſanguine infecta:quibus aſſentiūt Gellius Dionyſius,Halicar. & Plutarchus.Erant & ante pugnæ congreſſum publicæ quædam & inuiolatè ſeruandæ ceremoniæ: vt ante vſum tubarum, vates præcederet,lauro coronatus,ac facem geſtans: atque ab hoc vtrique abſtinebant.Talem vocabant πυρφόρον: vnde & prouerbium:Nec ſignifer quidem reliquus factus.Huius meminit poſt Euripidem,A. Gellius:inſuper, & precum militarium ad deos paulò ante pugnam. Plurimas ad animos militum ciendos, pugnamque ferociter & alacriter capeſſendam Ducum orationes referunt Thucidides ac Liuius. Panormitanus bellum indici etiam ſolitum per ferream chirotecam tradit.Alias variorum populorum multiplices variáſque cæremonias refert Alexander ab Alexandro.

In Phæniſſ. l.3.c.3.

L.5.c.3.

6. Hebræi expugnaturi ciuitatem, pacem primùm ciuibus offerre iuſſi ſunt: ſi portas aperuiſſent, populus ſeruabatur, vt ſeruiret ſub tributo. Sin autem, omne quod erat in ea generis maſculini delebatur. Qui recẽs domũ extruxiſſent, plãtaſſent vineam, deſpõdiſſent vxorem, & formidoloſi, bello remouebantur. Inituri bellum, prius Dominum per Sacerdotes vel prophetas de illius euentu conſulebant: & cùm liceret, ſacrificiis & orationibus faciem eius placabant. Sic Dauid pugnaturus contra Philiſtæos & Amalechitas, cõſulit Dominũ, dicẽs, *Num vadam & percutiam Philiſtæos iſtos? Latrunculos iſtos?* Conſulit Saul Dominum, dicens, *Num perſequar Philiſtum?* Deut. 20. Ibidem. Iudic. 7. 1. Num. 24 & 31. 1. Reg. 14.

7. Diſpoſitis quoque per turmas ſuas militum cuneis, hoſtemque vel aggreſſuris, vel irruentem ſuſcepturis, vt omnem ponerent timorem, Sacerdotes ſacris tubis ære ciebãt viros, & martem accendebant cantu. Et vt alius ait: Tuba terribilem ſonitum procul ære ſonoro, Virgil.

Alius quoque, Concaua rauciſonóque minãnantur cornua cantu. Præceperat namque Dominus: *Si exieritis ad bellum, clangetis vlulantibus tubis: & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorũ.* Ad illarum clangorem ceciderunt muri Hiericho. Gedeon milites ſuos tubis & facibus tantùm muniuit. Abia rex Iuda pugnaturus contra Ieroboam & deſertores, obiecit eis: *In exercitu noſtro dux Deus eſt, & Sacerdotes eius qui clangunt tubis, & reſonat terra contra vos, &c.* Cúmque pugnam Lucret. Num. 10. Ioſue. 6. Iudic. 2. Paral. 13

inirent, Sacerdotes tubis canere cœperunt, omnéſque viri Iuda vociferati ſunt, & corruerunt ex Iſrael quingenta millia virorum fortium. Bethuliéſes cæſo per Iudith Holoferne, perſequuti ſunt fugientes Aſſyrios, poſt illos tubis canẽ-
Iudith.15. tes & vlulãtes. In Machabæorũ præliis frequens eſt tubarũ & vociferationum bellicarum commemoratio. Paulus ex hoc more omnium gen-
1. Cor. 14. tium bellantium, iſtud aſſumit argumentum, *Si vocem incertam dederit tuba, quis parabit ſe ad bellum?*

8. Quoniam verò in bellis horrendæ fiunt hominum cædes, vrbium euerſiones & vaſtationes, Manichæi pridem, & nunc Anabaptiſtæ, omne bellandi conſilium & negotium, vt Chriſtianis penitus illicitum reprobant, & reipſa vt pluri-
L. 22. cõtra Fauſt. c. 74 mùm in his fiũt multa, quæ Chriſtianus animus probare nec debet nec poteſt. Etenim, doctore Auguſtino, nocendi cupiditas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellan-
Idem in Pſ. 75. & L. de decẽ chordis, c. 9. di, libido dominandi, & multa ſimilia, in bellis iure culpantur: vt etiam iure puniantur. Longéque ſanè ſalubrius eſſet cunctis hominibus, bellare aduerſus Dæmonum ſuggeſtiones, aduerſus principes tenebrarum, aduerſus malas conſuetudines, concupiſcentias prauas, fœdas voluptates, deſideria carnis, frenando auaritiam, elidendo ſuperbiam, ſuffocando ambitionem, trucidando libidinem, iram cõprimendo, gulam moderando, iram mitigando, & cætera domando peccata, quàm in homines ſuæ naturæ conſortes ſtringere ferrum. Nunquam verò deerit Chriſti militibus in hoc

vires ſuas exercendi materia: quandoquidem, vt ait beatus martyr Cyprianus, ſi depreſſeris auaritiam, exurget libido; quod & ſi hác ſuperaueris, ſuccedet ambitio: & ſi ambitio à te fuerit victa, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, ſuperbia, ebrioſitas cum cæteris ſuis peſtiferis ſociis, in vnum contra ſe dimicantia conſtituent castra &c. In hoc bello (ſcribit Aug.) eſt tota vita ſanctorum. Hæc eſt pugna eorum. In hoc bello ſemper homo periclitatur, quouſque moritur. *Ser. 45. de temp.*

9. Ne verò inermes in hoc ſpiritale prælium deſcendamus, ſolicitè prouidit per Apoſtolum Spiritus ſanctus, *Accipite armaturam Dei*, inquit, *vt poſſitis reſiſtere in die malo, State ſuccincti lumbos in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, &c.* Hæc Effrem vir ſanctiſſimus integro explanat libro: nos paucis conſtringemus. Accipe (inquit) pro thorace, fidem, credens in conſubſtantialem atque indiuiduam Trinitatem: pro galea, futurorum bonorum ſpem: balthei vice, accingere perfecta caritate in Deum atque in proximum. Pro calceamento, ſume tibi humilitatem: ſcuti loco, crucis ſigno teipſum muni, ſignans ex eo omnia membra, & cor tuum, & ingreſſum & exitum tuum in omni tempore, ſeſſionem tuam, reſurrectioně tuã, lectũ tuum, &c. Pro arcu, extende manus tuas ad orationem, & erunt vt arcus æreus brachia tua. Pro gladio, ſume timorem Dei, concîdentem omnem concupiſcentiã malã. Tubæ vice, ſint tibi Scripturę diuinæ: poſ- *Eph. 6.* *L. de armatura ſpirituali.*

fide ſilẽtij quietem, veluti murum munitũ, &c.
10. Ad hęc, manifeſtum & certũ eſt externa bella iræ ac deuotionis Diuinæ flagella eſſe, qui hoc ſupplicio in hominum animaduertit peccata; &
Eccl.10. regna transfert de gente in gentem propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Deus namque legis ſuæ præuaricatoribus
Leuit.26. minatur: *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubiiciemini his qui oderunt vos. Fugietis, nemine perſequente. Inducam*
Deut.28. & 32. *ſuper vos gladium, vltorẽ fœderis mei. Euaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & ciuitates*
2. Reg.24 *veſtræ dirutæ. Foris vaſtabit eos gladius, &c. Immittã gladiũ, famem, peſtẽ & beſtias peſſimas, &c.* Dauidi datur optio belli trium menſium, &c. Et per O-
Oſe.7. ſeam minatur Dominus: *Cadent per gladium principes eorum, &c.*

11. His autem nihil obſtantibus, non eſt dubium licitum & aliquando expediens eſſe Principibus atque Magiſtratibus Chriſtianis bellum hoſtibus indicere, & fortiter adminiſtrare, ac perfi-
Deut.20. cere, vt tranquillitati cõſulatur humanæ, & eius perturbatores debitas pœnas exſoluãt. Nam de hoc Deus aliquot apertas leges tulit, cùm iuſſit
Deut.28 & 31. ab exercitibus eximi formidoloſos: pacem pri⁹
Exod.17. offerre, quàm oppugnare ciuitates hoſtiles, prohibuit incidere frugiferas arbores: ſuíſq; victo-
Ioſue. rias promiſit. Per Moyſẽ præcepit Ioſuę pugna-
2. Reg. re cũ Amalechitis: eidẽq; apparuit inſtar viri armati, ſtrictũ vibrãtis gladiũ, & promitẽtis ſe fore principẽ & ducẽ ei⁹ belli. Dauid nõ niſi Diuinis
Pſ.143. auſpiciis plurima & fortiſſima bella confecit,

Deo gratias habens, quòd docuiſſet manus ſuas ad prælium, & digitos ſuos ad bellum. Machabei, Deo iuuãte, Græcorũ potentiſſimos exercitus fuderunt. Sapiens ſcribit eſſe tempus belli, & tempus pacis. Eccl. 3.

12. Inſuper, docuit quomodo & quãdo educendus eſſet ad bellum exercitus, Num. 10. & Deut. 20. Externa præſidia & auxilia non accerſerent, 4. Reg. 26. In præliis fidem in Deum reponerẽt, 2. Reg. 11. & 1. Paral. 19. Pacta inita ſeruarẽt, Ioſue, 9. Poſt victorias cum magna lætitia Deo gratias reddentes, ſimul congauderent, Exod. 15. 1. Reg. 18. Iudith 15. 2. Paralip. 20. Hoſtium caſtra diriperent, & cæſorum hoſtium ſpolia ſibi colligerent. Gen. 14. 4. Reg. 7. 2. Paralip. 20. Prædam inter omnes diuiderent, & partem amicis communicarent, Deut. 20. & 1. Reg. 10. Ciuitates bello partas ſibi retinerent. Numer. 21. Ioſue 8. 4. Reg. 13. Anathematizatas non inſtaurarent. Ioſue 6. Fortiter pugnarent pro ſanctis legibus, templo, aris, & ciuitatibus Dei, pro vxoribus & liberis, pro fratribus & popularibus ſuis, 1. Reg. 10. 1. Paralip. 19. In libris Machabæorum vbique. An non hæc ſunt adminiſtrati & confecti per Deum immortalem belli luculentiſſima & firmiſſima argumenta?

13. Exploratorũ quoque, ad res aduerſariorum cognoſcendas, præcauendas inſidias eorum, illóſque faciliùs vincendos & opprimẽdos opera vti ac induſtria, longo vſu probatum apparet ex his Ioſephi ad fratres ſuos verbis, *Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* Moſes Gen. 42.

Num.13. Deo iubente, duodecim miſit, ſingulos de ſingulis tribubus, qui conſiderarent terram Chanaan, qualis eſſet, quales habitatores eius, fortes an infirmi, pauci an multi, &c. *Ioſue 2.* Et Ioſue duos miſit, qui terram, vrbémque Iericho conſiderarent, &c. Familia quoque Ioſeph duce quodam exploratore, *Iudic 1.* vrbem Luzam facili labore percuſſerunt in ore gladij. Homerus Vlyſſem ac Diomedem heroas inſignes, exploratores fecit. *In c.27. Ezech.* Hieronymus rectè iudicat horum opus medium eſſe, quo bene in iuſto bello, tum malè in iniuſto principes vtantur. Et cùm parum admodum à proditoribus & transfugis diſtent, horum ſi deprehenſi fuerint, pœnæ ſunt æquales: nimirum, aut viui exurantur, aut furca ſuſpendantur, ait Paulus Iuriſc. cui conſentit Vlpianus. Capitis ſolùm eos damnant Arrianus & Martianus. Lõgobardi ſcameram, id eſt, exploratorem aut è viuis tollebant, aut certè nõgentis ſolidis multabant. Ægyptij hos lingua priuabant, vt eſt apud Diodorum, lib. 2. Biblioth. c.3. Cùm verò tam periculoſum & anceps ſit horum munus, nihilominus principum aulæ, exercitus, vrbes promptiſſimis exploratoribus & proditoribus abundant.

l. ſi quis aliquid. l. aut dam. l. omne delictum. l. Proditores. l. 4 de maleſic. l. 1. leg Lãgobardos.

14. Addubitant, vtrum in bellis liceat hoſtes inſidiis circunuenire ac opprimere. Modò ne pacta & fœdera violentur, licet. Nam hoſtibus conſilia, ſtudia, vires, & artes noſtras celare, ad iuſtitiam & prudentiam ſpectat. Abraham cum 318. militibus, copioſum & victorem quinque *Gen.14.* Regum exercitum ex inſidiis adortus, fudit ac

cæcidit. Ioſue in inſidiis collocata parte exerci- *Ioſue 8.*
tus, cœpit & incendit vrbem Haj. Iſraëlitæ ex
inſidiis erumpentes in Beniamitas eos cum *Iudic 20.*
Gabaa ciuitate propemodum deleuerunt. Saul *1. Reg. 10.*
inſidiis vſus cæcidit Amalecitas. Iudas Macha- *1. Machab.*
bæus iiſdem artificiis hoſtes populi ſui non ſe- *9.10.11.*
mel oppreſſit, &c. Itaque inſidiarum vſus bo-
nus eſt in bello iuſto: in iniuſto malus. Dolus
enim an virtus, quis in hoſte requirat?

15. Reſponſitant aduerſarij, probationes ſupe-
riores ſũptas eſſe ex lege Moſis, quæ per Chri-
ſtum eſt antiquata. Imò verò ſunt magna ex
parte ex lege iureq́ue naturæ: quod æternum &
inuiolabile oportet eſſe. Dictat autem, vt iu-
uentur & liberentur boni, mali reprimantur.
Inſuper, vt quiſque corpus, vitámque tueatur:
& vim ſibi illatam, vi repellat. Ad hæc, nullo
expreſſo verbo Chriſtus vel Apoſtoli eius bel-
landi artem reprobauerunt, quin potius com-
probarunt, præcipientes tributa reddere Cæ- *Matth. 22.*
ſari: & vectigal exſoluendum ei, cui debitum *Aug. l. 22.*
eſt, vt propter bella neceſſario militi ſtipẽdium *adu. Fauſt.* *c 74.*
præbeatur. Centurionis etiam dicentis, *habeo* *Matth. 8.*
ſub me milites, & dico huic, Vade, & vadit, Domi-
nus fidem laudauit, militiæ deſertionẽ non im-
perauit. Et cum milites venientes ad baptiſ-
mum Ioannis peterent ab illo, *Et nos quid facie-* *Luc 3.*
mus? Non reſpondit: Arma abiicite, militiam
iſtam deſerite, neminem percutite, proſternite
neminem. Sed quia ſciebat eos, cùm hæc mili-
tando facerent, non eſſe homicidas, ſed mini-
ſtros legis: & non vltores iniuriarum ſuarum,

ſed ſalutis publicæ defenſores: Reſpondit eis, *Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum*: quibus militiã pro-
Luc 19. bauit, non damnauit. Docuit equidem Chriſtus
Mar. 13. bella eſſe peccatorum pœnas, & opiniones prę-
Luc 21.
Matt. 24. liorũ ſigna conſummationis ſæculi: ſed iuſtum
Rom. 13. bellum nunquam prohibuit: Apoſtolus quoque non reuocauit Principes à bello: ſed contrà docuit eos eſſe munitos gladio ad terrorem & vindictam malorum, laudem verò bonorum.
1. Petr. 2. Et Princeps Apoſtolorum præcepit obedientiam & honorem deferre, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tãquam ab eo miſſis, &c. Quid ergo culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri?

16. Quærunt alij, an ſacris hominibus cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, liceat bellis intereſſe? Reſpondeo, Vt pugnent ipſi & ſanguinem humanũ effundant, non licet. Nam cùm horum munus ſit, continuò orare, & ſacrificare pro populo, eundem docere, corripere, & ſacramentis communire: nequeunt profectò iſthæc cum arte pugnandi bene conue-
2. Tim. 2. nire. Dicit enim Apoſtolus: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit & dicauit.* Et alibi: *Arma militiæ noſtræ*
2. Cor. 10. *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, &c.* Enimuero caligæ, ocreæ, ſagi, loricæ, thoraces, gladij, lanceæ, haſtæ, bombardę, ſclopi, puluis ſulphureus, ſcorpiones, baliſtæ, minæ, furores, cædes, &c.
Hieron. minus bene conueniunt cum precibus hora-

riis, breuiariis, & miſſalibus. Caput opertum linteo, galeam recuſat: mollem otio manum, durus exaſperat capulus. Fortior autem miles ex confragoſo venit. Hæc ſunt arma iuſti, ait Amb. vt cedẽdo taceat. Et alibi. Non pila quæ- runt ferrea, non arma, Chriſti milites: ſed dolor, fletus, orationes, lacrymæ fuerunt mihi arma. Talia ſunt munimenta ſacerdotis, &c. *l. 1. offic. c. 5. Epiſt. cõtra Auxentium.*

17. Si tamen hoſtis repentinus obſideat ciuitatem, & iam mœnia ſubierit, homines ſacri vim & debent & poſſunt repellere, idémque præſtare quod bonos ciues deceat. Vbi verò acceſſerint alij milites, ad munus proprium redire. Præterea vbi de Religionis agitur periculo, hoſtéſque velut Turcæ, Saraceni, Hęretici, catholicorum partes, vrbes, Eccleſias euaſtare conantur, non dubito ſummum Eccleſiæ Pontificem eis concedere poſſe, imò & iniungere, vt cum piis ciuibus illos repellant, & armis impetum repellant. Nam & Moyſes & Leuitæ, cæciderunt viginti tria millia apoſtatarum Iſraëliticorum. Phinees zelo Dei accenſus, ſcortatorem cum ſcorto ſuo perfodit. Elias auxiliante pio populo, miniſtros Baaliticæ perfidiæ occiſione occidit. Ioiada pontifex Athaliam interemit, & Samuel Leuites impium Agag de medio ſuſtulit. Machabæi ſacerdotes multis infidelibus proſtratis, clara de his trophæa reportauerunt. Petrus Ananiam & Saphiram morte multauit. Paulus excæcauit Elymam: & aliquot alios tradidit Satanæ, omnium tortorum ſæuiſſimo. *Exod. 32.*

18. Et vt digreſſioni finem imponamus, quidam

eorum in caſtris & poſſunt & debent eſſe, non tamen vt pugnent, ſed vt doceant & inſtituant de officio ſuo tam imperatores quàm milites, ad eos de pietate & fortitudine conciones habeant, & Sacramenta cùm opus fuerit, eis adminiſtrent. Sic enim Deus iuſſit, vt in caſtris
Num.10. eſſent Sacerdotes, qui clangerent tubis, &c. Et Dauid in caſtris ſuis ſemper habuit Abiatharem ſacerdotem, qui ſolus cædem Nobe effugerat, &c. Itaque bellum iuſtum, nec Chriſtus prohibet, nec hoc loco vetat diuus Iacobus: ſed damnant iniuſta, quibus & pij vi magna opprimuntur, & leges omnes calcantur, & non pacis bonum quæritur, &c. Nunc de litibus eſt diſſerendum.

DE LITIBVS.

1. LIs ſeu controuerſia Hebręis dicitur, *Rib.* & *Matſtſah*, à *Rab*, & *Hitſtſah*, diſcepto, contendo, ſiue id in foro ſit, ſiue extra forum. Græcis, δίκη, iudicium, cauſa, actio: à δικάζω, ius dico, iudico, diſcepto controuerſiam: & δικάζομαι, in ius voco, litigo, iudicio contendo. Hîc eſt μάχαι conflictus, prælia, A verbis μαχάω, pugnare cupio: & μάχομαι pugno, contendo, rixor, altercor, quod etiam verbis & ſcriptis contingit. Latinis, lis dicta eſt à limitibus, quòd primæ inter homines lites de limitibus fuerint. Volũt etiam ſic Litem differre à Iurgio, vt hoc inter beneuolos ſit: illud autem vt grauior diſceptatio, inter inimicos. Hinc Tullius: Si iur-

gant, beneuolorum concertatio eſt: nam lis inimicorum, non iurgium dicitur.

2. Hîc autem diſceptatur, an liceat viro Chriſtiano, aut de rebus capitalibus, aut ciuilibus aduerſus alium iudicio foroque publico contendere: & qua forma & ratione id fieri permittatur? Primò autem videtur id piis hominibus omnino interdictum eſſe: quãdoquidem Chriſtus dixerit: *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente: Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, &c.* His enim videtur non ſolùm Chriſtianos ab omni forenſi litigio reuocare: ſed etiã ne iniuria affecti in veſtimentis & corporibus, vllam vltionem requirant, prohibere. Apoſtolus quoque mentis Dominicę interpres optimus ſcribit, *Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Omnis ergo accepta iniuria eſt condonanda, & omne damnum illatum patienter ferendum: non pro his litigandum.

Matth.5.

1.Cor 6.

3. Accedit, quod idem Apoſtolus, mẽtis Diuinæ conſcius, docet Seruos Dei non debere eſſe contradicentes, ſicut nec fraudantes: inſuper, fugere eas quæſtiones, quæ generant lites. *Seruum Domini*, inquit, *non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes.* Vult quoque Epiſcopum non eſſe litigioſum. Timet etiam ne contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones inue-

Tit.1.

2.Tim.2.

1.Tim.3.

2.Cor.12.

niat inter Corinthios: quibus apparet Spiritum ſanctum à cunctis litibus abhorrere, atque ſic vniuerſis Christianæ pietatis profeſſoribus illicitas eſſe.

4. Si quis autem putet illas veteris Teſtamenti authoritate confirmatas fuiſſe, longè fallitur opinione, quandoquidem nihil ferè frequentiùs ibidem damnatur & prohibetur. Ait namque Salomon: *Ne contendas cum peſſimis, nec æmuleris impios.* Et alius Sapiens, *Non contendas cum homine locuplete, ne fortè contra te conſtituat litem tibi.* Et priſcorum Iudæorum Deus vota & ieiunia tamquã infeſta ſibi repellens, conqueritur: *Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, &c.* Abraham pacis & concordiæ amantiſſimus maluit à nepote ſuo Loth procul recedere, quàm cũ ipſo iurgari, vel litium cauſas pro paſcuis vtriuſque paſtoribus relinquere: adeo pacem familiæ ſuæ cunctis opibus ſuis prætulit. *Nam honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus.*

Prouer.24. *Eccleſ.8.* *Iſa.58.* *Gen.13.* *Prou.20.*

5. His adde, quòd vel minima litigatio, non poteſt ſtare cum beata illa tranquillitate animorum, quæ tantoperè piis viris commendatur: ſed eos diuerſis deſideriis angit, ſolicitudinibus fatigat, hinc inde volentes nolentes diſtrahit pacémque pectoris perturbat. Militat etiam aduerſus præcipuam virtutum caritatem, quæ ſecundùm Apoſtolum, *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, &c.* Hinc prouerbium Gallicum: Centum ac etiam mille litium libræ, nec vnicam vnciam continent veri amoris. Litigantium

1.Cor.13.

tium

tium conſcientias teſtor, ſi vera patientia, vel moderatione gaudeant, quandiu vel litem capitis in aliquem inferũt;aut bona ſua repetunt, ac perſequuntur lite atque iudicio. Eaſdem rurſum appello;ſi non etiam litigando, vim, iniuriam, & id omnino quod ſibi obfuturũ eſt, defendere & à ſe propulſare conétur At hoc Vindicatio illa eſt, quæ Diuinis prohibitionibus aduerſatur. Præterea, vnũ mihi proferant Apoſtolum, Diſcipulum, Martyrem, Confeſſorem, aut priſcorum ſanctorum virorum, qui de caducis rebus iſtis cum proximis litigauerit, aut iudiciis turpibus conflictatus ſit:& ego ſexcentos obiiciam, qui penitus abſtinuerunt. Conſtantinus profectò optimus & maximus orbis Imperator, libellos litigioſos ſibi ab aliquot Epiſcopis oblatos, nec quidẽ legere voluit: ſed flammis abſumendos tradidit, adeò ab huiuſmodi litigiis fuit alienus. *Niceph.*

6. Attendant etiam viri litigioſi, qualem iuris ſui tutelam ac defenſionem capient ab his Iudicibus, qui contra omne phas & ius, pecunia numerata, iura cuique dicendi ab huius ſæculi Satrapis poteſtatem coëmerunt? Qui paternas facultates in hunc finem vel diſtraxerunt, vel ære alieno oppignerarunt, vt ſacra tribunalia non tam inuaderent quàm ſua iniquitate, ambitione, & rapacitate conſpurcarẽt? Qui omni poſito Dei timore, omni iure poſthabito, in hoc tantùm ſunt, vt omnium rerum affluentibus copiis ditentur? Qui muneribus omnia vendunt?

7. Accedit & hoc malũ,quòd cuique ius ſuum ſimpliciter & breuiter exponere in Senatibus nunc minimè datur:ſed magna mercede Cauſidici linguam & induſtriam redimas oportet, qui leges quaſcunque pro libidine fingat & refingat,iniquis diuerticulis illas aut refugiat,aut fraudulentam litem proroget. In foro altùm vociferet, litigando ſit audax, linguæ volubilitate nihil non clamãdo poſſit. Quãuis iniquam cauſam defendendam ſuſcipiat,& iudiciorum præſtigiis altera iuſtáque præferat: vera, dubia & iniqua dicendo faciat, ipſamque æquitatem & iuſtitiam ſuiſmet armis peruertat, profliget, proſternat. Hoc enim nũc eſt artificium plurimorum,apud quos Iuſtitia nihil eſt, niſi publica merces. Et Iudex in cauſa qui ſedet, empta probat. Quinetiam ſilentia ſua precio exponunt. Nam vt nullus eorum loquitur niſi ad mercedem,ita nec tacet niſi ad præmium. Exemplum ſequũtur Demoſthenis,qui cùm Ariſtodemum fabularum authorem interrogaſſet, quantum mercedis,vti ageret, accepiſſet; & reſponderet ei,Talentum:at ego,inquit Demoſthenes, plus accepi,vt tacerem.

Diogenes Laërt.

8. Necdum miſeriarum quibus infelices litigatores ſeſe inuoluunt,finis. Litiũ initiis,oportet eos Cognitores cauſarum,ſeu Procuratores, nec ſine pecunis ac muneribus, adire: arcana rerum ſuarum eis reſerare, vt illa cauſidico renuncient,inſtent,vrgeant, cauſas curent, & inſtitoriam operam ſuam miſeris contentioſis nauent. Hos niſi tam bene nummatos, quàm

capillatos & barbatos reddideris, aut cauſa tua neglecta iacebit, aut certè aduerſario tuo prodetur. Adſint quoque Perſcriptores (Notarios appellant) neceſſum eſt, qui pacta decretáque chartis conſignent. Sed qua fide id perſæpe faciant, illud ſatis indicat, quod nullum ferè inſtrumentũ edaut, quin rurſum litem conteſtari neceſſe ſit, ſiquis inſurgat aduerſarius. Nam aliquid omiſſum dicet, aut falſum, aut fraudem ſubeſſe: aut aliam exceptionem opponet, qua inſtrumenti, aut Notarij fidem oppugnet. Quid demum? Non iuxta ſacrarum legum pręſcripta: ſed Principum placita, & cum pecuniæ iam defecerint, talem qualem litis finem conſequeris, ſi tamen ante finem videndi conſequaris.

Quid ergo? Non prorſus litigandum? Non ſúſque déque ferenda omnia? Non legitimi Magiſtratus aut negligenda, aut tollenda officia? Abſit: nam leges, & Iudices, Deus opt. & max. in bonũ humani generis inſtituit, vt omnia ordine fierent, ſuumque ius cuique redderetur. Nec impunita voluit eſſe publica ſcelera, quibus humana turbatur tranquillitas: ſed per æquos Iudices vindicari: quinetiam quales eligendi & conſtituendi ſint, palam edixit: atque inter eos ſe futurum & iudicaturum eſſe pronunciauit. Moſes primò per ſemetipſum Iſraëlitarum lites diremit: deinde Septuaginta viros pietate inſignes in partem ſolicitudinis aſciuit. Salomon Diuina ſcientia colluſtratus, etiam duas meretrices diu coram ſe litigantes patienter tulit. Reges ideo conſtituuntur, vt tam per

Exod. 18. Deut. 5. Pſ. 81.

3. Reg. 3.

*Matth.*17. ſeipſos, quàm per vicarios faciant iudicium &
& 22. iuſtitiam. Chriſtus leges Cæſareas & politicas
Io. 19. potius confirmauit, quàm infirmauit. Paulus
Rom. 13. docuit Poteſtatibus ſublimioribus obediendum non tantùm propter iram euitandam, ſed
Act. 25. etiam propter conſcientiam. Vt ſuam vitam ſeruaret, à Præſide corrupto, prouocauit ad Cæſarem. Plurimi & ſancti viri ſub Regibus etiam impiis, Magiſtratum cum laude geſſe-
Act. 13. runt. Sergius, Paulus, Cypri Procõſul, ad Chriſtum conuerſus, non illico ſeſe Magiſtratu ab-
4. *Reg.* 4. dicauit. Eliſæus ad agendum cum magiſtratu, pro rebus viduæ hoſpitis ſuæ, ſponte ſe obtulit. Fieríque poteſt, vt pauperem, pupillum, peregrinum, & viduam, non poſſis ab opprimentibus eripere, niſi publica iudicia imploraueris. Ergo cùm proximus non poteſt adduci, vt ab inferendis ceſſet iniuriis, vel aliena reſtituat, non impium fuerit, vt ad officium Magiſtratus authoritate cogatur.

10. Sed quas adhibeas in litibus cautiones attende: primùm, ne mímium confidas in *Prin-*
Pſ. 145. *cipibus, & filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.*
Pſ. 115. *Omnis homo mendax & fallax. Maledictus homo qui*
Ierem. 17. *confidit in homine, & ponit brachium ſuum carnem.* Hinc, Caritatis Chriſtianæ iura ſeruato, vt non hoſtis loco eum ducas cum quo litigandum eſt. Inde, prius animi tui vires & conſilia diligenter expende, ne odio, inuidia, maleuolentia, ambitu, aut alio iniquo affectu ad id commouearis. Præterea, ne ad tribunalia properes, vt vel cenſus tuos augeas, vel patrimonium tuum

dilates,vel denique proximum tuum domo, facultatibúſque cunctis exutum,procul à finibus tuis expellas: ſicque agrum agro coniungas, & domum ad domum copules,quaſi ſolus habitaturus eſſes ſuper terram. Hanc enim feralem immanitatem vlciſcitur Deus omnipotens, qui eripit pauperem à potente, & hunc pauperem,cui non eſt adiutor:& humiliat calumniatorem,&c. *Iſa 5.* *Pſal.71.*

11. Omnia ergo prius tentes pacifica & honeſta remedia, quàm iudicio Magiſtratus rem experiaris: ſtudeáſque vt per arbitros & communes amicos controuerſiam componas. Iſtud enim piis Magiſtratibus non erit ingratum: quandoquidem illos magnis curis & difficultatibus liberaueris. Poteris etiam per amicos internuncios aduerſarium hortari, ne caritatem violet;ne magis ſua quærat,quàm ea quæ Dei ſunt;ne magnis impenſis vtrique premantur:ne fallaci, incertóque hominum corruptorum iudicio ſummam rerum ſuarum committat. Nam fortaſſis,harum & ſimilium commemoratione,illius franges duritiem,& ad pacem animum reuocabis.

12. In animum denique velim inducas, Litibus carere, beatæ vitæ mortalis maximam partem eſſe,vel Poëta iudice: Vitam quæ faciunt beatiorem,hęc ſunt:Lis nunquam,toga rara, mens quieta, &c. Quoniam verò non erit difficile viris eruditis, argumentis initio in lites adductis reſpondere, ad inter miſſum Apoſtoli contextum redeo.

2. *Concupiſcitis,& non habetis: occiditis, & Zelatis, & non poteſtis adipiſci. Litigatis & belligeratis: non habetis propterea quòd non poſtulatis.*

Iam quatuor genera pecatorum hîc damnantur, nimirum, concupiſcentiarum vanitates,homicidia, æmulationes, lites pernicioſæ: quæ tunc, ac etiam nunc cordibus animíſque mortabilium damnabiliter nimiùm adhærent. Senſus eſt: Magnifica quidem conamini & & tentatis in mundo efficere, vt ipſi & magnifici & glorioſi videamini: ſed mirificè veſtro propoſito fruſtramini:ex quo cęcitas & vanitas veſtra cunctis innoteſcit, & meritò ab omnibus traducitur. Interea tamen non reſipiſcitis ab inſania veſtra: ſed adhuc in grauiora impingitis ſcelera,qualia ſunt odia fraterna, homicidia, inuidiæ planè diabolicæ, lites capitales, & pro rebus leuiſſimis crudeliſſima certamina. Dum non aſſequimini quod appetitis, exardeſcitis iracundia & ſtomacho, protruditis competitorem, inuidetis aſſecuto, cum eo litigatis, eumdem lethali odio perſequimini. Cupiditates tumultuantur in pectore, lingua detrahit, in eum ſpumant ora, ardent oculi, ſæuit animus,manus ad vindictam armantur, eandémque cùm poſſunt,inferunt. Ita nec cuique ſecum pax eſt, neque cum alio: atque ſic nec inſatiabilibus deſideriis ſuis faciunt ſatis, & cæleſtia ſempiternáque bona penitus amittunt.

Primò autem ex his obſeruandum, impios

iuſto Dei iudicio, prauis deſideriis ſuis tandem fruſtrari: quod ſi ad tempus iis aliquando gaudeant, lætitia ea breuiſſima eſt, triſtiſſimóque fine clauditur. *Concupiſcitis*, ait Apoſtolus terrena, caduca, prohibita: & tamen *non habetis* ea, vel iis diutius non datur frui. Hoc etiam Pſaltes canit: *Deſiderium impiorum peribit. Ducunt in* *Pſal.*111.
bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *Iob* 21.
Saul & Hamam percupierunt perdere Dauidem & Mardochæum, omnémque mouerunt lapidem vt deſideriis ſuis potirentur: ſed omnino fruſtrà. Petulantes peruerſique duo iudices Iſraëlis pudori Suſannæ vim inferre cu- *Dan.*13.
pientes fraudati ſunt à deſideriis ſuis. Diues *Luc* 12.
cupiens gaudere bonis repoſitis in plurimos annos, illico raptus eſt ad diuinum tribunal. De quolibet auaro dicitur: *Theſaurizat, & ignorat cui congerat ea, &c.* De iuſtis autem qui diuini amoris & timoris fræno deſideria ſua coërcent, ſcriptum eſt: *Deſiderium pauperum exaudiuit Do-* *Pſal.*10.
minus. Qui replet in bonis deſiderium tuum. Oran- *Pſal* 103.
dum igitur cum Siracide: *Domine pater, & dux*
vitæ meæ, omne deſiderium prauum longè fac à me, *Eccl.*23.
&c.

His quoque ſignificat Apoſtolus, inexplebilem eſſe hominis animum, vbi improbis cupiditatibus indulget. Nam qui ſuos appetitus licenter graſſari ſinit, nullum vnquam habebit concupiſcendi modum. Quinetiam ſi mundus illi daretur, cuperet nouos ſibi creari mundos in quos inuaderet, vt de magno fer-

tur Alexandro. Hanc inſatiabilem hominum cupiditatem plurimis coarguit Sapiens,
Eccl.4. cùm ait, *Conſideraui & aliam vanitatem ſub Sole, Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur*
Eccl.5. *oculi eius diuitiis.* Et rurſum, *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et hoc ergo vanitas.* Et antea. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Scitè Auguſtinus, Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Et alibi non ſemel, Omnis copia quæ non eſt Deus meus, mihi egeſtas eſt.

Eccl.1. L.1.cōf.c.1. L.ſoliloq.c.13. Medita.c.8.

Pergit Apoſtolus, *Occiditis & Zelatis.* Græca exemplaria nunc habent, φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, inuidetis, & ſtudioſè affectatis. Græca tamen ſcholia locum exponunt de cædibus & bellis ſpiritualibus, quibus necantur animæ. Inuidetis aliis lautiorem fortunam, eóſque hoc nomine illos odiſtis, & cùm datur, occiditis voto & opere: inſuper, iugi æmulatione torquemini: neque tamen inde quicquam veſtris facultatibus accedit. Omne igitur coarguitur homicidium, ſiue ſpiritale ſit, (veluti eſt odiũ proximorum. *Nam qui odit fratrem ſuum homicida eſt*)
1.Io.3. ſiue corporale. Item, ſiue affectu, ſiue effectu, ſiue gladio, ſiue veneno, præcipitio, laqueo, conſilio, ſeu quouis alio modo procuretur. Eſt enim grauiſſimum ſcelus, primùm eò quòd aduerſus hanc naturę legem pugnet, *Non facias aliis, quod tibi fieri non vis.* Eaque ratione Deus quondam prohibuerit ſanguinis eſum & vſum, vt

hominem à ſanguine conſortis ſui effundendo reuocaret. Dixerítque, *Qui fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis eius.* Deinde, huic primo & maximo præcepto legis ac Euangelij repugnet, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Præterea, expreſſa ſit in diuinis legibus iſta prohibitio, *Non occides.* Hæc quoque terribilis ſit aduerſus homicidas comminatio: *Qui gladio percuſſerit, gladio peribit.* Denique, *Homicidis, & beneficis,* ait Ioannes, *pars erit in ſtagno ignis.*

Gen. 9
Exod. 20.
Deut. 5.
Matth. 5.
Matth. 26.
Apoc. 21.

Zelus quoque malus, id eſt, inuidia, quæ triſtitia de bono alterius, inquantum æſtimatur diminuere gloriam propriam, damnatur, diſtrictéque prohibetur, non ſolùm vt capitale vitium, verumetiam tanquam fons plurimorum aliorum criminum. Ex inuidia etenim oritur Suſurratio, qua quis ſtudet minuere gloriã alterius in occulto. Hinc detractio, qua quis alterius famæ apertis verbis detrahit. Inde, Exultatio in aduerſis proximorum, & Afflictio in proſperis illorum. Præterea, Odium, quo quis alteri exoptat mala. Inde lites, bella, cædes, & omne genus malorum. Hanc & Paulus prohibet, D. *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicẽ prouocantes, inuicem inuidentes.* Inuidia vitium eſt diabolicum, inquit Auguſtinus, quo ſolo diabolus eſt reus, & inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur, vt damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti, villam alienam rapuiſti: ſed, homini inuidiſti, &c. Superemus itaque hoc vitium, dum adhuc viuimus, ſcribit Bernardus, ſi poſt mortem volumus miniſtrum tantæ ne-

Gal. 5.
L. de doct. christiana
Ser. 13. *in Pſ.* 90.

quitiæ non timere.

Damnat quoque Apoſtolus perniciosas lites illas, quibus acerbioribus animis & verbis inter ſe homines ſuperbi ac contentioſi, tanquã exertis gladiis confligũt & pugnant, dum quiſque aliis oppreſſis, emergere ſtudet. Has Paulus

1. Tim. 6. vocat λογομαχίας, *pugnas verborum*, adfirmátque ex his naſci inuidiam, maledicentiam, ſuſpiciones malas, &c. quæ homini pio penitus ſunt fu-

2. Tim. 2 gienda. Nam ſeruum Dei non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patiẽ-

Ibidem. tem, &c. Et rurſum. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.*

Tit. 3. Præcipit etiam Tito quoſlibet Chriſtianos admonere, neminem blaſphemare, non litigioſos

1. Tim. 3. eſſe, ſed modeſtos. Vult denique paſtorem & doctorem eccleſiaſticum, non eſſe litigioſum.

L. præſcript. Tertullianus plurimis & grauiſſimis docet, non eſſe verbis contendendum & litigandum cum hæreticis: ac in eis, quòd in ipſo congreſſu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.

Quæ igitur cupimus, ſecundùm Deum cupiamus, atque diuinæ voluntati eius omnia vota & deſideria noſtra ſubiiciamꝰ. Nõ illicitis mediis, veluti fraudibus, impoſturis, rapinis, cædibus, violentiis, quæramus, ſed à Deo cunctorum bonorum fonte vberrimo poſtulemus quæ ad be-

Deut. 32. ne beatéque viuendum putabimus eſſe neceſſa-

1. Reg. 2. ria. Ipſe enim pauperem facit & ditat: humiliat,

Pſ. 112. & ſubleuat: mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

3. *Petitis,& non accipitis,eo quòd malè petatis: vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

Præoccupatio eſt, quæ diluit illa quæ aduerſus ſuperius membrum poterant obiicere. Non poſtulamus? Imò ſtudioſè & aſſiduè precamur omnes. Attenuati ſunt oculi noſtri ſuſpicientes in excelſo. At, nihil prodeſt, ſi rogauerimus. Reſpondet;Hoc quidem vobis in genere concedo:ſed non oratis quod opórtet,& quomodo oportet. Siquidem aut noxia petitis pro ſalubribus,aut petitis de poteſtate &bonitateDei diffidentes,aut in vſum impium petitis: nimirum vt quod ex benignitate contigit ad ſubleuandum neceſſitatem, aut egeſtatem proximi refocillandam,id explendis voluptatibus veſtris inſumatis. Nam auarus Deum rogat, vt ſuas fortunet opes ac vſuras: fur & prædo, vt pretioſum quiddam obiiciat quod rapiat:ſcortator, vt elegantioribus mulierculis potiatur: Ambitioſus, vt maiores dignitates & honores conferat: guloſus, vt copioſas meſſes & vini abundantiam largiatur:aliíque conſcelerati flagitiorum ſuorum materiam Deo commendant,ac ſi illorum patronus & fautor eſſet. Hæc poſtulantes non ſolùm digni eſtis ſeuera repudiatione,verùm & grauiſſimis ſuppliciis: propterea quòd Deum veſtrarum libidinum & voluptatum adminiſtrum facere cupitis. Non ſic, miſeri,non ſic decet homines abuti diuinis auribus: nec tam improbè ſanctum orandi donum Dei profanare. Non enim ad fœdas libidines explendas, nō ad luxum, non ad diſſolutiones,non ad faſtus, aut

ſimiles impios vſus bona terrena Deus creauit: ideo nec ad illicitos vſus illa ſunt poſtulanda.

Eſt itaque ab omnibus Chriſtianis diligenter obſeruanda regula, quàm Chriſtus præſcripſit, & Apoſtoli tradiderunt, videlicet, vt priùs quæ ad ſalutem animorum & vitam æternam faciunt poſtulemus, quàm quæ ad corporum aut caducam vitam iſtam pertinẽt. *Primùm*, ait Chri-

Matth. 6. Luc. 11. ſtus, *quærite regnum Dei, & cætera adiicientur vobis. Cùm oraueritis, Dicite, Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, &c.* Paulus his ad quos ſcribit, primùm omnium precatur Gratiam, pacem, & miſericordiam à Deo, &c.

Matth. 26. Deinde nihil ſecundùm corruptæ carnis affectus poſtulemus: ſed omnia vota noſtra Diuinæ ſubmittamus voluntati & prouidentiæ, cum capite noſtro dicentes: *Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat.* Poſtulandum eſt autem à Patre, ſed

Io. 16 in nomine Filij noſtri ſaluatoris: quod non obſeruatur (authore Auguſtino) cùm aliquid petimus contra rationem ſalutis. Scribit quoque

Tract. 102. in Io.

1. Io. 2. beatus Euangeliſta, *Quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* De improborum

Prou. 28. autem orationibus ait Salomon, *Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

Luc. 9. Petierunt filij Zebedæi ignem de cælo deſcendere in quandam ciuitatem, vt ſuę vltioni & indignationi ſatisfacerent: ſed non fuerunt exaudi-

Matth. 20 diti. Rogauerunt ſedere à dextris & à ſiniſtris in

Matth. 17. regno Chriſti: ſed neſciebant quid peterent.

Poſtulauit Petrus facere in monte tria tabernacula:neſciens quid diceret. Nos omnes quid & & quomodo decet orare neſcimus: ac idcirco neceſſe eſt Spiritum filij Dei inuocare qui in cordibus clamet,qui mentes noſtras illuminet, & orationes dirigat. *Rom.8.* *Gal.4 5.*

Obſeruat D. BERNARDVS illos contra hunc B. Iacobi locum peccare, qui à Deo aut poſtulant non poſtulanda; aut tepidè quærunt, quæ toto affectu, & omni tempore ſunt quærenda. Item,qui terrena vltra neceſſitatem petunt: qui mundi gloriam ſectantur, ac voluptatem: quíque inimicorum mortes poſtulant. Deniqne,& qui illa ſpiritualia dona ſine quibus ſalus conſtare poteſt,vt potè,genera linguarum, gratiam curationum, donum prophetiæ requirunt. *Serm. de.4. modis orãdi*

Notat & B. Auguſtinus ex eodem D. Iacobi loco,etiam pios ac fideles viros plerunque petere,& non accipere,Deo illorum miſerante,ne donis ſuis in damnationem propriam abutantur.Quod Deus videt peti,ait ille, contra ſalutem, non concedendo, exhibet ſe ſaluatorem, veluti medicus nouit quid pro ſua,& quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus. Apoſtolus ter rogauit,vt liberaretur ſtimulo carnis,& à ſe diſcederet angelus Satanæ, nec tamen obtinere potuit. Sic namque illum expediebat exerceri, ne magnitudine reuelationum extolleretur. *Tract.73. in Io.* *2.Cor.12.*

Signat rurſum idem AVGVSTINVS,Deum etiam impiorum vota nonnunquam exaudire:

ſed iratum,& ad grauioris damnationis cumu-
Num.11. mulum;electorum verò ſuorum exercitium.Iſ-raelitæ carnes malo ſuo impetrauerunt, quas culpabili conſcientia petierunt. Siquidem *ad-*
Pſ.77. *huc eſcæ eorum erant in ore ipſorum,& ira Dei aſ-cendit ſuper eos.* Aſpernabantur manna è cælis deſcendens, & inhiabant ei quod appetebat cō-
Iob.1.et 2. cupiſcentia carnis.Satanas expetiuit Iobi facultates diripere,filios ac ſeruos eius delere, iuſtiq; corpus omni diritate vexare & affligere: quod ad perpetuam eius ignominiam; ſancti autem æternam gloriam conceſſum eſt.

Didymus Alexandrinus, quo præceptore D.Hieronymus gloriatur,Com. in hunc locum
Matth.7. quærit; Cùm vera ſit expoſitio Saluatoris: *Petite,*
Luc.11. *& dabitur vobis*; item: *Omnis qui petit, accipit*:quomodo aliqui orantes non audiuntur, vt accipiāt quæ habere poſtulauerūt per ſuam petitionem. Reſpondet Ad hæc dicendum eſt; quoniam qui via congrua ad poſtulandum venit, nihil relinquens eorum quæ pertinent ad impetranda quę cupit omnia,percipit quod ſibi dari rogauit. Si quis autem extra intenſionem traditę petitionis poſcere videatur,iſte neque petere modo debito creditur: & ideo non percipit quod petit, &c.

S. Dionysius Areop. oſtendens Sanctorum virorum preces apud Deum, non eſſe à nobis aſpernandas, ſed potiùs ex animo ambiendas, velut vtiliſſimas: inſuper diſſerens cur Diuini duces ſui, id eſt, Apoſtoli, tradiderint orandum eſſe pro piis & fidelibus defun-

ctis;non autem Prophanis ac Ethnicis vita functis bona cæleſtia precamur;hanc inter alias aſſignat ex hoc loco D. Iacobi rationem, quòd indignè orantes non exaudiremur, ad nóſque non immeritò diceretur eloquium,iuſtitiæ plenum: *Petitis, & non accipitis, quia malè petitis. L. Eccleſ. hier. capitis ſeptimi, parte 3.*

Habes igitur aliquot cauſas, cur non ſemper exaudiamur in precibus. Non quòd Deus inconſtans vel fallax ſit in promiſſis: ſed quòd non rectè petamus. Primò, ſine ſufficienti fide Iac.1. Secundò ſine perſeuerantia.Luc.18.Tertiò,labiis tantùm,non toto corde.Iſa.29.Matth.15.Quartò,cum faſtu&ſuperbia.Luc.18.Quintò ſine contritione & correctione ſuperiorum delictorum. Iſa.1.Sextò,ſcopus orationum noſtrarum non eſt pius, ſed carnis cupiditates ſectamur, Iſa.1. Ierem.7. Ergo adhibitis cunctis cõditionibus & circumſtantiis, preces noſtras ad Deum noſtrum fundamus, & ille proculdubiò tandem illas exaudiet vel ad voluntatem,vel ad vtilitatem noſtram.

4. *Adulteri & adulteræ, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.*

His grauiſſimè coarguit vtriuſque ſexus adulteros, tam mentis,quàm corporis:& in hos Apoſtolica planè authoritate inuehitur, vt iſtorũ ſcelerum indicet grauitatẽ. Deinde ſic argumẽtatur à contrariis; Amicitia mundi non poteſt conſiſtere cum amicitia Dei:Igitur aut vobis eſt deſerendus Deus,vt mundum diligatis:aut mũ-

do valedicendum, vt Deo adhæreatis. Dicit ergo, Semel, cariſſimi, addicti eſtis Chriſto animarum vnico ſponſo, ſemel in eius verba iuraſtis, ſemel corpora & animos ei dicaſtis. Ille vos proprio ſanguine purgauit à cunctis peccatis, Patri ſuo ac vitæ æternæ regenerauit, ſibíque ſacramento deſpondit. Quomodo igitur veſtræ profeſſionis immemores, obliti beneuolentię tanti Sponſi, fidei coniugalis, in adulterinos amores huius mundi relabimini? Quomodo & corpora & animos tam fœdis voluptatibus Satanæ proſtituitis? An non cogitatis, quòd ſicut ſponſa ſi ſe iunxerit adultero, protinus à mariti decidit amore? ita Chriſtianus ſi denuò tentet amicitiam coniungere cum carne, mundo, & diabolo, protinus bellum cum Deo ſuſcipit.

In primis autem hîc animaduertendum, ſcripturas duplicem adulteriorum ſpeciem conſtituere, corpoream & ſpiritalem: vtrãq; verò hoc loco ab Apoſtolo reprobari. Conſtat enim Iudæos ad primam valdè procliues & addictos
Ierem. c. 5. fuiſſe, quoniam de his Dominus cõqueritur:
& 9. *Vnuſquiſque poſt vxorem proximi ſui hinniebat*: ab equorum intemperie, belluinam illorum laſciuiam coarguens & damnans. Et poſtea. *Omnes*
Oſe. 4. *adulteri ſunt, & cœtus præuaricationum.* Denique
Gen. *Sponſæ veſtræ adulteræ erunt.* Conſtat etiã ex ſacris hiſtoriis, Iudam, à quo Iudæa gens appellata eſt, & Dauidem Regẽ quo tãtopere gloriatur; duos
2. Reg. ſenes iudices eiuſdem populi adulteriis infames
Dan. 13. aliquando fuiſſe. Phariſæi mulierem in adulte-
Io. 8. rio deprehenſam ad Chriſtum adduxerunt, &c.

Hoc

Hoc igitur peccatum tam in viris quàm in fœminis execratur & damnat Apoſtolus; docens omnem alienæ carnis amorem eſſe illicitũ, Deo inuiſum, cunctamque extra legitimum concubium, ſexuum coniunctionem eſſe à Deo maledictam & reprobatam. Eſt enim huiuſmodi adulteriũ, alieni thori violatio: quæ plurimis legibus prohibetur. Aiunt etenim: *Non mœchaberis. Non deſiderabis vxorem proximi tui.* Iſtius ſceleris authores adiudicat morti, dicentes. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, morte moriatur mœchus & adultera.* Et rurſum. *Maledictus qui dormierit cum vxore proximi ſui.* Et dicet omnis populus, Amen. Quinetiam ex liberis ex adulterio natis, quantumuis peccati adulterantium parentum expertibus, vitam progeniemque breuiſſimam comminatur Deus dicens. *Filij adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.* Et iterum. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.* Filiolum ex Dauidis & Berſabeæ adulterio natum, mox percuſſit Dominus: ſed & plebis 70. millia virorum: vt non putent Principes adulteria ſua peccata eſſe leuia, vel impunita ſemper manſura. Paulus denique ſcribit. *Adulteri regnũ Dei non poſſidebunt, fornicatores & adulteros iudicabit Deus.*

Exod. 20. Deut. 5. Leuit. 20. Deut. 22. & 27. Sap. 3. Sap. 4. 2. Reg. 1. Cor. 6. Heb. 13.

Adulterium ſpiritale committitur quolibet peccato mortali, quo anima deficit ab vnico & vero ſponſo ſuo Chriſto: maximè autem, cùm à vera fide & religione, per quam ei deſponſatur, ad hæreſim & infidelitatem turpiter deſciſcit.

Sic que adulteri ſunt auari, ambitioſi, guloſi; quippe qui mundi opes, honores, cibos Diuino timori, amori, & cultui præferunt: quo ſenſu Iudæos Chriſtus *generationem prauam & adulteram* appellauit: Paulus quoque dixit Pſeudoapoſtolos, *Adulterare verbum Dei*, i. deprauare, corrumpere, in alienum ſenſum trahere. Transfertur & ad alia: vt adulteria naturæ dicuntur, opera non verè naturalia; adulteria mercis, pro fraude: adulteria arborum, pro inſitionibus, apud Pliniũ: adulterare iudicium, adulterare tabulas, adulterare monetam, &c. Veteres prophetæ adulterij & fornicationis nomine, frequenter intellexerunt omnem hæreſim, & à vera Dei religione apoſtaſiam, Deut. 30. Iudicum 2. Iſa. 23. & 57. Ieremiæ 3. & 9. & Ezechiel. 16. & 23. Oſeæ 4. & 7. Et hanc adulterij ſpeciem abominatur, fugiendámque docet Apoſtolus: quandoquidem hi qui ſe illa commaculauerint, tanquam à Deo recedunt, inimici eius conſtituuntur, & in aduerſarij eius, id eſt, Satanæ caſtra, vt transfugæ ſe recipiunt.

Matth. 12. *2. Cor. 2. & 4.*

Attende autem quibus titulis ac nominibus prauos & flagitioſos Chriſtianos compellet. Iã non cariſſimos, nõ fratres, non amicos appellat, vt antea: ſed neque Chriſtianorum nomine dignatur illos: facta quippe reclamabant. Titulus quidem Chriſtianorum audiebatur; cæterùm adulterórum, adulterarum, perfidorum, apoſtatarum opera videbantur. A quanto honoris & dignitatis culmine, peccatis ſuis decidit homo; vt pro Dei filio, & Chriſti filij eius cohærede,

amico, & fratre, perfidus apoſtata, & turpiſſimus adulter ſit, ac nominetur? Comparetur iumentis inſipientibus? ? Fiat ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus? Immunditiâ, ſit canis: fœditate, ſus in volutabro luti: fraudibus, vulpes: rapacitate, lupus: ſtupiditate, aſinus: feritate, vrſus: ferocia, leo rapiens: apoſtaſia & malitia, diabolus? Quis à tam infamibus nomẽclaturis non abhorrebit? A vitiis & peccatis ergo toto corde abhorreamus. Pſ. 48. Pſ. 31.

Ob hanc Apoſtoli ſententiam vnumquemque noſtrum his hortatur AVGVSTINVS, Nolite fratres, mundũ diligere, quẽ tanta cernitis cum velocitate tranſire. Nolite in eius amore ancoram cordis iam figere, quem ſic ad finẽ conſpicitis declinare: præſertim cùm Apoſtolus Iacobus clamet, *quod amicitia huius mundi inimica ſit Deo.* Si enim ipſe mundus nos diligeret, diligendus tamen non eſſet. Quanto magis nũc dum ipſe nos odio habere probatur, quos tantis malis inſequitur, à nobis omnino ſpernendus atque fugiendus eſt? L. de vanitate ſæculi, c. 1.

DAMASCEN. eidem laudatæ D. Iacobi ſentẽtiæ, hanc Ioannis ad mundi contemptum adhortationem connectit, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Dei in eo: quia omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Addit & iſtam ex D. Chryſoſtomo, mũdi aſſiduam mutabilitatem & inconſtantiam. Vide, cariſſime, an non res humanæ mare imitentur: an non in terra magis quàm L. 1. paral. c. 57. 1. Io. 2.

mare, iactemur: an non quouis vento vehemẽtius in nos mutuò occuramus. Hic illius agrũ rapuit, ille alterius terram abſtulit: alius proximi ſui vxorem cõcupiuit: alius cuiuſdam famulos abripuit. Hic de aqua cum vicino litigat, ille de aëre digladiatur. Hi de terræ menſura cõflictantur, illi ob ædium conſtructionem ſe ſe inuicem opprimũt. Qui eget, probro afficitur: qui opibus affluit, inſidiis appetitur. Qui imperio potitur, conſpirationibus obnoxius eſt: qui magiſtratus gerit, inuidia flagrat: qui potentia pollet, odio eſt. Bella continua ſunt, cædes aſſiduæ, inſatiabilis cupiditas tyrannidem exercet, auaritia principatum tenet, mendacium attolitur, Mutua fides fugam cepit, veritas terram deſeruit, amicitia mẽſis circunſcribitur, ſalutationes ſuſpicione plenæ ſunt. Ad hunc igitur modum cùm omnes in vitiis volutemur, Propheta vitam humanam aſpernans, in hæc verba
Pſ.38. clamat: *Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens, &c.*

Obſeruandum præterea omni ſtudio atque diligentia à nobis ſeruandum eſſe pactum illud, quo nos Chriſtus ſibi per regenerationis ſacramentum coniunxit, de quo ſcribitur,
Oſe.2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus.*
Matth.9. Et in Euangelio, *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere quandiu cum illis*
2.Cor.11. *eſt ſponſus?* Et Paulus, *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Nam verè adulteri

& adulteræ ſumus, quicunque illa quæ tum ſanctè promiſimus, non ſeruamus.

Meditandum poſtremò, tale eſſe mundi cum Deo diſſidium, vt conuenire non poſſint: ſed quantum quiſque in mundum inclinat, tantundem à Deo alienetur. Chriſtus namque ait, *Non poteſtis duobus Dominis ſeruire, Deo, & Mammonæ.* Et Paulus: *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Hinc Auguſtinus. Nimis te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te amat. *Matth. 6.* *2. Cor. 6.* *L. ſoliloq. c. 19.*

5. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis?*

Vehemẽti interrogatione confirmat, & ſacræ Scripturæ authoritate perurget, premítque vniuerſorũ hominum cõſcientias fateri, Amicitiam huius mũdi aduerſari Deo, ac idcirco fugiendam eſſe. Rogat igitur, Quis tam cæcus & vecors eſt, qui non videat & ſentiat hoc verum eſſe? Quis non ipſa experientia victus iſtud non concedet? An putatis ſine cauſa ſcriptum eſſe in ſacris voluminibus, quòd ſpiritus qui habitat in nobis, cõcupiſcit ad inuidiam?

Quoniam autem vox, *ſpiritus*, poteſt vel de Spiritu ſancto, vel ſpiritu humano intelligi, duplex eſt huius loci interpretatio. Prioris ſenſus eſt; Docui vos quàm turpe ſit, & quàm graui dãnatione dignum, animam cum Chriſto deſpõſatam, eodem derelicto, cum iniquo Mammona cõmercium habere, cum mũdo fornicari & lu-

xuriari,cum Satana principe huius mũdi lenocinari. Hoc nec fabuloſum eſt,nec inane terriculamentum. Non fallit vos Scriptura dicens, Spiritũ Dei in vobis per gratiam inhabitãtem, eſſe animarum veſtrarum nimio zelo ardẽtem. Æmulatur vos Dei æmulatione. Ad inuidiam, id eſt, per zelotypiam cõcupiſcit vos ſæculũ nõ amare,ſed Chriſtum:fidem illi datam inuiolatã ſeruare,nõ ſęculi amoribus violare aut frãgere, Alludit vero ad has Scripturas: *Deus tuus,fortis, Zelotes,Dominus, Zelotes nomen eius.Deus eſt æmulator.Zelatus eſt Dominus terram ſuam ,zelatus ſum Ieruſalem & Sion Zelo magno.* Quibus indicat Deus ſe pro ſuo in nos amore flagrantiſſimo,non parum cõmoueri ac ſuccenſere,ſi cum mũdo,carne,vel diabolo hoſtibus ſuis nuptiarũ fœdera ſanxerimus. Hos ſibi corriuales adiici nunquã patienter feret. Summa poteſtas eius impatiens eſt cõſortis. Ait enim, *Ego Dominus,gloriam meam alteri non dabo.&c.* Huic itaque ſoli animarum noſtrarum legitimo ſpõſo,toto pectore adhæreamus: ipſúmque diligamus ex toto corde , ex tota anima,ex omni mente,& ex omnibus viribus noſtris.

Exod. 20. *Exod. 34.* *Ioel. 2.* *Zach. 1.*

Sin verò, *ſpiritus*, pro humano , eodémque propter corruptæ carnis intimum cõmercium ad omne malum nimis facili atque propẽſo ſumatur, ſenſus erit: Non fruſtà viri Iudæi, non fruſtrà Scriptura diuina corruptionem carnis humanæ, & deprauationem humanorũ affectuum toties arguit & damnat. Ait enim Bibli-

orum libro primo, *Omnis caro corrupit viam ſuam. Omnis ſenſus & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Et iterum. Non eſt qui faciat bonum. Omnes declinauerunt, & inutiles facti sũt. Omnis homo mẽdax.* Huic accedũt varij, & maligni ſpirit⁹ vertiginis, erroris, ſoporis, mẽdacij, fornicationis, ſuperbiæ, auaritiæ, immũditiæ, ſeruitutis: quibus ad ad vitiorum procliuitates accenduntur & multiplicantur. In primis autem ad inuidiam & maleuolentiam, innumerabilium malorum fontes, homines inuitant, rapiunt, impellunt. Sunt igitur magno & iugi ſtudio cauendi.

Gen. 6. et 8. *Pſ. 13. & 115.* *Iſa. 19. & 28.* *Ezech. 16.* *3. Reg. 22.* *Oſe. 4. & 5.* *Gal. 4.*

Ex his primò notandum, in Scripturis ſacris nihil prorſus inaniter, nihil niſi magna hominum vtilitate dictum eſſe. Ait namque Apoſtolus, *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.* Iterúmque, *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus.* Enimuero magnis contumeliis afficeretur Spiritus ſanctus, illarum præcipuus author, ſi diceretur aliquid vanum & inutile ſanctis hominibus inſpiraſſe.

Rom. 15. *2. Tim. 3.*

Videmus ſecundò, cauſam cur inter Deum & hunc mundum, id eſt, homines mundi voluptatibus deditos, minimè conueniat. Nimirum, quòd Deus velut ſolus pater & ſpon-

ſus, ſolus velit amari & coli: homines è contra ad quæque ſcelera, inuidiam maximè, præcipites
Pſ.13. ferantur. Hanc illorum miſeriam deſcribens Pſaltes ait, *Omnes declinauerunt, &c. Sepulchrum patens eſt cor eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, &c.* Hinc Auguſtinus
L.4.cōf.c.1 communem hominum prauitatem in ſeipſum transferens, ait: Quid ego ſum mihi ſine te,
L. Soliloq. c.15. Domine, niſi dux in præceps? Aut quid ſum cùm mihi bene eſt, niſi ſuggens lac tuum? Et alibi noſtrum omnium nomine profitetur, Quòd cecidi, fuit ex me: & quòd ſurrexi, ex te. Si quando ſteti, per te ſteti: ſed quando cecidi, per me cecidi: & ſemper in luto iacuiſſem, niſi tu me excitaſſes. Sic ſemper gratia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, ſaluans à præteritis, ſuſcitans à præſentibus, & muniens à futuris, &c.

Gal.5. Perſpicimus quoque, vnde ſit in nobis ſtudium rerum ſpiritalium ac diuinarum. Non vtique ex corrupta carne noſtra, quæ *concupiſcit aduerſus ſpiritum*: non ex ſolo animo, qui huiuſce carnis deſideriis rapitur in malum: ſed à Deo, qui hanc per Spiritum ſanctum gratiam
1.Cor.2. largitur. Etenim *non ſumus ſufficientes cogitare*
2.Cor.3. *aliquid ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo*
Philip. *eſt, qui dat velle & perficere.* Tu enim, Do-
L.1.confeſſ. c.1. mine, ſcribit Auguſtinus, excitas, vt laudare te delectet, &c.

Diſcimus etiam in illa carnis & ſpiritus lu-

cta perpetua, nobis cunctis viribus enitendum eſſe, vt glorioſam victoriam ſpiritus conſequatur. Nam ſi ſecundùm carnem vixerimus, moriemur: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuemus. Agar ancilla ſuperbiens aduerſus dominam, id eſt, caro noſtra, egregiè vapulet: vel cum filio ſuo, id eſt, prauis deſideriis, eiiciatur forâs: & Sara, recta voluntas in animæ regno principatum teneat.

Rom. 8.
Gen. 16.

Intueamur rurſum, amorem Dei erga nos longè maximum, & ſuprà quàm dici poteſt, flagrantem eſſe oportere, quando amori zelotyporum (qui omnium ardentiſſimus & vehementiſſimus eſt) in ſacris litteris comparatur. Ideo Chriſtus illum ſimul admirans & nobis exponens dicit, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, &c.* Et de propria ſua in nos dilectione, inquit, *Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Meritò igitur ad tantum amorem obſtupeſcens Chriſtiana Eccleſia, poſt pontificem ſuum Gregorium ad Deum exclamat, O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! Vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti. Et Auguſtinus velut extra ſe raptus ſic loquitur: Quomodo nos amaſti, Pater ſancte; quantum nos dilexiſti, pie conditor qui etiam proprio Filio non pepercisti? Et alibi, Dilexiſti me, Domine, pluſquàm te, quia mori voluiſti propter me. Ad quid verò tantus amor, niſi vt à nobis redametur? Nam amat Deus, ſcribit idem ſanctiſſimus Antiſtes,

Io. 3.
Io. 15.
l. Meditat. c. 13.
Rom. 8.
Soliloq. c. 13.
Manual. c. 20.

vt ametur. Cùm amat, nihil aliud vult quàm amari, ſciens amore eſſe beatos, qui ſe amauerint, &c.

6. *Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Præoccupatio eſt, qua ſoluit quod obiicere potuiſſent, nimirum, Arduum eſſe, aut etiam impoſſibile videri, omnem mundi huius amicitiam extinguere, vt vni & ſoli Deo amore inhæreamus. Vult ergo dicere, Quod à vobis requiro, Fratres, nemo, fateor, corruptæ naturæ viribus præſtare poteſt: ſed Deus, modò ſibi ipſi non deſint homines, potentiſſimæ gratiæ ſuæ donis aderit. Cauſas ergo peccandi fugiant, de peccatis præteritis ſeriam pœnitentiam agant: ieiuniis, lacrymis, precibus inuigilent: è cælis poſtulent quod in terris non inuenerint, vberrima illis gratia conferetur. Dabitur illis velle

Philip. 1. 2. 4. & perficere. *Qui cepit in eis bonum opus perficiet.* Omnia poterunt in eo, qui eos confortabit. Non patietur illos tentari ſupra id quod poſ-

1. Cor. 10. ſunt. Magna ſunt quæ exigit, ſed maiora ſunt quæ promittit. Deſtituit eos, qui ſuis viribus & opibus ſuperbiũt; opitulatur iis, qui ſibi nil tribuunt, ſed fidunt bonitati diuinæ, &c.

Vide autem bonitatem & ſeueritatem Dei. Suis viribus diffidentibus, & ad ſe ſuppliciter confugientibus gratiæ ſuæ donis & viribus auxiliatur: ferocientes & ſuperbos nec dignatur attendere. Nimirum hoc eſt quod olim per Sa-

Prou. 3. Pſal. 17. lomonem dixit Dominus: *Deus elatis & arrogantibus reſiſtit: ſed humilibus & abiectis impertit ſuum*

fauorem. De his & antea Dauid, *Populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Animaduertit & hoc Dei opus ſanctiſſimæ Iudith, cùm ait, *Nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi, ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Deipara quoque cecinit, *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Itaque Dei gratia non improbis moribus, ſed vera pietate, potiſſimùm autem humilitate acquiritur, poſſidetur, augetur. — *Iudith. 9.* — *Luc 1.*

Non dixit, ait Chrysostomvs, Deus ſuperbos dimittit, & in peccatis deſerit, ſuóque nudat auxilio: ſed auerſatur. Non quòd inſtructa acie aut pugna Deo ſit opus aduerſus ſuperbũ. Quid enim eſſe poſſit ſuperbo infirmius? Quod ſi etiam validus ac potẽs eſſet ſuperbus, nil opus eſſet Deo exercitu aduerſus illum: quandoquidem & voluntas illi ſufficit ad inuertenda omnia. Cur igitur reſiſtit? Quo vehemens odium declaret erga ſuperbum. Ibidem ſuperbiæ grauitatem explicans, tradit, hanc de cæleſti virtute feciſſe diabolum: & è ſublimi eam detraxiſſe vſque ad inferos. Adamum inſuper è paradiſo terreſtri, in duriſſimum & miſerabile detruſiſſe exilium. — *Hom. 3. de verbis Iſaya, tom. 1.* — *Iſa. 14. Luc 10.* — *Gen. 3.*

Clemens Alexandrinus citato D. Iacobi præſenti loco, clariſſimis exemplis oſtendit, verè humilibus copioſam dari gratiã. Primò Abrahæ, qui cùm Dei amicus vocatus eſſet, non fuit gloria elatus, ſed magna vtens modeſtia, dixit: *Ego ſum terra & cinis.* Hinc beati Iob, qui cùm eſſet iuſtus, reprehẽſioni non obnoxius, Deum — *l. 4. Strom.* — *Gen. 18.* — *Iob 1. & 15.*

ritè colens, abſtinens ab omni malo, & à Deo habens teſtimonium: humilitatem tamen amplexus, dixit, *Nullus eſt mundus a ſorde.* Inde beati Moſis, fidelis ſerui in tota domo Domini, dicentis ei qui ex rubo dabat reſpõſa, *Quid ſum ego, quod me mittis?* Poſtremò Dauidis, de quo Dominus ait, *Inueni hominem ſecundùm cor meum.* Verùm tantus rex ſimul & propheta magna animi demiſſione dicit, *Miſerere mei Deus, &c.* An non hi, & eis ſimiles eximiis cæleſtis gratiæ donis aucti & honorati ſunt?

Exod. 3. *Act. 7.* *Pſal. 50.*

Basilivs magnus ex eadem Apoſtoli ſententia vniuerſos homines, quantumuis claros & ſanctos, ad amplectendam humilitatem hortatur, additis nobiliſſimis exemplis beatiſſimorum virorũ Pauli, Petri, Publicani, imò & Chriſti Domini noſtri, qui propter eximiam ſingularémque animi demiſſionem, mirum in modum à Deo ſublimati fuerunt. Concludítque, In promptu ſemper habe illud dictum Domini, *Quiſquis ſeipſum humiliauerit, exaltabitur.* Superbos autem à Deo continuò abiectos fuiſſe docet exemplis Satanæ, Adæ, Gigantum, Goliathis, Abſalonis, Adoniæ, Pharaonis, Abimelechi, populi denique Iſraëlitarum, qui elati aduerſus Gentes immundas, ipſi verè facti ſunt immundi & reprobi.

Hom. 22. quæ eſt de humilitate.

Et ne Latinorum patrum doctrina hîc nobis deeſſe putetur, addamus magnum Antiſtitem Avgvstinvm ita de humilitate, ac eius præmiis diſſerentem: Si Dominus Deus noſter qui in altis habitat, cuius excellentiæ & magnitudinis

Ser. 213. de temp.

non eſt finis, in angelis & hominibus humilitatem conſiderat & probat: quantum neceſſe eſt nobis humilitati ſemper ſtudere, ipſamque in omnibus conſeruare, vt ſic placeamus conditori noſtro? Humilitatis quippe paſſibus ad cæli culmina conſcenditur: quia Deus, excelſus non ſuperbia, ſed humilitate attingitur, de quo dictum eſt, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Iac. 4. Diſcamus igitur humilitatē, per quam Deo propinquare poterimus: ſicut ipſe in Euāgelio ait, *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Matth. 11. Et Sapiens ait, *Quanto maioris, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiā*. Eccl. 3. Et Deus per prophetam ait, *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum*? Iſa. 66.

Deinde, idem oſtendit ſuperbiam peccatum eſſe planè diabolicum, ac ideo penitus fugiendum. Ibidem. Subdit autem, „ Superbus quanto glorioſior apparet inter homines, tanto deiectior erit apud Deum. Per ſuperbiam mirabilis angelorum creatura cecidit de cælo: per humilitatem fragilitas humanæ naturæ aſcendit in cælum. Salomon ait, *Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia*. Prou. 11. Deus humilis factus eſt noſtræ ſalutis cauſa, erubeſcat homo ſuperbus eſſe. Noli igitur, ô homo, in virtutibus gloriari tuis, quia alterum habiturus es iudicem, non teipſum. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Eccleſ. 10.

Accedat ſuauiſſimus BERNARDVS. Epiſt. 42. Sola quæ non ſolet gloriari (ſcribit ille,) non nouit præſumere, contendere non conſueuit, in extremo iudicio gratiam inuentura eſt in oculis Domi-

ni humilitas, *Deus namque ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Non contendit iudicio, nec prætendit iuſtitiam, qui verè humilis eſt: ſed dicit, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine.* Non deſpicit illa maieſtas cor contritum & humiliatum, quæ corpus humilitatis noſtræ aſſumere non dedignata eſt, &c.

*Pſal.*142.

*Pſal.*50.

Claudit verò hunc de humilitate aduerſus ſuperbiam tractatum D. IOANNES Caſſianus. Manifeſtiſſimè comprobatur, inquit, omnium peccatorum & criminum ſuperbiam eſſe principium: nec ſicut cætera vitia, ſolummodo contrariam ſibi virtutem, id eſt, humilitatem tantùm extinguere: verumetiam cunctarum ſimul interemptricem eſſe virtutum. Dauid audenter proclamat, *Domine, non eſt exaltatum cor meum, &c.* Et iterum, *Non habitabit in medio domus meæ faciens ſuperbiam.* Et Domini implorat auxilium dicens, *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, pauens ne in illud incidat, quod dicitur de ſuperbis, *Deus ſuperbis aduerſatur, &c.*

*l.*12. *de cænobiorum inſtit.c.*6.

*Pſal.*130.

*Pſal.*100.

*Pſal.*35.

*Iac.*4.

7. *Subditi ergo eſtote Deo; reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

Superioribus obiurgationibus nunc adiicit quaſdam prædulces & planè Euangelicas exhortationes. Prima eſt, de humili ſpontaneáque ſubmiſſione & obeditione Deo præſtãda. Nam quia dixerat humilib⁹ Spiritũ ſanctũ copioſiora cõferre beneficia, ex eo infert, debere nos omni ferocia animorum poſita, Diuinis mandatis & imperiis ſubiici. Quaſi dicat, Deus vult nos ſibi cõiunctiſſimos eſſe, ac omnino ab amore mun-

di, carníſque cura & ſeruitute alienos. Igitur præbete vos illi morigeros. Rex regum eſt & Dominus dominantium,vos autem illius ſerui. Summus paſtor eſt,vos autem oues paſcuę eius: caput eſt,vos membra corporis eius: parens eſt beneficentiſſimus,vos liberi:ſponſus eſt,animæ veſtræ illius ſponſæ ſunt. Omni ergo humilitate & ſubmiſſione oportet vos illi ſubeſſe.

Peccant autem aduerſus hanc apoſtolicam adhortationem in primis omnes ſuperbi & arrogantes,nec minus aduerſus diuinam eius maieſtatem inſurgunt,quàm diabolus,volens *ſuper aſtra exaltare ſolium ſuum, & ſimilis eſſe altiſſimo.* Iſa.14. Eo peccato corruerunt primi parentes, cùm appetierunt eſſe dij ſcientes bonum & malum. Peccauerunt Gigantes, Pharao, Nabuchodonoſor, Holofernes, Antiochus, Herodes, & tyranni omnes,qui ſibi diuinos arrogauerunt honores Contrà verò, vnumquemque noſtrum admonet Dauid, Subditus eſto Domino, & ora eum. Pſal.36. *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea?* Pſal.61. Et Iob ait: *Quis reſtitit ei, & habuit pacem?* Iob 9. Et Chriſtus dicit, *Tollite iugum meum ſuper vos, &c.* Matth. 11. Nam vera ſubiectio iſta obedientiam requirens & patientiam,officium eſt viri Chriſtiani.

Peccamus,eheu! & nos omnes, quoties aliquid contra eius præcepta committimus aut cogitatione,aut verbo,aut opere. Quemadmodum enim quicquid habemus & ſumus, à Deo accepimus:ſic omni ex parte decet nos obtemperare illi. Qui contrà facit, contra Dei voluntatē inſurgit, & imperio eius ſubeſſe detrectat.

1. Mach. 9. *Iuſtum quippe eſt mortalem ſubditum eſſe Deo.* Hinc
Deut. 10. Moyſes. *Nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum & ambules in viis eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?*

Reſiſtite autem diabolo, &c.

Secunda eſt exhortatio, qua nos omnes Apoſtolus acuit, docétque totis viribus reſiſtendum eſſe diabolo, & cunctis tentationibus eius, ſiue à carne, ſiue à mundo ortum habeant. Senſus exhortationis talis eſt: Hoſtem habetis, Cariſſimi, infeſtiſſimum & acerrimum, qui à calumniis quibus homines cõtinuò vexat, Diabolus, id eſt calumniator appellatur. Quo quiſque illi fortiùs repugnat, eo acriùs vrget, & contra illum quicquid habet roboris explicat. Spiritus eſt, qui nunquam non vigilat, nũquam pugnando fatigatur: ſed vno prælio victus, aliud ſubinde renouat. Angelos in cælo, Adamum in paradiſo, Moyſem in deſerto, Dauidem in regno, Salomonem in palatio, Iudam, Petrum, Thomam in ſchola Chriſti, quinimò ipſummet Do-
Matt. 4. minum & iudicem ſuum ſemel, ſecundò, tertiò denique grauiter impugnauit? Eſt igitur vobis
Ephes. 6. quandiu vixeritis, luctandum aduerſus *principes, poteſtates, & rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Ideo induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diabo-*
1. Petr. 5. *li.* Ille *aduerſarius veſter tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: ſed fortes in fide reſiſtite.* Vbi autem ſentiet vos conſtanter ſtare in acie, amare & inuocare Dominum, exhorreſcere illius

leno

lenocinia, artibuſque repugnare, timebit vos, nec tantùm timebit, ſed & virtus fugiet à vobis.

Ergo hæc miſerabilis vita noſtra humana rectè comparatur cum iugi & periculoſa militia, cùm dicitur in libro Iob: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et Paulus huius militiæ formam & ſpeciem exponens ait, *Non ſecundum carnem militamus: & arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt; ſed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c.* Et vnumquemque noſtrum ſub Timothei nomine hortatur: *Milita bonam militiam; Nemo militans Deo, &c. Labora ſicut bonus miles Chriſti IESV, &c.* In his autem periculoſis & duris laboribus maxima conſolatio eſt, quòd hoſtis noſter debilis eſt. Non vincit (ait Hieronymus) niſi volentem: facilèque ſuperatur ab his qui in fide conſtantes ſunt & fortes. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Chriſtus iubens ſuos bono animo eſſe, ait, *Confidite, ego vici mundum. Princeps huius mundi eiicietur foras. Vincenti dabo manna abſconditum, &c.*

Iob 7. *2. Cor. 10.* *1. Tim. 1.* *2. Tim 1.* *2. Tim. 2.* *1. Io.* *Io. 16.* *Io. 12.* *Apoc. 2.*

De cacodæmonum horrendis appellationibus, viribus, fraudibus, conſiliis, & malignis aduerſus genus humanum operibus, copioſè diſſeruimus ad verſum nonum Epiſtolæ b. Iudæ, pagina 213. & 13. Grauiſſimas tantùm D. Auguſtini de illorum dolis querelas; ſubiiciam; vt ab his qui tam frequenter nobis impoſuerunt, diligentiùs caueamus. Deus meus, ad te clamamus, libera nos ab aduerſario noſtro quotidiano, qui ſiue dormiamus, ſiue vigilemus, *l. Soliloq. cap. 16.*

ſiue comedamus, ſiue bibamus, ſiue quodcunque opus operemur, omnibus modis inſtat die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palàm, nunc occultè ſagittas venenatas contra nos dirigens, vt interficiat animas noſtras. Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis repleuit decipulis. Laqueos poſuit in diuitiis, in paupertate, in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, in vigilia, in verbo, in opere, & in omni vita noſtra. Sed tu Domine, libera nos de laqueo venantium, vt

Pſal. 90. *Pſal. 123.* confiteamur tibi dicentes: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, &c.*

Obſeruat rurſum ex hoc loco, b. AVGVSTI-

l. de rectit. catholicæ conuerſat. NVS, hunc, tametſi infeſtiſſimum hoſtem, nihil nos poſſe lædere, niſi quãtum permiſerit Deus. Permittit autem (inquit ille) quando peccata hominum hoc exigunt, duabus de cauſis, aut vt probet, ſi boni eſtis: aut caſtiget, ſi peccato-

Iob 1. res. Qui perdens aliquid, dicit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, pro iſta patientia coronam recipiet ſi iuſtus eſt: aut indulgentiam, ſi peccator. Quod ſi murmurauerit, vel deſperet, rerum pariter & animæ damnum incurret.

Rurſúmque idem notat, diabolum quidem

l. 50. Hom. hom. 12. ſollicitare & ſuadere poſſe, cogere omnino non poſſe: ideo per Dei adiutorium in noſtra poteſtate ſitum eſſe, conſentire diabolo, aut obtemperare Deo. Eſt à dextris præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio con-

ſtitutus. Cor quare inclinatur ad diabolum? Quare non potius erigitur ad Deum? Idem quoque alibi. Ananiæ dicitur: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto?* Quod vtique Apoſtolus ei non imputaret, ſi abſque ipſius voluntate Satanas feciſſet. Eua etiam condemnatur à Domino, quia ab eo quem poterat ſuperare, ſuperata eſt. Conſentit his verbis b. Hieronymvs; Noſtra contra nos vtitur voluntate. De conſenſu noſtro aduerſarius vires accipit, noſtróque nos iugulat gladio. Subſcribit denique Bernardvs, cùm ait, Stantes in paradiſo impulit inuidus & euertit: ſed conſentientes, & non reſiſtentes, &c. Ex quibus, & aliquot aliis locis atque rationibus, D. Ioannes Caſſianus manifeſtè claréque colligit, quandam ſupereſſe homini peccatori libertatem arbitrij, vimque voluntatis humanæ, quæ non poſſit etiam ab ipſomet diabolo ad peccandum compelli. Sicut eſt illi (inquit) inſtigationis copia, ita & in nobis virtus reſpuendi, ſiue acquieſcendi libertas eſt attributa. Ergo manifeſtum eſt, huic vnúquéque delinquere, quòd ingruentibus cogitationibus prauis non confeſtim repulſam contradictionis obiiciat, *Reſiſtite ei*, ait, *& fugiet à vobis.* Hæc notent, quæſo, hoſtes liberi arbitrij.

Epiſt. 143.
Act. 5.
Ep. ad Demetriad.
Serm. 85. in Cantic.
l. 7. Collat. c. 8.

Damascenvs, hoc Apoſtoli teſtimoniis aliquot aliis cõiungens, his addit ex Baſilio, Quoniam diabolus apoſtata extitit, ſeque & Dei, & hominum ad imaginem Dei conditorum hoſtem profeſſus eſt, ob eam cauſam hominum

l. 2. Paral. c. 3.

odio flagrat, quia Dei quoque hoſtis eſt:ac nos vt Dei creaturas,& ipſius ſimilitudinem gerentes, odio inſectatur. Deus autem ipſius improbitate abuſus eſt,vt medicus viperæ veneno ad ſalutarium medicamentorum confectionem abuti ſolet,&c.

8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Hæc eſt tertia exhortatio de acceſſu ad Deũ, & eius maxima vtilitate. Huius ſumma eſt; Monui vos,Cariſſimi,huius mundi amicitiam, carnis impuritates, & laqueos diaboli fugere pro viribus:nunc ad quem confugere debeatis accipite.Deus lux eſt,& tenebræ in eo non ſunt vllæ:accedite igitur ad eum, vt illuminemini. Summum bonum hominis eſt, ſupremáque omnium electorum requies: venite ergo ad eum omnes qui laboratis,& onerati eſtis,& re-
Coloſſ. 1. 2. ficiam vos.In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ
Pſal. 35. & ſcientiæ reconditi:vos in omni egeſtate ver-
Io. 4. ſamini. Ardentiſſima ſiti iuſtitiæ areſcitis: *apud eum eſt fons vitæ.* Ille eſt via,vos peregrini: *omnis homo mendax*,ille eſt veritas: *vos ſicut homines morimini*,ille vita eſt. Piis igitur deſideriis & votis applicate vos Deo, & ille viciſſim applicabit ſe vobis.Si cordium affectus rapiunt vos ad honeſta, ad virtutes, ad cæleſtia, Deo appropinquatis. Sin ad carnis illecebras, ad diabolum properatis. Appropinquate Deo per pœnitentiam, ſi peccatores eſtis, & ille appropinquabit vobis per gratiam iuſtificantem. Accedite ad illum per virtutum incrementa ſi iuſti & ſancti,& ille per gratiarum & donorum augmen-

ta ad vos accedet. Adeſte illi omnes filij hominum, humilitatis, patientiæ, fidei, ſpei, & caritatis greſſibus, ille prorſus aderit ſuis miſerationibus. Nunquam deerit vobis eius auxilium, modò fuerit veſtrum refugium. Et ſi Deus pro vobis, quis contra vos? *Quid vobis nocere poterit, ſi boni æmulatores fueritis?* Rom. 8. 1. Petr. 3.

Ex his manifeſtè apparet, homines ſuis malis & peccatis Deum fugere, eidem valedicere, & quodammodo abrenunciare: ſicut è contrario, bonorum operum & virtutum ſtudio ad illum accedunt, *Dicunt Deo* (ait Iob) *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Item quod eſt in Ieremia: *Receſſimus, nec vltra veniemus ad te.* Quod quàm ſit miſerum & exitioſum, idem verbis iſtis exprimit. *Maledictus homo qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius.* Conqueritur & Moyſes de quorundam Iſraëlitarum ſuarum defectione, dicens: *Incraſſatus eſt dilectus, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Adam & Eua abſcondentes ſe à facie Domini, in graues arumnas inciderunt. Amaſias Rex Iuda occiſus eſt, *poſtquàm* (ait Scriptura) *receſſit à Domino.* In quantas calamitates & anguſtias cecidit Ionas, quando cogitauit fugere à facie Domini? Hinc ſcitè & acutè Auguſtinus ad Dominum. Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quò fugit, niſi à te placato, ad te iratum? Et idem rurſum, Qui te non habet placatum, non euadet iratum. Rectè igitur Propheta, *Scito & vide quia malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum Deum tuum: Ierem. 2.* Iob 21. Ierem. 2. Ierem. 17. Deut. 32. Gen. 3. 2. Paralip. 25. l. 4 cõf. c. 9. Meditat. c. 30. & Manual. c. 2.

l.2 paral.c. 39. DAMASCENVS probans, quòd Deum quære-re oporteat, ipſique obſequi, atque in ipſius nomine omnia facere, hanc laudat b. Iacobi ſententiam: cui & has non abſimiles connectit, *Leuit.10.* *In his qui appropinquant mihi, ſanctificabor.* *Pſal.9. & 33.* *Non dereliquiſti quærentes te, Domine*, *Pſal.34.* *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me.* *Iſa 55.* *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* *Heb.11.* *Quærite Deum, & viuet anima veſtra. Quærite me in toto corde veſtro, & apparebo vobis. Requirentibus Deum ipſe remunerator eſt, &c.*

Ex quibus, ſupra id etiam quod conficit Damaſcenus, certum & manifeſtum euadit, aliquid virtutis ſitum eſſe in viribus humani arbitrij, quod cum præueniente gratia Diuina, ad conuerſionem noſtram ad Deum cooperetur & collaboret: & illud non eſſe tam ſeruum, imbecillum, & conuulſum, vt noui Simoniani, Marcioniſtæ, & Manichæi, id eſt, miſeri Hugnoſtici cauillantur. Quomodo enim appropinquaremus, quæreremus, inquireremus, requireremus, exquireremus Dominum, vt Spiritus ſanctus loquitur, ſi nihil prorſus ageremus? Si otioſa tantùm & paſſiua, non etiam actiua eſſet voluntas noſtra? Rectè id colligens *Pſal 26.* Auguſtinus ex eo quod Deum in adiutorium *Rom.8.* noſtrum inuocamus: dicimurque cooperari Deo, hæc memorabilia decernit: Nemo adiu-*Serm.13. de verbis Ap.* uatur, ſi ab illo nihil agatur. Si non eſſes operator, ille (Deus) non eſſet cooperator. Et poſtea, *Serm.15. de verb. Apo.* Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem.

Impudenter autem & nequiter hîc calum-

niatur Caluinus, *quòd priores in nobis partes eſſe, Dei vero gratiam ſequi* dicamus. Deinde, *quòd ſecundariam & quaſi pediſſequam eſſe Dei gratiam noſtræ præparationi* doceamus: quandoquidem nemo Catholicorum id vnquam ſenſit aut docuit. Cenſemus quidem, cum Auguſtino, Non *l. 4. de bap. c. 23.* omnia opera quæ ante iuſtificationem fiunt vel ab infidelibus, vel ab aliis peccatoribus, eſſe verè peccata, quæ odium Dei promereantur: vt *l. 1. de bapt. c. 8.* de eleemoſinis, & precibus Cornelij adhuc *Act. 10.* ethnici, Scriptura teſtificatur: & ciuiles Roma- *Aug. Epiſt. 5 & lib. 5. de ciuit.* norum ſine vera religione virtutes eximio imperio compenſatæ, palam faciunt. Sed quid illis *primæ partes debeantur, gratiæ verò Dei tantùm ſecundæ*: aut *meritoria opera præcedant, gratia verò ſit eorum pediſſequa*, vt improbiſſimus planus imponit, nunquam Eccleſia Catholica iudicauit, nunquam pronunciauit: ſed contrà, in Pelagianis coarguit & damnauit. Atque hoc non tam mirabile, quàm miſerabile, quòd ferè nunquam niſi ex impoſturis & calumniis aduerſus fidem catholicam, argumenta ſua conficiunt iſti Hugnoſtici. Impoſitum mendacium tolle, & pluſquam puerile & inane videbis eorum argumentum.

Cæterùm, Dei gratiam libero arbitrio neceſſariam eſſe cum Auguſtino prædicamus, vt niſi *Epiſt. 106* præueniat & adiuuet, nihil pietatis atque iuſtitiæ, ſiue in opere, ſiue etiam in ipſa voluntate *Philip. 2.* habere poſſumus. Deus quippe operatur in no- *l. de grat.* bis velle & operari pro ſua voluntate. Item, *& lib. arb.* quod Deus, vt velimus operatur incipiens, qui *c. 17.*

Philip. 1. volentibus cooperatur perficiẽs. Propter quod ait Apoſtolus: *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti* IESV. Sed liberum voluntatis humanæ arbitrium nequaquam deſtruimus, quando Dei gratiam, qua *l. de bono viduitatis, c. 17.* iuuatur, grata pietate prædicamus. Noſtrum enim eſt velle, ſcribit idem eximius Antiſtes, ſed voluntas ipſa etiam mouetur vt ſurgat, & ſanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat, &c.

Diſputationem iſtam longiùs & proſequi non eſt huius loci: tantummodo vnius Bezæ & ſymmiſtarum pro arbitrij noſtri gratia cooperantis viribus, vt Bezanos propriis armis *Libelli quæ. & reſponſ. pagin. 681. col. 1.* conficiam, teſtimonium adferam, *Gratia prima nos* συνεργεῖν, (ſcribit ille, id eſt, cooperari) *qui negat, prima gratia efficacitatem negat. Sed quod de prima* συνεργείᾳ *dixi, de conſequentibus dico, &c.* Cru- *In propoſitionib. fol. 97.* cigerus, Peucerus, Pezelius, Vvidebrãdus, Mollerus, Toſſanus, Vvitembergici miniſtri, diſertè profitentur, *In conuerſione hominis peccatoris tria ſemper concurrere, nimirum verbum Dei, Spiritum ſanctum, & voluntatem hominis aſſentientem, & non repugnantem, verbo Dei, &c.* At verò, iſte conſenſus, vt illa cooperatio, eſt opus ſeu actio voluntatis. Ergo tam ex ſcripturis, quàm ex ſanctis patribus, hæreſiarcharum denique conceſſionibus apertum & firmum eſt, liberum noſtrum arbitrium aliquid agere in noſtra ad Deum acceſſione.

Emundate manus veſtras, peccatores.

Quarta exhortatio iſta non vulgares tantùm,

ſed & conſceleratos, profligatóſque peccatores ad pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, gratiam, & vitam æternam inuitat. Hoc enim ſenſu intelliguntur *peccatores*, cùm dicitur in Euangelio, *Deus peccatores non exaudit. Mulier erat in ciuitate peccatrix.* Et Chriſto probri loco datur à Iudæis, quòd cum publicanis & *peccatoribus ederet & biberet, &c.* Vult itaque Apoſtolus: Vos iam appello, ô peccatores, qui à Deo longè receſſiſtis, & plurimorum vitiorum cœno obliniti eſtis. Emundate manus veſtras abſtinendo à præteritis ſceleribus, & cauendo à futuris; & præſto vobis aderit gratia cæleſtis. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum de cordibus veſtris, quieſcite agere peruerſe, diſcite bene facere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Io. 9. Luc. 7. Luc. 5. Matth. 9. Iſa. 1.

Notandum, manuum nomine in hoc loco, vt alibi ſæpe, non ſolùm peccata quæ manibus committuntur, vt furta, homicidia, incendia & alia externa peccata ſignificari: ſed etiam fraudes, proditiones, & vniuerſi affectus peruerſi ſeu in Deum, ſeu in proximum. De his dicitur, *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine*, i. ad vltiones aſpiratis. *Si manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam abs te. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus:* quod de puris affectibus rectè intelligitur. Sic & illud, *Innocens manibus, & mundo corde accipiet benedictionem à Domino.* Iſa. 1. Matth. 18. 1. Tim. 2. Pſ. 23.

Epiſt.7. Fvlgentivs hinc colligit huius mundi riſum atque gaudium verè pœnitentibus mutandum eſſe in luctum & mœrorem. Deinde non putandum eſſe, triſtitiam humilium & lætitiam ſuperborum, luctum piorum & gaudiũ impiorum futura poſſe retributione priuari. Manet enim vtriuſque condigna merces, diuino reddenda iudicio.

Et purificate corda veſtra, duplices animo.

Matth. 15. & 23. Hæc quinta exhortatio eſt ad fictos & hypocritas, qui magna ſuperſtitione manus, veſtes, calices, & parop ſides quidem lauabant: ſed cordium & animorum ſordes eluere negligebant. Apoſtolus autem docens, qualem munditiem & puritatem Deus à nobis requirat, manuum emundationi mox ſubiungit cordium purificationem. Hortatur quoque viros inconſtantes, qui in vtramque partem claudicabant, nunc cum Iudæis, mox cum Chriſtianis; nunc cum Catholicis, mox cum hæreticis ſentientes, vt abiecta omni duplicitate cordis, veræ pietati firmiter adhæreant.

Igitur cùm humanum cor officina ſit omnium bonorum & malorum, adeoque ſedes, radix, & fons virtutum & vitiorum, dicente Chri- *Matth. 15.* ſto, *De corde exeunt malæ cogitationes, furta, adulteria, &c.* Omni ſtudio atque diligentia laborádũ, vt ſincerũ purúmqueſeruetur. Hinc Sapiens: *Prou.4.* *Omni cuſtodia ſerua cor tuũ, quia ex ipſo vitaprocedit.* Hoc enim ſibi dicari & conſecrari ſuo iure po- *Prou.23.* ſtulari Deus, dicẽs: *Præbe fili mi, cor tuũ mihi.* Dauid ſupplex rogat, *Cor mundum crea in me, Deus.* Chri-

ſtus denique beatiſſimam Dei viſionem iis tantùm repromittit qui fuerint mundo corde. *Matt.5.*

9. *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate; riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

Sexta eſt exhortatio ad varia veráque verę pœnitentiæ exercitia. Senſus eſt, Nolite hîc fratres mei, nolite ſecuram æternámque felicitatem quęrere, quæ tãtùm in cælis repromiſſa eſt. Nolite huius ſæculi fœdis inſeruire voluptatibus, & gaudiis æternis excidere. Serenitas iſta ſumma tempeſtas eſt. Delicias expectantes huius mundi, cohæredes Chriſti non poteritis eſſe. Non poteſtis duobus Dominis ſeruire. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Itaque ſi vultis Dei filij & hæredes eſſe, hîc pro peccatis veſtris eſtote deiecti, & contriti, afflicti, veroque cordis dolore pœnitentes & triſtes. Deus nãque cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit. Si vultis gaudio ſempiterno perfrui, hîc propter diuinam maieſtatem & bonitatem quam peccando ad iracundiam prouocaſtis, ſeriò lugete. Beati etenim ſunt qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Si coram Deo & omnibus electis eius perpetuò lętari cupitis, hîc veſtram miſeriam, exiliúmque vberioribus deflete lacrymis, cum Dauide dicentes. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! Lauabo par ſingulas noctes lectum meum, &c. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.* Facite, vt gaudeant Angeli de vobis pœnitentibus. Stultus iſte ac pernicioſus riſus, quo diuinorum iudiciorum obliti, infatuatique ſcelerum dulcedine, malefacientes lætamini &

Pſ.119. Pſ.6. Pſ.118. Luc.15.

exultatis in rebus peſſimis, vertatur in luctus & gemitus ſpirituales. Exitiale gaudium voluptatũ conuertite in ſalutiferum mœrorem, &c.

Ex his autem primò apparet, quàm vana & incerta ſint gaudia huius mundi, id eſt, quæ ſumũtur de rebus caducis, vt de potu, eſu, laſciuia, pecunia, honoribus, præfecturis, &c. quæ & breuiſſima ſunt, & homines præcipitant ad æternos planctus & gemitus. Ait enim Iudex viuorum & mortuorum, *Va vobis qui ridetis, quia*
Luc.6. *plorabitis. Va vobis qui ſaturati eſtis, quoniam eſurietis.* Nec vanæ ſunt minæ, quoniam horrendis exemplis comprobatæ. Paulo ante diluuium
Luc.17. Matth.24. *Homines comedebant, bibebant, nubebant*, omnes gaudiis exultabant, omnes voluptate bacchabantur, quando ſuperuenerunt vltrices aquæ, & vniuerſum mundum ſubmerſerunt. De impiis
Iob.21. ac epicureis dicitur, *Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Ibi
Prou.14. autem ſempiternus fletus & ſtridor dentium: Atque ſic extrema gaudij luctus occupat.

Conſpicimus deinde, maximam & prope incredibilẽ eſſe vtilitatem lacrymarum, quæ de peccatorum contritione, & Dei noſtri amore ab hominibus effunduntur: quandoquidem perpetuam lætitiam pariant. Harum varios fru-
L.2.de.cõpunctione cordis.c.3. ctus B. EFFREM expertus ſcribit, Quis non admiretur, quia per lacrymas huius breuiſſimi temporis, Deus péccata dimittit? Et ipſa vndecima hora (i. etiam ad vitæ finem) millium
Matth.20 nos vulnerum labe ſauciatos per lacrymas

ſauat? Et rurſum, cum ſanauerit, mercedem conferet lacrymarum. Et idem alibi, Accede ad Deum, peccator, & facilè ſanaberis. Proiice abs te onera peccatorum, offer munera obſecrationum, ſuppone lacrymas in putredine vulnerum. In tantum enim cæleſtis medicus bonus eſt, vt lacrymis & gemitibus donet vulneribus ſanitatem. Accede peccator, & procidens huic benigniſſimo medico, offer lacrymas quæ ad huiuſmodi medicamentum proficiunt. Sic enim vult cæleſtis medicus ſanare vnumquemque, medicamentum diligēs lacrymarum. Nihil eſt enim quod non cedat & ſanetur medicamento pœnitentiæ. CHRYSOSTOMVS aliquot in locis docet, nihil tam arduum, aut etiam hominum iudicio impoſſibile eſſe, quod non facilè obtineant pœnitentes à Deo virtute ſanctarum lacrymarum: Agaris, Annæ, Petri, Magdalenæ memorabilibus exemplis idipſum confirmat.

L. de pœnitentia, c. 1.

Attende quoque, veræ pœnitentiæ rationem non eſſe adeò leuē & facilem, vt miſeri Hugnoſtici poſt ſeductorem ſuum Caluinum comminiſcuntur; Nimirum, *idem eſſe Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramentum: & Baptiſmi ſolam recordationem ſufficere ad delendos nouos lapſus, in quos à Baptiſmate recidimus.* Primò enim Dauidis, Ezechię, & Manaſſis exempla Deum à ſe multis peccatis offenſum, non ſola Circumciſionis (cui Baptiſmus ſucceſſit) memoria, ſed ieiuniis, ſacco, cinere, lacrymis, aliiſque duris laboribus, placantium, euincunt manifeſtè longè maiora Pœni-

Inſtit. l. 4. c. 15. & 19.

tentiam à nobis exigere. Hinc Chriſti, Præcurſoris, aliorum Prophetarum, & Apoſtolorum primæ, de pœnitentiæ fructibus conciones, non ſunt de Circumciſionis aut Baptiſmi recordatione: ſed de ieiunio, fletu, planctu, cordium contritione, precibus, reſtitutione alienorum bonorum elemoſinis in pauperes, &c. aliiſque piis operibus. Inde, vtriuſque ſacramenti materia, forma, miniſter, inſtitutionis tempus, & finis, euidentiſſimè illa diſcernunt. Chriſtus denique adfirmat Tyri & Sidonis incolas, in cinere & cilicio facturos pœnitentiam, ſi prædicatũ illis fuiſſet euangelium; ſic exitioſas damnabiléſque Caluinianorum opinationes refellunt, vt ampliore non ſit opus confutatione.

Ioel.1.& 2 *Iſa.58.* *Matth.3.* *Luc.19.* *Act.3.et 8.* *Matth. 11.*

Nec tamen putandum, quòd moderata honeſtáque gaudia, quæ vel de acceſſu & felicitate amicorum, vel de victoriis, rebúſque proſperis ac donis Dei procedunt, damnet Apoſtolus: ſed quòd luxum, petulantiam, & nimiam in riſus & gaudia effuſionem, velit omnino abeſſe à moribus Chriſtianorum. Populo namque Hebræorum præcipit Dominus, vt collectis terræ fructibus, ſabbathum agerent, & acceptis arborum ramis, lætarentur coram Domino Deo ſuo. Plurimum gauiſi ſunt omnes Iſraelitæ, Pharaone, Holoferne, Hamã, Gorgia, ſimilibúſque hoſtibus ſuis diuino beneficio de medio ſublatis. Magi videntes ſtellam rectà illos ad Chriſtum ducentem, gauiſi ſunt gaudio magno valdè. In natiuitate Præcurſoris multi gauiſi ſunt. Angelus cæleſtis gaudium magnum Paſtoribus an-

Leuit. 23. *Matth.2.* *Luc.1.* *Luc.2.*

nunciauit. Apoſtoli poſt reſurrectionem gauiſi ſunt viſo Domino, &c. Hinc BERNARDVS docet, ſanctorum virorum triplex eſſe gaudium, videlicet, ante mortem de bona conſcientiæ teſtimonio: in morte, qua eripiuntur de præſenti ſæculo nequam, venitque dies illa qua implebit eos Dominus lętitia cum vultu ſuo: & poſt mortem, quando intrant in gaudium Domini ſui, quod nemo à cætero tollet ab eis. *Luc. 24.* *Ser. 2. et 3. de omnibus ſanctis.*

AVGVSTINVS denique, ex hoc D. Iacobi exemplo docet, verbi diuini præcones nunquã debere peccatoribus adulari: ſed iis obiecta futura miſeriâ, & grauitate peccatorum, eoſdem ad compunctionem cordis & amaras lacrymas perducere. Ait enim Dominus per Iſaiam aduerſus palpones: *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt.* Minatur pſeudoprophetis per Ieremiam, eò quòd Iſraelitis non aperuiſſent iniquitates ſuas, vt eos ad pœnitentiam prouocarent. Et Paulus gaudet, quod ad triſtitiam ſalutarem, & pœnitentiam ſecundùm Deum, Corinthios ſuis obiurgationibus prouocaſſet. *In Pſ. 85.* *Iſa. 3.* *Thren. 3.* *2. Co. 9.*

10. *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.*

Septima exhortatio iſta eſt ad veram coram Deo animorum & corporum ſummiſſionem. Quaſi dicat, Inanem celſitudinem, & appetentiam honorum atque dignitatum conuertite in humilitatem. Nemo ſemet erigat in altum, quin potius deiicite voſipſos in conſpectu Dei: ipſe vos illuſtres, glorioſos, ac verè ſublimes redet. Quanto minus vobis arrogaueritis, tanto

Matth. 23. Luc. 18. maiora largietur ille, Dixit enim, *Omnis qui ſe humiliauerit, exaltabitur.*

Humilitatem definiunt Theologi, eſſe virtutẽ, qua veriſſima ſui cognitione, ſibi ipſi quilibet viléſcit. Huius autem gradus, ſeu potius fructus & effectus aſſignant duodecim, quorum enumeratio & conſideratio cuique patefiet, quantum ab illa virtute recedat, vel ad eam accedat. Primus, corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus. 2. Vt nõ ſit facilis aut promptus ad riſum. 3. Vt pauca verba etiam rationabilia loquatur, eaque demiſſa voce. 4. Taciturnitas vſque ad interrogationem. 5. Tenere communem cum cæteris regulam. 6. Credere & pronunciare ſe omnibus abiectiorẽ. 7. Ad omnia indignum ſe & inutilem confiteri & credere. 8. Cõfeſſio ingenua peccatorum ſuorum. 9. Cum obedientia ſubdere ſe maiori. 10. Cum obedientia in duris aſperiſque patientiam amplecti. 11. Voluntatem propriam non delectetur implere. 12. Deum timeat, & memor ſit omnium quæ præcepit. Hic iam conſcientiæ ſuæ latebras quiſque peruadat; & quicquid de his ſibi deeſſe compererit, ſtudeat acquirere, vt verè humilis ſit, & à Domino tandem exaltetur.

Ber. ſer. 89. in Cantica.

Benedict. in reg. Anſel. l. ſimilitud.

Adiiciens porrò, *in conſpectu Domini*, ſubindicat quoſdam quidem coram hominibus humilitatem oſtentare, attamẽ coram Deo ſuperbiſſimi ſunt & arrogantes. De his Sapiens ſcribit, *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Fictam ergo humilitatẽ fugiẽs, ait Hieronymus,

Eccl. 9. Epiſt. ad Celantiam.

ronymus, illam ſectare quę vera eſt, quam Chriſtus docuit, in qua nō ſit ſuperbia incluſa. Multi enim huius ſpeciem virtutis habent, veritatem pauci ſequuntur. Et rurſum idem, Humilitatem ſequere, non quæ ſimulatur geſtu corporis, aut fracta voce verborum: ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem, &c.

Multis porrò ac eximiis gratiæ ſuæ donis humiles hîc Dominus cumulat: multò verò maximis in regno cælorum exaltabit. Ac primò quidem humilium orationes Deus & libenter attendit, & gratioſè exaudit, quemadmodum Pſaltes profitetur, *Reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum.* Et Sapiens ait, *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit.* *Pſ.101.* *Eccl.35.*

Secundò, præcedentis gratiæ diuinę beneficia mirum in modum adauget, docente Sapiente, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Vt enim aquæ copioſiores in concaua deſcendunt vallium, ſic dona Dei vberiora conferuntur humilibus. *Eccl.3.*

Tertiò hæc præ cæteris virtutibus, hominem Deo gratum & acceptum reddit. Scribit namque beatus EFFREM, Vide quantum Deus diligit humilitatem, qui ſic appropinquat poſſidenti illā, ſempérque in illam aſpicit, ſicut ſcriptum eſt: *Qui in altis habitat, humilia reſpicit.* Et rurſus: *Oculi eius in pauperem, & humilem, reſpiciūt:* de quo ſcriptum eſt, *Beati pauperes ſpiritu.* *L. de arma tura ſpiritual. c.2.* *Pſ.112.* *Pſ10.* *Matth.5.*

Verùm, ne in his ſimus effuſiores, hac D. AVGVST. exclamatione concludamus. O ſan-

cta & venerabilis humilitas, tu Dei filium deſcendere feciſti in vterum virginis. Tu eum feciſti inuolui vilibus pannis,vt nos indueret virtutum ornamentis. Tu eum circuncidiſti in carne,vt nos circunciderct in mente. Tu eum corporaliter flagellaſti,vt nos à flagello peccati liberaret. Tu eum coronaſti ſpinis, vt nos coronaret ſuis æternis roſis,&c.

11. *Nolite detrahere alterutrum, Fratres, Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem; non es factor legis, ſed iudex.*

Abſolutis exhortationibus, Apoſtolus orationem ſuam reducit ad intermiſſas obiurgationes & reprehenſiones vitiorum, quibus & tunc & nunc plerique hominum corrupti ſunt & deprauati. Præſenti autem loco duo ſimul coarguit & damnat, nimirum, detractionem, & temerarium de proximo iudicium: eaque peccata eſſe grauiſſima & nocentiſſima aliquot argumētis oſtendit.

L.2.parall. c.68. Eſt autem Detractio, ſecundùm DAMASCENVM, ſermo falſus aduerſus aliquem prolatus. Hanc definitionem velut latiùs explicans *2.2.q.73.* D. Thomas ſcribit, Detractio, quæ eſt occulta maledictio ad denigrationem famæ per impoſitionem falſi, per adductionem mali, per reuelationem mali occulti, & per deprauationem intentionis: de ſe eſt peccatum mortale. Docet au- *In regulis breuioribus interr.25.* tem BASILIVS, duo eſſe tempora, in quibus liceat ſine peccato, ſecus aliquid de aliquo dicere. Primò, quando neceſſe habet aliquis con-

ſultare vnà etiam cum aliis qui ad hoc idonei iudicati ſint, quo pacto corrigendus ſit, qui peccatum commiſit. Secundò, quando neceſſitas poſcit, vt periculo conſulatur aliquorum: qui ſæpenumero ex ignorantia commiſceri poſſent cum malo, tanquam cum bono. Hoc Apoſtolus fecit ſcribens, *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, quem & tu deuita.* Extra autem huiuſmodi neceſſitatem (ſubdit ille) qui aliquid ſecus de aliquo loquitur, illius inſimulandi, vel vituperandi cauſa, detractor eſt; eſto verum ſit quod loquatur. 2.Tim. 4.

Idem probat detractores, & eos qui ipſis aures accommodant, & tolerant illos, à piorum virorum ſocietate exterminandos eſſe, quia ſcriptum eſt, *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar*: Et alibi. *Detrahentem nolito libenter audire, ne ſuſtollaris.* Item ex Maria Moſis ſorore, quam Dominus lepra percuſſit, & extra Hebræorum caſtra extrudi iuſſit, quòd ipſi Moſi detraxiſſet. Interr. 26. & 27. Pſ. 100. Prou. Num. 12.

Iudicium autem temerarium ſeu ſuſpicioſum dicit eſſe D. Thomas, cùm aliquis iudicat de his quæ ſunt dubia vel occulta, propter aliquas leues coniecturas. Adfirmat autem D. Baſilius eſſe peccatum lethale, quoniam expreſſis prohibitionibus Chriſti ille ſe opponit, quiſquis ſic de proximo iudicat. Ait enim: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed rectum iudicium iudicate.* Citat & quæ ſcribit Apoſtolus, *Is qui manducat* (idolothyta) *non manducantem* Moralium. regula 54. Matt. 7. Io. 7. Rom. 14.

non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Chriſtus ſanè hoc peccati genus in Iudæis frequenter damnauit, vtpotè cùm hos increpauit, *Vt quid cogitatis mala in cordibus*
Matth. 9. *veſtris?* Et iterum, *Venit Ioannes nec manducans, nec bibens; & dicunt, dæmonium habet.* Venit filius *hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vo-*
Matt. 11. *rax, & potator vini.* Sic per leuiſſimas coniecturas, & confictas occaſiones de vtroque & temerè & nequiter iudicabant. Atque hæc de ratione Detractionis, & temerarij iudicij argumenta, quibus vtrumque reprehendit Apoſtolus, iam expendamus.

Primùm eſt à fraterna vnione, caritate, & amabili concordia quæ detractionibus violatur & tollitur. Nam hîc καταλαλεῖν ἀλλήλων, loqui aduerſus alios, nihil aliud eſt, quàm διαβολεῖν, καὶ κακολογεῖν, calumniari, & obloqui, alterius famam & innocentiam lædere. Ita ergo differit Apoſtolus; Fratres, ac eiuſdem religionis profeſſores decet omnis candor, ſinceritas, atque beneuolentia. Hanc de medio detractio penitus tollit. Eſt igitur velut teterrima peſtis fugienda. Aut ſic ratiocinatur: Sceleratiſſimum ſuperbiæ genus eſt, fratris famæ detrahere, quo tu videaris honeſtior: perinde quaſi quis alienam faciem luto conſpergat, quo ipſe videatur formoſior: alienam veſtem ſordibus contaminet, quo ipſe videatur cultior. Longè autem turpius & ſceleratius eſt, fratrem fratri detrahere, inter quos oportet omnia

eſſe communia: & non aliter quàm ſi dextra manus ſiniſtram mutilet, quaſi futura felicior, ſi peius habeat ſocium membrum. Hoc vitium in primis fugiendum præcipit Spiritus Dei, cùm ait, *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia procul ſint à te*: Et rurſus, *Cum obtrectatoribus ne commiſcearis*: Rurſúmque, *Cuſtodite à murmuratione, & à detractione parcite linguæ: quoniam ſermo obſcurus non ibit in vacuum.* *Prou. 4.* *Prou. 24.* *Sap. 1.*

Secundum Apoſtoli argumentum eſt à Diuinæ legis reuerentia & obſeruatione, quam fœdè violant ac imminuunt homines detractores, & iudices temerarij, ſeipſos velut eius loco ſeſe conſtituentes forma argumenti hæc poteſt eſſe: Qui proximo detrahit, eadem operâ; detrahit legi Diuinæ, iſtud prohibenti, & contrarium præcipienti, quaſi vel nulla, vel iniuſta eſſet. Sed ita de lege diuina ſentire ſacrilegum & nefarium eſt. Leges porrò Diuinæ detractoribus oppoſitæ ſunt omnes illæ, quæ de proximorum dilectione præſcribuntur, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non facias alis, quod tibi fieri non vis, &c.* At iſtud vitium ſanè maximum eſt, quandoquidem qui calumniantur & iudicant proximum, ſe loco Dei conſtituentes, imò verò Deum ipſum quantum in ipſis eſt; de throno ſuo deturbantes, eius legem accuſant, calumniantur, & damnant. Igitur à detractionibus, & temerariis proximorum iudiciis omnino cauendum & abſtinendum eſt. *Exod. 20.* *Deut. 5.* *Matth. 7.*

D. IOANNES Caſſianus ex hoc loco docet, *Collat. 16. c. 16.*

munera orationum noſtrarum Deum reſpuere, quandiu aliquid ſimultatis inter nos & fratres

Matth. 5. noſtros fuerit. Sic enim ratiocinatur: Si euangelicus ſermo, *Vade prius reconciliari fratri tuo, &c.* etiam pro præterita & minima ſimultate, ſatisfacacere nos iraſcentibus iubet, quid de nobis miſeris fiet, qui recentes & maximas cauſas, noſtróque errore commiſſas pertinaci diſſimulatione contemnimus, inflati amore diabolico, dum humiliari erubeſcimus, auctores nos fraternæ triſtitiæ denegamus, ac rebelli ſpiritu ſubiici præceptis Domini dedignãtes, nequaquam ea vel obſeruari debere, vel impleri poſſe contendimus? Eóque fit vt iudicantes, eum impoſſibilia vel incongrua præcepiſſe, efficiamur ſecundùm Apoſtolum, non factores legis, ſed iudices legis.

Tertium argumentum eſt à ſacrilegio, quod detractores & temerarij iudices committunt, ſibi ipſis vſurpantes quod eſt ſolius viuentis ac æterni Dei. Quaſi dicat, Solius Dei eſt, qui nouit abſcondita cordis, & qua mente quiſque operetur, de hominum cogitationibus dictis, & factis iudicare. Hoc autem ſibi tribuunt temerarij iudices & detractores proximorum. Igitur grauiſſimo ſeſe crimine contaminant. Habet namque is qui operatur proximus ſuum iudicem æquiſſimum profectò & ſupremum: cur tu partes eius tibi arrogas? Domino

1. Cor. 4. ſuo ſtat aut cadit: In quo alium iudicas, teipſum condemnas. Nolite ergo ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illumina-

bit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit cõſilia cordium.

Quartum argumentum eſt à noſtra ſorte & conditione humana. Non ſumus conſtituti à Deo iudices legis ſuæ, ſed obſeruatores ac effectores. Ergo nobis magis incumbendum eſt in praxim eius, quàm in accuſationes & diiudicationes proximorum. Eodem ſenſu ſuperiùs dixerat: *Eſtote factores verbi, &c.* Paulus quoque ait, *Non auditores* (multo minus iudices eius) *legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores.* Et D. Areopagites, Totus Chriſtianiſmus conſiſtit in praxi. *Iac. 1.* *Rom. 2.*

In his autem animaduertendum, Apoſtolum iure optimo tantum operæ inſumere in cohercenda detrahendi & de aliis iudicandi libidine, ſiquidem hoc peccatum etiam ſanctos alioquin viros frequenter detineat. Sunt enim qui vitant adulteria, qui à periuriis abſtinent, qui ventri & gulæ non ſint dediti, qui ſuperbiam, ambitum, & arrogantiam omnem ſubiiciunt pedibus, auaritiam, vſuras, rapinas oderunt: detractionem tamen non horreant, quaſi vel nullum, vel ſaltem leue crimen eſſet: cùm hoc ſit pernicioſius, quo ſe magis tegit ſpecie religionis. Et vt paucis eiuſdem ſceleris multiplicem grauitatem exponamus, Detractor peccat contra caritatem debitam proximo, iuſtitiæ legem præuaricatur, alterius famam lædit, eum cui detrahit aliis reddit contemptibilem, auditores veneno ſuo inficit, pacẽ turbat, amicitiã diſſoluit, malas ſuſpiciones generat, odia fouet, inimicitias accendit, animam ſuam occidit, &c. An non igitur *Chryſoſt. in Pſ. 100.*

merito damnatur tot tantorũque vitiorũ origo?

B. ANTIOCHVS, ex hoc D. Iacobi teſti-
Hom.29. monio docet,detractionem& murmurationem
Pandect. germana quadam propinquitate confines eſſe: & vtrãque ramos eſſe inconſiderationis & ſtultitiæ. Item,detractorem, & ſeipſum perdere,& audientes, quos & conturbat, & ſuæ ſtultitiæ adſciſcit & parat complices. Qui enim fidem adhibet detractioni,aduerſus fratrem ſuum iniquiore afficitur animo: & reus efficitur peccati cum detractore.Non decet nos populo illi inueniri ſimiles, qui in eremo aduerſus Deum
Pſ.77. & murmurauit & detraxit. Aaron & Maria de-
Num.12. traxerunt Moyſi, & proinde in illos ira Dei exarſit:& Maria lepra percuſſa eſt.

D. BERNARDI hæc de detractoribus cen-
Ser.24. in Cant. ſura ſuccedat.Omnis qui detrahit,primùm quidem prodit ſeipſum vacuum caritate. Deinde, detrahendo intendit, vt is cui detrahit,veniat in odium vel contemptum ipſis apud quos detrahit.Et quantum in ſe eſt, auditores necat & extinguit,&c.

Et ne quis per imprudẽtiam in hoc ſcelus impingat,quot modis committatur, paucis exponendum.Primò,cùm falſum alteri imponitur. Secundò,quando peccatum alterius exaggeratur.Tertiò peccatum proximi ocultum,inordinatè prodendo.Quartò, dum bonum dicit quis mala intentione eſſe peractum. Quintò, dum bona alterius negat,& malitioſè reticet, quando exigit ratio vt ea manifeſtentur, &c. Nunc igitur nobis tẽperemus à detractione, ait

Chryſoſtomus, ne efficiamur iniqui iudices veritatis, & deprehendamur falſi teſtes eſſe. Ait enim, *Qui detrahit fratri, detrahit legi, & iudicat legem.* Imò qui cupiunt detrahere, perſequamur, & longiſſimè à nobis depellamus, ne alienis malis conſentientes, nobiſipſis conciliemus perditionem, & ne nos impleamus diaboli inuentis. Detractio enim ſolet diabolica nominari, quippe quæ natiuam à ſuo genitore ſortita eſt hanc nuncupationem, &c. *In Pſ. 100.* *Iac. 4.* *Gen. 3.* *Io. 8.*

12. *Vnus eſt legiſlator, & iudex, qui poteſt perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?*

Iam quinto argumento, quod deſumitur à legiſlatoris Dei iuſtitia & poteſtate, detractionem & iudicium de aliis temerarium improbat, dicens, Legis authorem, & omnium iudicem latere non poteſt quòd quiſque noſtrum peccauerit. Tolerat autem ille nonnunquam ſua longanimitate peccantes, vt reſipiſcant. Diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Bonitas eius ad pœnitentiam nos adducit. Vel tolerat, vt ſuo tempore grauiùs puniat. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Cur igitur ante tempus ipſe pronuncias? Cur tibi arrogas, quod eius eſt? Ne timeas quod quicquã ſinat inultum. Nouit, nouit ille, quid, quatenus, & quando ſit puniendum, qui ſolus ſine peccato eſt. Solius eius eſt impios pro ſceleribus acribus gehennæ flammis adiudicare: pios autem gloria & honore coronare: quod tandem aliquando pro certo facturus eſt. Venit quippe hora, & nunc eſt, quando omnes qui in monu- *Sap. 11.* *Rom. 2.*

mentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & viuent. Et procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, &c. Dicet his qui à dextris erunt, Venite benedicti, &c.

Io. 5.

Matth. 25.

Sextum argumentum eſt à communi omnium hominum miſeria, hoc modo, Quiſquis es, ô tu, qui de proximo detrahis & iudicas, æqualibus perinde cenſuris & tribunalibus ſubiici potes: quandoquidem vt illi, ſic & tu infelix, miſer, deprauati corporis & animi homo es. Noli ergo aliena dicta, facta, cogitata, nimis ſolicitè explorare, proximi peccata diiudicare,

Rom. 14. & tua diſſimulare. Simili argumento vtitur Paulus. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Turpe & iniquum eſt cenſuram facere de ſeruis alienis. Ergo quicunque noluerit iudicari & damnari à ſummo iudice, ne ipſe quemquem

Matth. 7. temerè iudicet. Trabem de oculo ſuo eruat, antequam de feſtuca alterum moneat.

In his porrò in primis obſeruãdum eſt, Apoſtolum hîc non agere de externis legibus & politicis iudiciis. Habent enim Magiſtratus tum Eccleſiaſtici, tum ciuiles, ſua fora, ſuas leges, & inquirendi, abſoluendi, damnandíque rationes, quibus non contradicit. Deus enim illas reuelauit & probauit, quando & Aaronem Synagogæ, & Petrum Eccleſiæ ſuæ præfecit: & Ioſue,

Matth. 17. & 22. Iudices, Reges, adeóque Cæſares ipſos conſtituit, daréque eis tributa haudquaquam prohi-

Rom. 13. buit. *Omnis anima,* inquit, *per Apoſtolum, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Ergo leges politicas & ciuiles, maximè quæ manifeſtam nõ con-

tinent impietatem, & Diuinis mandatis non repugnant, nemo pius contemnat vel reprobet.

Inde ergo patet Chemnitij, Caluini, & gregalium ipſorum mentes tetris imbutas fuiſſe prauitatis erroribus, quando ex hoc D. Iacobi teſtimonio tentauerunt efficere, *Neminem legibus Eccleſiaſticis aſtringi: Neminem leges condere poſſe, quibus obligentur conſcientiæ hominum baptizatorum: Neminem peccare, etiam ſi data opera leges humanas, politicas, Eccleſiaſticáſ-ve contemnat atque præuaricetur.* Nam tametſi vnus & ſolus ſit Legiſlator, qui cunctas leges inſpiret atque confirmet; cunctos ſibi ſic deuinciat & ſubiiciat, vt nullius legibus aut iudiciis ſubiectus ſit: & quoſcunque tandem ſecundùm leges ſuas iudicaturus ſit in iuſtitia & æquitate, quod hîc Apoſtolus docet: non vult tamen negare Pontifices, Reges, & Magiſtratus ab ipſo tãquam vicarios inter homines cõſtitutos eſſe qui ſuo nomine quaſdam leges ferant, quibus cæteri ſub pœna peccati & mortis obtemperare debeant. Nouerat enim Deum proprio ore ſtatuiſſe: *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Dathã, Coré, Abyron cum reliquis perduellibus, viuentes deſcendiſſe ad inferos. Denique, Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum dictum à Domino: *Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me, ſpernit eum qui me miſit.* Subditis autem: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, &c.* Politicas autem leges & ipſas Deum primum auctorem habere, ipſemet palã affirmat, dicẽs. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me*

In examine concil.
In Antido.
Deut. 17.
Num. 16.
Luc 10.
Prou. 8.

per ſcripturæ memor eſto, dicentis: *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Et alibi, *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam.* Eſt ſanè hoc vitium, quod omnino extingui debeat. Nihil enim tam inquietat animum, nihil ita mobilem ac leuem mentem facit, quàm facilè credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi. Hinc crebræ diſſenſiones, hinc odia iniuſta naſcuntur. Hoc ſæpe de amiciſſimis etiam inimicos facit. Si paſſim obtrectatoribus non crederemus, iam omnes detrahere timerent. *Prou. 20.* *Eccl. 28.*

Idem alibi, Caue ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, vt aliis detrahas, aut alios detrahentes audias. Detractor dum te videt, non libenter audire, non facilè audet detrahere. Et in Epiſtola ad Ruſticum ait, Sicut ſagitta emiſſa contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, ita detractor cùm triſtem faciem viderit audientis, illicò conticeſcet. *Epiſt. ad Nepotian.*

Possidonius primùm D. Auguſtini diſcipulus, poſtea Calamenſis Epiſcopus, lib. de vita & morte eiuſdem b. Aug. refert illum contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis, in menſa ſua deſcriptum habuiſſe hoc diſticon, *Cap. 22.*

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

13. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:*

14. *Qui ignoratis quid erit in craſtino.*

His acriter & vehementer inſectatur quo-

rundam Chtiſtiannorum temeritatem & præſumptionem, qui negociaturi, contempta Dei prouidentiâ, ex qua omnia pendent, audacter ſtatuunt de rebus futuris:obliti fragilitatis humanæ, longam ſibi multorum annorũ ſeriem pollicẽtes. Horum prius faſtnoſa & ſtulta conſilia quadam mimeſi recitat: deinde aliquot ſubiectis argumentis damnat & reprobat. Dicit itaque,Vos conuenio, improbi & auari negociatores, atque diuites omnes qui inſatiabili cupiditate lucri circuitis mare & aridam: quíque coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminos terræ, tanquam vos ſoli habitare deberetis in medio tetræ. E viſceribus terræ effoditis metalla, argentum,aurum,opes, irritamenta malorum. Vos appello,quotquot eſtis ſerui Mammonæ;agitedum,qua fronte dicitis: Hodie,aut cras proficiſcemur in hanc aut illam ciuitatem, pergemus ad illas nundinas,illa petemus emporia:Illic tot menſes,iſthic tot annos morabimur: his & illis artibus ſaccos pecuniis, currus & naues mercibus pretioſis implebimus, &c. cùm omnino ſitis incerti, quid die poſtero futurum ſit? Interea, rara eſt virtutum,rarior mortis,rariſſima Dei, ac iudicij eius commemoratio, &c. Nunc argumenta apoſtolica expendamus.

Primùm eſt ab incertitudine craſtini temporis,hoc modo, Stultum eſt de his pro certo conſtituere, quæ omnem noſtram notitiam & poteſtatem ſubterfugiunt. Dictat enim recta ratio de his ſolùm conſulendum eſſe, quæ in

poteſtate noſtra ſunt conſtituta: de aliis, delirantium eſt conſultare. At, non ſolùm ancipis menſis, ſed & craſtini temporis ratio non eſt in hominum poteſtate. Igitur ſtoliditatis & inſaniæ eſt de illis ſtatuere.

Atque hîc habes locum communem, vtiliſſimum ſanè & lectiſſimum, de rerum humanarum maxima inconſtantia: qui nos & de modeſtia commonefacere, & ab omni fiducia noſtri, atque præſumptione reuocare debet. Clamat Spiritus ſanctus per Sapientem, *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Prou. 27. Eccl. 10.
Item. *Hodie rex eſt, & cras morietur.* Hoc in Saule primo Hebræorum Rege completum docet Samuel, dicens illi, *Cras tu, & filij tui, eritis mecum.* 1. Reg. 18. Graui proſopopeia etiam defunctos ſic nobiſcum loquentes inducit Sirach, *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Eccl. 38. Frequentes idcirco & graues, & vtiles, occurrunt in Euangelio iſtæ admonitiones, *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. Vigilate, quia neſcitis quando tempus ſit: an ſerò, an media nocte, &c. Videte, vigilate, & orate, &c.* Matth. 24. & 25. Mar. 13. Luc 12. & 21.

Mirabiliter etiam cum his ſacris adhortationibus, conueniunt humanæ ſapientiæ profeſſores, philoſophi, & poëtæ, quorum ſunt hæc non contemnenda prouerbia, Neſcis quid ſerus veſper vehat. Ludit in humanis diuina potentia rebus. Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo. Et ſubito caſu quæ valuêre, ruunt. Irus eſt ſubitò, qui modò Crœſus erat, &c.

Semper igitur à Diuina bonitate depen-

deamus illi, noſtráque omnia fidenter commit-
Io.15. tentes, & eius opem implorantes. Ait enim, *Sine*
Act.17. *me nihil poteſtis facere. In eo viuimus, mouemur, &*
Ierem.10. *ſumus.* Et Ieremias inquit, *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos:* id eſt, ſine Dei ope & iugi prouidentia, nec peregrinationes, nec actiones eius felices erunt. In vniuerſis ergo peregrinationibus
Pſal.24. & negotiis oremus, *Vias tuas Domine, demonſtra*
Pſal.118. *mihi. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum. Dirige pedes noſtros in viam pacis, &c.*

Interim, habes in Apoſtolica mimeſi graphicè deſcriptas mercatorum præſumptiones, faſtus, iactationes inanes, vanitates, ventoſa verba, & operoſa tumultuoſáque negotia. Quid ſi in emptionibus & venditionibus illorum fallacias, fraudes, circunuentiones, mendacia & periuria ſibi ſigillatim enumeranda & inſectanda ſumpſiſſet? Secunda certè Biblia componenda fuiſſent adeò in dies noua fabricantur & augen-
Prou.20. tur, *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cum receſſerit, tunc gloriabitur*: fontem mendaciorum
l. 13. ciuit. c. 2. & fraudium inter venditorem & emptorem indicans Auguſtinus ait, Omnes volunt vili emere, & carè vendere, i. auaritia, & citò diteſcendi inſana cupiditas. Ideo ſcribit ſapiens Siracides, *Difficilè exuitur negotians à negligentia:* (alij, à deceptione: græcè, ἀπὸ πλημμελείας, à
Eccl 26. delicto:) *& non iuſtificabitur caupo à peccatis labio-*
Eccl.27. *rum.* Et poſtea, *Inter medium emptionis & venditionis anguſtiabitur peccans.* Quorſum autem iuſſiſſet Deus in lege ſua, vt ſtateræ eſſent iuſtæ, &

pondera

pondera æqualia: abominaretur pondus & pondus, menſuram & menſuram, nimirum, aliam ad vendendum, & aliam ad emendum: ſi non prænouiſſet huiuſmodi fraudibus vſuros eſſe mercatores? Chryſoſtomus, contendens Mercatores Deo vix placere poſſe, factũ Chriſti, vendentes & ementes de templo eiicientis, adducit in medium: cui & hoc Dauidis adiicit. *Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini*: in qua ſententia videtur fuiſſe Caſſiodorus, com. in hũc Pſalmi locum: adeò vt omnem videatur damnare negotiationem & mercaturam.

Leuit. 19. Prou. 20.

Author operis imp. apud. Hom. 38. in Matt.

Io. 2. Matth. 21. Pſal. 70.

Et reuera tot tantáque in huius ſæculi negociationem irrepſerunt vitia, vt qui de his ſecum diligenter cogitauerit, non poſſit ab illis non toto pectore abhorrere. Tametſi enim mercatorum exercitia neceſſaria ſint, illa tamen illiberales, ſordidi, & improbi quæſtus vocantur. Nam illorum fraudes, non artes venduntur, emuntúrque; quod non iuſti, non boni viri, ſed verſuti, fallacis & callidi officium eſt. Hîc autem emunt, vt alibi cariùs & ſupra ſortem vendant. His peculiare eſt paſſim mentiri, peierare, fraudare, & imponere: nec vlla illis lucrandi ratio turpis. Pauci ſine fraudibus diteſcunt: & (vt ait Auguſt.) Lucrum habere non poterit, niſi fraudem fecerit. Dolos quos committunt in lana, in lino, in panno, in ſerico, in gemmis, in aromatibus, in pharmacis, in cera, in oleo, in pane, in vino, in coriis, in calceis, in equis, in bobus, in omni denique mercium genere, quis

percurrendo recenſeret? Atqui hęc mala minora ſunt, ſuperſunt maiora.

Mercatores inuectis damnoſis mercibus, & quæ ad nullam faciunt vitæ neceſſitatem, ſed tantùm ad luxum, ad voluptatem, ad fucum, ad ludum, ad molliciem, ab ipſis terræ finibus, veluti laqueos important. Prouincias immenſa ſpoliant pecunia, vt hæc mulierculis ac effœminatis comparent: corrumpunt bonos mores, introductis peregrinis vitiis: & ſublato patrio ritu, & nouis & externis rebus ſtudentes, eas perditiſſimis implicant conſuetudinibus.

Illi contra ius & fas initis ſodalitiis, monopolia exercent, omnia excogitant, quibus multitudinis opes ad ſe contrahant, ac ſoli emunt omnia, quæ deinceps pro ſuo libito vendant permaximi. Illi chirographis implicant ciues, debitorúmque radices eò profundas & ineuitabiles plantant, vt euelli nequeant. Sed in gyrum pullulantes, & ex debitis debita germinantes, & fœnoribus fœnora, vſuríſque vſuras ſuperimponentes, miſeræ plebeculæ totam ſubſtantiam deuorant, & domos, liberóſque ſubuertunt ad interitum.

Illorum confluxu vrbes plerunque redduntur deterrimæ, omniq́ue fornicationum, ſcortationum, adulteriorũ, & libidinum genere inquinatiſſimæ, vt famatiſſima hodie emporia, de ſe exempla præbent. Hinc Carthaginẽſes mercatoribus diſtincta ſtatuerunt diuerſoria à ciuibus. Vituperat mercatores Plato, quòd optimos patrios inquinent mores. Ariſtoteles cen-

ſet illos non eſſe in ciuium numero recipiẽdos. Apud quaſdam reſp.antiqua lex erat, Ne quis mercator magiſtratum gereret,nec in cõſilium admitteretur:quia periurata ſuo poſtponit Numina,lucro,&c.

Quæ omnia dicta ſint de improbis,& prauis illorum artificiis: non ſimpliciter de Negociatione. Nam lege Diuina probantur ſerui emptitij:quanto magis alia pretio vẽdita,vel comparata?In Euãgelio dicuntur Apoſtoli abiiſſe in Samariæ vrbem, vt cibos emerent. Matronæ etiam emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM. Et Ioſeph ab Arimathia mercatus eſt ſyndonem,vt corpus Domini ſepeliret,&c. Ad Apoſtolica redeundum eſt argumenta. *Exo.12. & 21.* *Leuit.25.* *Deut.2.c. 4 & 28.* *Io.4.* *Mar.16.* *Matth.27.*

15. *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

Secundum eſt aduerſus iactationes mercatorum argumentum, ſumptum ab incertitudine & breuitate vitæ omnium noſtrũ, q.d. Non ſolùm non capimus finem dierum noſtrorum: ſed naturâ quoque ipſi tales ſum⁹, vt mille modis vanitati ſubiiciamur. Vita iſta nihil aliud eſt, quàm fumus inconſtantiſſimus, & vapor tenuiſſimus. Quis ergo tibi vitam in craſtinum pollicitus eſt? Faciésne mortuus, quod tam audacter confidẽterque ſtatuis? Vitam per ſe breuiſſimam tot caſus, tot morbi reddunt etiam incertiſſimam; & tu velut pactus cum morte, per maria volitas & terras, quo viaticum pares

ſenectuti,fortaſſis nunquam venturæ?Quid ita huic vitæ fiditis,quaſi rei firmæ ſtabiliſque, &c.

Seriò igitur meditandum, quàm euanida, leuis,& momentanea ſit hæc vita noſtra, cui vni tam contentioſè proſpicimus, cui vni laboramus &molimur. Vapor eſt,inquit vir Dei Apo-
Sap.5. ſtolus. Et Sapiens illam comparat *cum vmbra, cum ſagitta ex arcu emiſſa, cum aui volante, cum naui à ventis impulſa , & nuntio velociter tranſeunte.*
Iſa.4. Iſaias vociferat: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Mira ſunt quæ Moyſes, quæ Iob,quæ Dauid, quæ reliqui prophetæ, de illius inconſtantia & breuitate tradiderunt: & tamen ab eius nimio amore nullos ferè reuocare poſſunt. Sic ſtultæ ſunt hominum mentes,& pectora cæca.

Damascenvs ex hac D, Iacobi ſententia, &
l.1.parall.c. aliquot ſimilibus,euincit inſtabilem eſſe rerum
10. hnmanarum ſtatum,cùm homo ſit ſomnus, & fumus,vana præſentia, & vmbra imbecilliora.
Iob 14. *Homo quaſi flos egreditur, & fugit velut vmbra, &*
Iob 25. *nunquam in eodem ſtatu permanet. Homo putredo, &*
Pſal. 102. *filius hominis vermis. Recordatus eſt quia puluis ſu-*
In Pſal.1. *mus, homo ſicut fœnum. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Quibus ſubiungit hoc magni Baſilij, Quemadmodum qui in nauibus dormiunt,à vento ad portum ſponte trahuntur, etiam ſi ipſi minimè id ſentiant: eodem modo nos quoque effluente vitæ noſtræ tempore, quaſi perpetuo motu ad ſuum quiſque finem occulto curſu vrgemur.

Beatus EFFREM hinc vnumquemque noſtrum ſic hortatur, Linque pauciſſimos annos, vt æternum tempus acquiras. Non te perturbet ſæculi huius vita prolixior: nam breuis omnino, & ferè nulla eſt. Ab Adam vſque in præſens tempus, omne interpoſitum æuum quaſi vmbra pertranſiit. Paratus eſto, atque ad iter expeditus. Noli tè onerare ſuperfluis. Hyems prope eſt: occupare feſtina tectum illud, quod nos quoque perſequimur per gratiam Chriſti. *Ser. ad animam negligentem.*

AVGVSTINVS accedit his verbis, Tędet me valdè, Domine, vitæ huius. Vita eſt miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita ærumnoſa, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis & erroribus, quę non eſt vita dicenda, ſed mors, in qua ſingulis momentis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuerſis generibus mortium. Nunquid ergo quòd viuimus dicere poſſumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aërea morbidāt, eſcæ inflant, ieiunia macerant, &c. Et his malis omnibus mors furibunda ſuccedit, ſimúlque ſic cunctis miſeræ huius vitæ gaudiis finem imponit, vt cùm eſſe deſierit, non fuiſſe putetur, &c. *l. Meditat. c. 21.*

Sic claudit locum D. BERNARDVS, Verè breue eſt omnino tempus noſtrum. Infelix perinde, qui in huius vitæ lubrico fidens, perituram inſumit operam: nec aduertit quoniam *vapor eſt, & ad modicum parens, & vanitas vanitatum.* Vera omnino ſententia: Quoniam tentatio *In quibuſdam dictu.* *Eccl. 3.*

Iob 7. eſt vita hominum ſuper terram, &c. Et rurſum, *l. Meditat.* Nil aliud eſt homo, quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, & cibus vermium. Poſt hominem, vermis, poſt vermem fretor & horror. Sic in non hominem, vertetur omnis homo.

Nec iſtud, certè admiratione dignum, ſilentio prætereundum eſt, quòd Ethnici ſolius naturæ lucem ducem ſequentes, eaſdem vitæ noſtræ vanitates prædicauerunt. *In Pythiis.* Nam Pindarus vocat nos, Vnius diei homines. Homines ſomnium. Et in Olympiis: Genus morti veloci obnoxium. *In auibus.* Ariſtophanes, figmenta luti: Vmbratiles cœtus. Miſeros homines, viros ſomniis ſimiles. Et Sophocles ſcribit, Homo ventus eſt, & vmbra tantùm. Hinc tritum prouerbium, Homo bulla tantùm. Hominis miſeriam eleganter & grauiter depingit Plinius in procemio libri 7. & eiuſdem libri, c. 7. Hęc ſeriò meditemur, & omnem carnis arrogantiam, omnem auaritiam, omnem dignitatum ambitum, omnem crudelitatem facili labore ſupprimemus.

Pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit.
Et: Si vixerimus, &c.

Hoc eſt tertium argumentum, petitum à Diuina voluntate & prouidentia, ſine cuius auſpiciis nihil ſumus, nihil loquimur, nihil operamur. Ergo ſtuporem excitat eorum, qui poſthabito Diuinæ prouidentiæ reſpectu, totum anni curriculum ſibi ſubiiciunt: cùm mo-

mentum in poteſtate non habeant. Lucrum, quod adhuc procul abeſt, ac incertum, pro certo ſibi promittunt: cùm minimè teneant, quod ante pedes eſt. Vult autem Apoſtolus vt duplicem addamus cõditionem: nimirum, Si Dominus concedet: &, Si tandiu ſuperſtites erimus: quoniam multa interuenire poſſunt, quæ euertunt quicquid apud nos ſtatutum erat. Siquidem non niſi ſub iis conditionibus viuere, cogitare, loqui, & omnes operas ſuas facere decet viros Chriſtianos. Sic orat Filius hominis: *Pater, ſi vis, tranſeat à me calix iſte.* Sic loquitur Paulus: *Reuertar ad vos, ſi Dominus voluerit. Si mihi proſperũ iter contingat ad vos venie per voluntatem Dei. Veniam ad vos, ſi Dominus voluerit. Confido autem in Domino, quoniam veniam ad vos citò.* Quibus docet, bonum eſſe his formulis dicendi aſſueſcere vt pietatem Chriſtianam & ora noſtra redoleant, & linguæ de Deo quæ vera ſunt fateantur.

Mar. 14. *Act. 15.* *Rom. 1.* *1. Cor. 4.* *Philip. 2.*

16. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt.*

Coarguit & obiurgat improbitatem quorundam profanorum ac epicureorum: quorum alij toti rebus externis addicti, non niſi captandis, & ſine fine augendis lucris incumbebant, alij, opum fiducia turgidi, quicquid de lege Dei, de morte, de iudicio, de reddenda ſemel dictorum & factorum ratione docebatur, ſubſannantes: tantùm de vſuris, rapinis, circumuentionibus; aliiſque ſceleribus ſuis gloriabantur.

Illa in viis, in compitis, in foro, in conuiuiis iactabant. De his quaſi de rebus præclarè geſtis pluſquam iuueniliter exultabant. Omnem ergo iſtam exultationem qua ſibi placebant de bonis primùm falſis, hinc malè partis, inde mox auferendis, damnat Apoſtolus tanquam ſtultam & impiam.

Inde igitur patet, omnium peccatorum grauiſſimum, imò æternæ reprobationis & futuræ damnationis ſignum certiſſimum eſſe, gloriari de peccatis ſuis, de quibus omnino erubeſcendum & pudendum eſſet. Ideo conqueritur de Iſraëlitarum quorundam impuden-
Iſa. 3. tia Dominus: *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala.* Siquidem omnis
Gen. 19. verecundiæ fines tranſeuntes Sodomitæ, de beatis Angelis palam vociferabantur ad Lot, *Educ viros, vt cognoſcamus eos:* ſine vllo Dei timore, aut hominum reuerentia, nefarium ſcelus profitentes. Parem impudentiam exprobrat
Ierem. 3. quoque Ieremias, *frons meretricis facta eſt tibi,*
Prou. 2. *noluiſti erubeſcere.* Salomon autem piè docet, penitus fugienda eſſe illorum conſortia, qui relinquunt iter rectum, lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ peruerſæ, & infames greſſus eorum, &c.

Contrà, exhortatur cum Pſalmiſta, D. BASILIVS, pios omnes exultare in Domino,
In Pſ. 32. non quoniam rem proſperam domi habeant,

non quoniam corporibus bene ſit, non quoniã ager omnigenis fructibus refertus eſt: ſed quòd Dominum habeant tali inſignem poteſtate, tali præditum bonitate, tali ſapientia præcellentem. Id Pſalmi vbique perſonant, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde, &c.* Pſ. 2. Pſ. 31.

17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.*

Admonitio eſt ad cunctos Chriſtianæ fidei profeſſores, vt id pręſtẽt factis, quod verbis promittebãt. Erant enim quidã ſimulati & ficti, qui magnifica de doctrina Chriſtianorũ iactabãt, & ſeſe Chriſtianiſſimos eſſe inflatis buccis crepabant: ſed mores factáque verbis non reſpondebant; *Verbis* (vt ait alter Apoſt.) *fatebantur ſe noſſe Deum: factis negabant, cùm eſſent abominati, increduli, & ad omne bonum opus reprobi.* Dominus autem vult nos eſſe verborum ſuorum factores, non tantùm lectores aut cognitores. Tit. 1. Matth. 7.

Sequitur ergo illos longè grauiùs peccare, & idcirco in altero ſæculo acriùs plectendos eſſe, qui ſtudiis ſuis nouerunt quæ agenda, vel fugienda ſunt, & non faciunt aut fugiunt: quàm qui laborant ignorantia. Ideo ait Chriſtus, *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis: qui autem non cognouit, vapulabit paucis.* De his B. Petrus. *Melius erat illis non cognoſcere viam Iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Luc. 12. 2. Petr. 2.

Ser. 36. in Cantic. Hæc attendens D. Gregorius ait, Vbi eſt maius donum ſcientiæ, ibi tranſgreſſor maiori ſubiacet culpæ. Idipſum D. Bernardus hac ſimilitudine confirmat. Sumenti cibum, & non digerenti, periculoſum eſt ei: Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho, ſi per mores & actus digeſta non fuerit, in maximum peccatum reputabitur. An non mali humores, praui mores? Et beatus Ephrem, Tractatu quo ſeipſum reprehendit, & peccata ſua confitetur; Hoc ipſum quod loquor, non emundans vitam meam, mihi vertitur crimini. Nam, vt Scriptura teſtatur, *Scienti facere bonum, & non facienti, peccatum, eſt illi.* Atque hæc de quarto capite.

CAPVT QVINTVM.

1. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis.*

Pergit Apoſtolus etiam præſentis capitis initio in diuitum luxum, cæcitatem, immanitatem, laſciuiam, & reliqua vitia pro zelo euangelico acerbiùs inuehi & inſectari vehementiùs: deinde aliis exhortationibus verè euangelicis, ad officia vitæ Chriſtianæ præſtanda pios omnes allicere & compellere. Partes eius ſunt ſeptem precipuæ. Prima, diuitibus improbis facta ſua ca-

nit. Secunda, pauperes & afflictos hortatur ad patientiam. Tertia, à iuramentis Chriſtianos abſtinere docet. Quarta, triſtibus orare, lætis pſallere conſulit. Quinta, de infirmorum viſitatione & vnctione diſſerit. Sexta, errantibus in viã ſe reducere; poſtrema, pro omnium hominum ſalute orare ſuadet.

Primò itaque totam orationis virtutem & dicendi vim in Auaros, qui huius mundi opes poſſident & retinent, neſcientes quo fine à Deo creatæ ſibíque traditæ ſunt, ſermonem conuertens dicit, *Agite nunc diuites*, iam vos conuenio, qui totius huius ſæculi opes, theſauróſque colligitis, qui voluptatibus immerſi, & inflati ſuperbia, nihil niſi hunc mundum, hanc vitam, huiuſque delicias cogitatis. Vos coram Diuino tribunali appello, homines auari, qui tanquam inexplebiles gurgites deuoratis omnia: vos citò immiſericordes, qui tyrannicè inferiores & pauperculos diuexatis & opprimitis: vobis diem nuncnũc dico, qui hactenus ſecuri in voluptatibus exultaſtis, & cæleſtes diuitias contempſiſtis. Si mentis & conſcientiæ adhuc aliquid habetis, ſeriò cogitate Deum omnipotentem ſcelerum veſtrorum eſſe acerrimum vltorem, & repoſitas vobis apud eum pœnas iamiam ceruicibus veſtris imminere. Reputate animis diſtricti iudicij eius tempus adeſſe, quo, ablatis quibus impiè confiditis, facultatibus, exactam rationem de omnibus à vobis repoſcet. Ergo dum adhuc tempus eſt, omittite inſana gaudia, ponite cantus, finem facite peccãdi, priuſquam viuendi,

inſtaurate ſalubri pœnitentia, quod culpis de-
Matt 3. ſtruxiſtis. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce
Ioel. 2.
Pſ. 118. nunc dies ſalutis. Pœnitentiam agite, & regnum
Dei intra vos eſt. Scindite corda veſtra, & non
veſtimenta. Viua veráque cordium contritione
Pſ. 6. exitus aquarum deducant oculi veſtri. Lauate
per ſingulas noctes lectulum veſtrum pœniten-
Iob. 3. tiæ lacrymis. Antequam comedatis, ſuſpirate: &
tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus veſter
appareat: vt quem ſequuti eſtis peccantem Re-
gem, eundem ſequamini pœnitentem, & di-
Pſ. 37. centem: *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Præ doloris magnitudine vlulate, vt ſupernos cruciatus vobis repoſitos effugiatis.

Ex his autem primùm diſce, paſtorum & doctorum verbi diuini munus eſſe, in ſcelera improborum acriter inuehi, atque conſtanti publicáque futurarum miſeriarum denunciatione illos perterrefacere, & vt ſeruili ſaltem timore peccare deſinant, pro virili ſatagere. Hic enim timor filialem demũ timorem inducet, vt acus ſuauiſſimè coniungens filum introducit, vt docent Philo Iudæus & Baſilius magnus. Nathan
2. Reg. 12. & Gad prophetæ peccatorum horrores & ſupplicia obiicientes Dauidi, eum ad hos amariſſi-
Pſ. 6. mos gemitus planctúſque perduxerunt; *Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Quoniam ſagittæ tuæ*
Pſ. 37. *infixæ ſunt mihi. Non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum. Miſer factus ſum, & curuatus*
Matth. 3. *ſum. Circundederunt me dolores mortis, &c.* Ad hunc finem Præcurſor Domini minitabatur & voci-

ferabat palam ad Iudæos: *Genimina viperarum, quis vos docebit fugere à ventura ira? Iam ſecuris ad radicem poſita eſt.* Et Chriſtus hunc timorem incutit dicens, *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Et iterum, *Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* Hieronymus ob gehennæ metum Romæ valedicens in vaſtiſſimam eremi ſolitudinem ſeceſſit. Auguſtinus de ſe adhuc erroribus Manichæorum implicito ſcribit: Nec me reuocabat à profundiore voluptarum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij, qui nunquã receſſit de pectore meo.

Luc. *Matth.* *Ep. ad Euſtochium.* *L. 6. conf. c. 16.*

Attende ſecundò, veram perfectámque pœnitentiam non conſiſtere *in ſola fiducia de gratia Dei*, vt ait Lutherus: nec in *ſola Baptiſmi recordatione* conſtitutam eſſe, vt garrit Caluinus: ſed maximũ in primis de præteritis peccatis cordis & animi dolorem exigere: deinde, ſuiipſius ingenuam accuſationem & confeſſionem oris: poſtremò, laborioſam ſatisfactionem per pœnas aut ſponte aſſumptas, aut voluntariè toleratas: quæ omnia comprehendit D. Iacobus *ploratus & vlulatus* nominibus. Dauid, Ezechias, Achab, Manaſſes pœnitentiæ operibus incumbentes, non ſola fiducia, vel circuncisionis memoria cõtenti fuerunt: ſed lacrymis, ſuſpiriis, gemitibus cor contritum teſtificantibus; deinde, ieiuniis, in ſacco & cinere, humicubationibus, aliiſque carni moleſtis & operoſis exercitiis ſedulam operam dederunt. Niniuitæ hauddubiè conſilio prophetæ Ionæ, induti ciliciis, ieiunantes, oran- *Iona. 3.*

L. de pœnitent. c. 9. tes,& clamantes ad Dominum in fortitudine, iram illius à ſeipſis auerterunt. Tertullianus vir apoſtolicorum temporum, Pœnitentiam appellat, proſternẽdi & humilificandi hominis diſciplinam. De ipſo quoque habitu, ſubiicit ille, atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, paſtũ & potum pura noſſe, ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominũ, preſbyteris aduolui, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere, &c. quæ omnia certe longè aliud ſonant, quàm Baptiſmi recordationem, aut fiduciam in Deum.

Hinc etiam aduerte, impoſſibile eſſe hominem ſimul in hoc ſæculo & altero beatum fore: cùm Apoſtolus doceat magnas miſerias improbis diuitibus repoſitas eſſe, & infelicem exitum eos manere. Hoc apertè confirmat pater fidei noſtræ Abraham, dicens Epuloni, Poſt huius *Luc. 16.* mundi delicias in flammis gehennæ ardenti; *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus mala: nunc autem conſolatur, tu verò cruciaris.* Habẽt quidem & illi quaſdam aliquando ærumnas: ſed quàm exi- *Epiſt. ad Heliod.* guæ ac propè nihil ſunt, ſi cum futuris ac æternis comparentur? Sanctè ergo ac iure ſcribit Hieronymus, Hæreditatem expectans ſæculi, cohæres Chriſti eſſe nõ poteris. Et Auguſtinus, *Soliloq. c. c. 22.* Nemo poteſt in vtroque ſæculo conſolari, nec poteſt quis hîc & in futuro gaudere: ſed vnũ neceſſe eſt, vt perdat qui alterũ voluerit poſſidere.

D. Cæsarivs Arelatenſis, ſuperiora D. Iacobi Apoſtoli verba attento animo conſiderans, ſeipſum arguit & reprehendit, quia fortè aliquoties euenit, vt per negligentiam, veſtimēta quæ debuerunt accipere pauperes, deuorata ſint à tineis: timétque ne ſibi ipſi panni ad teſtimonium proferantur in die iudicij. Quanto maiore timore percelli deberent qui quinquaginta, centum, ducenta millia nummorum ex plurimis ſacerdotiis recipiunt: & vix obolum largiuntur pauperibus? *Hom. 2.*

D. Marcvs eremita ex iiſdem verbis docet, Diuites facultates ſæculi accipere à Deo, vt communicent non habentibus. Qui verò nulla miſericordia ducuntur erga proximum, conſequuntur ipſum Vę diuitibus comminatum, quo recipiunt conſolationem ſuam. Dum autem beatus Iacobus Apoſtolus huiuſmodi diuitibus inquit, Plorate vlulantes; adhortatur eos ad pœnitentiam. *L. de pœnitentia.* *Luc. 6.*

D. Fvlgentivs ex his quoque deducit, illis qui in bonis præſentium rerum volunt habere lætitiam, Pſalmiſtam dicere: *filij hominum, vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et alio loco: *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere, &c.* Tales etiam B. Iacobus increpare non ceſſat, dicens, *Agite nunc diuites, plorate, &c.* *Epiſt. 7.* *Pſ. 4.* *Pſ. 61.*

D. Damascenvs iiſdem Apoſtoli verbis, vt & multis aliis ſimilibus, vtitur ad increpandum illos, qui eleemoſynam minimè faciunt; ſed auaritia & tenacitate laborant, pecu- *L. 2. paral. c. 17.*

niæque deſiderio flagrant. Subiicit iſthæc magni Baſilij verba; Audi, quæſo, Salomonem: Ne dicas, Vade, & reuertere, & cras dabo tibi. Neſcis enim quid paritura ſit ſuperuentura dies. O quæ præcepta contemnis! Triſtis es atque huiuſmodi, quem vix quiſquam conuenire poſſit, vt qui occurſum hominum fugias, ne vel tãtulum quippiam de manibus eiicere cogaris. Vnam hanc vocem noſti: Non habeo, nec dabo, pauper enim ſum. Ac ſanè pauper es, atq; omnis boni expers, vacuus caritate, vacu⁹ humanitate, vacuus fide in Deum, vacuus ſpe æterna, &c.

Homil. in illud, Deſtruam horrea mea

Obſeruat poſtremò B. Thomas, per aduerbiũ Nunc ſignificari quoddam certum ac breue tempus datũ eſſe improbis diuitibus ad pœnitẽdum, nimirum, ſpatium vitæ præſentis. Quod ſi inutiliter conſumpſerint, & diuinam patientiam longanimitatemque contempſerint: fruſtrà poſtea ſeroque nimis illos pœnitebit. Clamabunt enim, & non exaudientur: *Venit nox* (ait Chriſtus) *in qua nemo poteſt operari*, Ideo Paulus hortatur: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et Auguſtinus, Morum corrigendorum nullus alius, quàm in hac vita datur locus. Gregorius autem, Poſt iudicium non patet precum aut meritorum locus. Cyprianus denique, Hortamur dum facultas adeſt, Deo ſatisfacere: quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus iam pœnitẽtiæ locus eſt, null⁹ iã ſatisfactionis effectus, &c. Quod de reprobis atque iam in inferos dãnatis intelligendũ eſt, ne quis cùm Hugnoſticis, iſthæc aduerſus ignem Purgatorium malignè

Ioan. 9. *Gal. 6.* *Epiſt. 54.* *Tractatu ad Demetr.*

gnè detorqueat.

2. *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.*

3. *Aurum, & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis.*

Iam aliquot diuitiarum ſpecies Apoſtolus enumerat, quas omnes euincit eſſe caducas, incertas, & vanas: atque ideo concludit, inſanum eſſe illarum ratione inſoleſcere ac ſuperbire, atque magnam impietatem coram Deo in illis confidere. Hoc autem modo argumentatur; Debēt viri ſapientes & prudentes nō niſi rebus ſolidis ac firmis confidere. Nam maledicitur à *Ierem. 17.* Deo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Prohibemur quoque confide- *Pſ. 117.* re in principibus, & filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Coarguuntur etiam qui confidūt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Sed omnes diuitiæ ſiue naturâ, ſiue arte compactæ & comparatæ, ſunt inconſtantes & vanæ, vt patet de frugibus, veſtimentis, auro, & argento, quæ vel putredine, vel igne abſumuntur: vel à blattis, tineis, ærugine corrumpuntur & pereunt. Igitur vanum & impium eſt in illis animum, ſtudium, ſpémque collocare. Verùm, fingite nec vitam humanam inſtar cuiuſdam torrentis effluere, nec vos vnquam morituros. Quid? Nonne opes in putredinem interim conuertentur? Mauultis ipſas computreſcere, vel à vermibus conſumi, quàm gen is impertiri? Heu ſocordiam veſtram!

Væ tantæ crudelitati & impietati! Vultis præcipuarum ſpecierum enumeratione probem inconſtantiam & vanitatem diuitiarum? Abũdantia in primis frumenti, vini & olei, quibus completis horrea, & refertis promptuaria veſtra, vbi nunc eſt? An non putredine & ſitu perierunt? Ecquid illorum diuturna & auara retentio profuit? Ipſi interea tempore congruo non communicaſtis egenis: ſed immani crudelitate ſiuiſtis illos in ianuis veſtris mala fame perire, &c.

Obſeruandum porrò Apoſtolum non damnare abſolutè & ſimpliciter omnem frugum collectionem & conſeruationem in horreis, aut olei viníque in promptuariis, pro futuris neceſſitatibus ſuis, familiæ, pauperúmque repoſitam: cùm prudentiæ prouidentiæque pars ſit non minima: nec Deus ſingulis menſibus aut meſſem, aut vindemiam concedat. Ideo per Sapientem dicit: *Qui congregat, filius ſapiens eſt:* Et

Prou.10. iterum. *Piger, vade ad formicam, & conſidera vias*

Prou.6. *eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Eſt enim, vt idem docet, tempus ſeminandi, & tempus congregandi in horrea. Lau-

Eccl.3. datur Ioſeph quòd ingentem frumenti vim in multos annos in horrea Pharaonis condiderit.

Io.13. Chriſti diſcipulus loculos habebat, quibus in articulo neceſſitatis ſibi ſuíſque prouideret.

Damnat ergo Iacobus in primis ſtultitiam diuitum, qua fiduciam ſuam conſtituebant in rebus pluſquam caducis, & quæ vno Dei nu-

tu in nihilum redigi poſſunt: imò ſuaptè natura corrumpuntur. Deinde; inexplebilem illorum auaritiam, quòd in hoc tantùm opes congererent, vt ſine legitimo vſu perirent: *Theſaurizat,* *Pſ.38.*
inquit Pſaltes, *& ignorat cui congregabit ea*, quia cùm diues moritur, non ſumit ſecum omnia, &c. Nabal certè nunquam animò ſuo cogitàuit, ſubſtantiam ſuam Dauidi ceſſuram. Im- *1.Reg.25.*
probo diuiti dicitur in euangelio: *Stulte, hac* *Luc.12.*
nocte repetam animam tuam à te: quæ congregaſti cuius erunt? Adhæc, prouerbia iſta experientiâ quotidianâ vera eſſe comprobātur. Malè parta, malè dilabuntur. De malè acquiſitis, non gaudebit tertius hæres. Habent, enim connexam ſibi maledictionem Dei, qua omnia abſumuntur.

Quid ergo, inquient, facturi ſumus de diuitiis? Reſpondet cum Apoſtolo D. Auguſtinus; Diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent; & non illas perdituri ſunt. Audi quid ſequitur, *Theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Sic dabunt precium animæ ſuæ. Et Dominus hoc monet, *Facite vobis ſacculos non veteraſcentes, theſaurum non deficientem in cælis, quò fur non accedet, neque tinea corrumpit. Theſaurizate vobis theſauros in cælo, &c.* Noluit Deus vt perdas diuitiàs tuas, ſed vt locum eis mutes. Audires amicum ſuggerentem, vt frumenta leuares de inferioribus locis vbi putreſcerēt, ad ſuperiora vbi ſeruarentur: & nón audis

1.Tim. 6. *Com. in Pſ. 48.* *Luc.12.* *Matth. 6.*

Chriſtum monentem, vt theſaurum tuum leues de terra ad cælum?

Veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.

Accedit ad ſecūdā opū ſpeciē, quæ in veſtibus lineis, laneis, vndulatis, holoſericatis, inauratis cōſiſtit: in quibus olim, (vt etiā nūc) multi gloriabantur, adeò vt plus in veſtitū quàm in victū inſumerent. Malunt enim multi lautiùs veſtiri, quàm cibari. Hanc autem vanam & ſtolidam gloriam eſſe confirmat. Siquidem lanæ, fila pretioſa, ſtamina delicata, veſtes quantumuis pretioſæ & caræ, depaſcuntur à tineis, roduntur à vermibus, perforantur à blattis, quando vſu non teruntur. Huiuſmodi eſt igitur obiurgatio Apoſtoli. Quis veſtram ſocordiam non miraretur? Imò, non toto corde execraretur? Paucæ & vulgares veſtes veſtræ naturæ contegendæ ſufficerent: vos binas, ternas quaternáſve, & pretioſas cumulatis: quę interim nec vobis, nec aliis proſunt. Sed quid interim accidit? Veſtibus parcitis, non parcunt autem tineæ & vermes. Pauperes nudos ſinitis, vt paſcatis vermes, tineas, & blattas. O excæcatos homines, qui malunt iſtas beſtiolas fouere in arcis ſuis, quàm harum rerum impendio vitam æternam in cælis comparare! Iuuat ergo velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtitutum, vnde vniuerſi diuites exaudire poſſint, proclamare:

Lactant. *O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane!*

O curuæ in terras animæ, & cæleſtium inanes!

Nec ſimpliciter, nec abſolutè damnat Apoſtolus veſtes pretioſas, vel mutatorias, aut mutiplicem vſum ſecundùm cuiuſque conditionem, & regionis obſeruantiam legitimam: ſed nimiam ſuperfluamque curioſitatem, ſuperbiam, inſolentiam, indeque naſcentem pauperum neglectum. Ait enim Dominus, *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Et in euangelio) *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.* Exprobrabit quoque in nouiſſimo die diuitibus ingratis: *Nudus fui, & non operuiſtis me. Ite maledicti, &c.* *Iſa.56.* *Luc.* *Matth.25.*

Veſtium autem vſum legitimum ipſemet docuit Dominus, faciens & exhibens Adæ & Euæ tunicas pelliceas, quibus & verenda contegerent, & aëris inclementiam à corporibus ſuis arcerent. Eliezer ſeruus beati patris Abrahæ dedit Rebeccæ, Iſaac futuræ coniugi, egregias veſtes. Hæc primogenti ſui Eſau veſtes valdè bonas, & ſuauiter ſpirantes, in ciſta domi ſeruabat. Veſtes ſacerdotales reuelante & præcipiente Domino, omni cultu, artificio, purpura, auro, argento, gemmis ſplendebant. Salomonis glorioſa veſtimenta Scriptura commemorat, non damnat. Et hic deſcribens Mulierem fortem, aſſerit byſſum & purpuram indumentum eius: domeſticos autem illius, veſtitos fuiſſe duplicibus. Ioſeph exceptam à patre tunicam polymitam ferebat. Daniel torquem aureum, & purpuram à Balthaſare Babyloniorum imp. delatam non re- *Gen.3.* *Gen.22. & 24.* *Gen.27.* *Matth.6.* *Prou.31.* *Gen.37.* *Dan.5.*

çuſauit. *Mardochæus*, ait Scriptura, *de palatio & conſpectu Aſſueri regis Perſarum egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacynthinis aerinis, coronam auream geſtans in capite, & amictus pallio ſerico atque purpureo*: Eſther quoque ad Aſſuerum pro liberatione populi ſui profectura, *depoſitis luctus indumentis, circundata eſt gloria ſua, regióque fulgebat habitu, &c.* His ergo manifeſtum eſt, externum veſtimentorum ſplendorem Regibus, Reginis, principibus viris ac fœminis, pro cuiuſque ſorte atque patria, permiſſum eſſe, tum ad ſtatus ſui gradum honorémque coram ſubditis conſeruandum, tum ad poteſtatis ſuæ à Deo acceptæ ſymbolum exhibendum. Abſit autem omnis faſtus arrogantia, contemptus inferiorum &c.

Eſther.8. *Eſther.15.*

Nam his qui abuſi fuerint, quid conferet ornatus veſtium (ſcribit B. EFFREM,) niſi inextinguibilē ignem? An non diues byſſo & purpura olim indutus inflatúſque, in inferis ardet perpetuò? Meritò igitur D. BERNARDVS eos omnes coarguit, qui in veſtibus non tam calorem, quàm colorem requirunt: magíſque cultui veſtium, quàm virtutum inſiſtunt: & pretium affectant, non neceſſitatem. Inſuper, qui ad induendum non quærunt quod vtilius, ſed quod ſubtilius: non quod frigus repellat, ſed quod ſuperbire compellat: non denique quod vilius poteſt comparari, ſed quod venuſtius, imò vanius oſtentari. Iſta exterior, ſuperfluitas, interioris

Ser. de 2. adu. Dom. *Iſa.66.* *Luc.16.*

vanitatis iudicium eſt. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant, &c.

Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum, &c.

Hæc eſt tertia ſpecies diuitiarum, in quibus nimis confidentes & exultantes diuites inſectatur Apoſtolus, videlicet in pretioſis auri & argenti metallis, quæ ſuperioribus opum ſpeciebus firmiora & magis durabilia videntur. Hanc porrò confidentiam vanam & impiam eſſe demonſtrat, vel ex eo ſaltem, quòd hæc ærugine & ſcoria tandem vitiantur: vel (vt eſt in Euangelio) à latronibus effodiantur *Matth. 6.* & furentur. q. d. O bis miſeros auaros, qui tantis laboribus congregant pecunias; eaſdem grauioribus tormentis amiſſuros! Quid ergo ex illis, præter anxietates & moleſtias conſequũtur in hoc ſæculo, & perpetuos ignes vermeſque in futuro? Ærugo namque illa, quæ veſtros theſauros vitiat, vos coram Deo accuſabit impietatis & crudelitatis, qui maluiſtis illas ſitu perire: quàm in vſus egenorum depromere. Vos reos aget execrandus abuſus donorum Dei, qui aurum non creauit æruginí; nec vt de terra erutum, in terram recondatis: ſed vt in vitæ veſtræ, deinde proximorum ſubſidia inſumatis. Inſuper, ærugo illa non ſolùm prodet tenacitatem & auaritiam veſtram; ſed & occaſio erit, vt carnes veſtras ignis æterni & ſulphurei flamma tandem aliquando corripiat, & in ſempiternum torqueat.

Vide ergo, quàm infelix & perniciosum ſit nimium pecuniarum ſtudium. Eius namque acquiſitio laborioſiſſima eſt, poſſeſſio inconſtantiſſima, amiſſio triſtiſſima, & auara retentio penitus damnabilis & exitioſa. Sanctiſſimè igitur Dominus noſter admonuit: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c.* Et diuitias comparauit cum ſpinis, quæ tangentes pungunt, lacerant, cruentant. Denique exclamauit: *Quàm difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum! facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, &c.* Et Sapiens ait, *Auaro nihil eſt ſceleſtius. Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.*

Matth. 6. *Luc. 8.* *Matth. 19.* *Eccl. 10.*

Proœmio in lib. 33. & c. 1. eiuſdem lib. 21.

Placet & hanc auri cupidorum Plinij viri ethnici grauem addere inſectationem. Tellurem intus exquirimus cura multiplici, quærente vita aurum, argentum, æs, electrum. Perſequimur omnes eius fibras, videmúſque ſuper excauatos montes minantes dehiſcere aliquando. Hoc exemplum indignationis ſacræ parentis (i. terræ.) Imus in viſcera eius, & in ſede Manium opes quærimus. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demerſit. Quis futurus finis eſt, ſæculis omnibus exhauriendi eam? Quouſque penetrabit auaritia? Heu prodigioſa ingenia! Quot modis auximus pretia rerum? Quàm innocens, quàm beata, imò verò & delicata eſſet vita, ſi nihil aliud de ea, niſi quod ſupra terras concupiſceret, haberétque non niſi quod ſe-

cum eſt! Vtinam poſſet è vita in totum abdicari aurum, ſacra fames, vt celeberrimi authores dixêre, proſciſſum conuitiis ab obtimis quibuſque, & ad perniciem vitæ repertum, &c. Qui plura ex humanis authoribus ſitierit, habet ex Valerio, l. 9. c. 4. & Baptiſta Fulgoſo, l. 9. c. 6. vnde ſitim abundè reſtinguat.

Attende etiam ex Apoſtolo, ipſam delictorum noſtrorum materiam, ſuo quodam modo, nos coram Deo accuſaturam & conuicturam eſſe de peccatis per eam admiſſis. Vnde Beda; Ærugo pecuniæ vertetur in teſtimonium nequitiæ, & augmentum pœnæ. Propheta quoque ſcribit: *Lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter iuncturas parietum eſt, reſpondebit.* Id eſt; ipſa marmora, tabulata, lignáque palatiorum, rapinas ſuperbiámque tyrannorum accuſabit: vt teſtes contra impios nunquam ſint defuturi. Eadem emphaſi Chriſtus dixit ad Iudæos: *Si paruuli tacuerint, lapides clamabunt.* *Habacu.* 2. *Matth.* 21.

Animaduerte quoque, omnium impiorum carnes, membra, corpora, eadem numero, in extremo ſæculi die reſurrectura, vt vero, corporeo, ac inextinguibili igne perpetuò crucientur, *Qui mala egerunt* (ait Chriſtus,) *ibunt in reſurrectionem iudicij.* Dicet his qui à ſiniſtris erunt, cum corporibus & animis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Hæc eſt ſeries & cauſa iuſtitiæ, ſcribit Ambroſius, vt quoniam corporis animæque communis eſt actus, quæ animus cogitauit, corpus effecit: *Io.* 5. *Matth.* 25. *Orat. de fide reſurr.*

vtrunque in iudicium veniat: vtrunque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reſeruetur. Et idem alibi, Impij corpora ſua recipient iam non morituri: ſed paſſuri pœnam in eis ſine fine, *Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſque propria corporis ſicut geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Plurima quæ hoc loco tractari poſſunt de inferorum locis & tormentis, aduerſus errores Hugnoſticorum, copioſè expediuimus ſecunda Dialogorum hebdomada, Dialogo ſeptimo.

Com. in c. 15 prioris ad Corint.

Theſauriʒaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.

Hæc ſententia continet amaram exprobrationem, in auaros, quòd tum ſibi ardẽtiùs comparant opes, cùm hæc vita ponenda ſit, & nouiſſimi dies inſtent. Quo minus viæ reſtat, eò plus viatici quærunt. Quid autem reipſa illis laboribus vlterius conſequuntur? Iram & maledictionem Dei coaceruant in vltimum diem. Ergo verborum iſte ſenſus eſt, Egregiè factum putatis, ô diuites auari, quòd auri cumulos congeſſeritis, quòd frugum ſuperſint ingẽtes acerui: ſed reapſe theſaurum vltionis diuinæ vobis cumulaſtis, carbones infernales in capita veſtra coaceruaſtis. Deus enim omnium ſcelerum vltor ſupremus, omni vindicta auaritiam & inhumanitatem veſtram perſequetur, niſi tempeſtiuè reſipueritis.

Hinc conſpicimus quales ſibi theſauros recondant raptores, auari, vſurarij, ſacrilegi, immiſericordes, nimirum iram Dei ſempiternam,

Hoc & Paulus affirmat dicens, *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.* Rom.2. Huc pertinet etiam illud, *Dominus vindicabit, in die iudicij iudicabit illos, Dabit ignem, & vermes, & carnes eorum vt comburantur, & ſentiant in ſempiternum.* Iudith 15. Et rurſum, *Vindicta carnis impij, ignis & vermes.* Eccl.7.

Notandum inſuper ſanctos patres Ambroſium, Baſilium, Chryſoſtomum, Homiliis contra auaros, non ſolùm furtorum & rapinarum, ſed & tot homicidiorum reos illos eſſe cenſere, quot pauperes illorum tenacitate & inhumanitate fame moriuntur. Aiunt enim, Si non pauiſti, occidiſti. Eſurientium panis eſt, quem detines: nudorum indumentum, quod abſcondis: tantorum te ſcias bona inuadere, quantis poſſes, nec vis præſtare. Non minoris criminis eſt, cùm poſſis & habeas, indigentibus denegare, quàm habenti tollere. Tametſi œconomica negotia tractare non ſit peccatum: imò & iuxta Paulum, parentes non iniuſtè filiis ſuis theſaurizent: quia *qui ſuos negligit, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior*: 1.Tim.5. interim tamen memores ſimus Domini commonentis, *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, &c.* Matth.6. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Luc. Nam melior eſt eleemoſina, quàm theſauros auri recondere. Tob.12.

Nec pigebit hìc addere Authoris ſermonum ad fratres in eremo, apud Auguſtinũ, iſtas Auarorum increpationes. Væ illis, qui tales ſunt.

Prou.30. Auarus miſericordiam non habet. Cupidus ſimilis eſt inferno. Infernus quantnmcunque plus deuorat, tanto magis deſiderat: ſic & auarus nunquam ſatiabitur. Creſcit vana potentia, Sap.6. creſcit & pœna, *Potentes potentiora tormenta patientur.* Quanto maior honor datur, tanto maius periculum comparatur. Iſti tales ſunt elati, ſuperbi, vanitate pleni, ſeipſos amantes magis quàm Deum. Colligentes amicitias ſæculares, perdentes æternales. Væ illis, quos tales rapuerit infernus, qui dum tempus habent, non corrigunt ſe. Cùm mors venerit, potentia illorum vbi remanebit? &c.

4 *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.*

Hactenus perſtrinxit dānauitque ſuperbiam, inſolentiam, immanitatémque Diuitum: nunc illorum fraudes, violentias, rapináſque exagitat, aperiens iſtiuſmodi ſcelerum grauitatem, vt maturè ſerioque ſalutaribus pœnitentiæ fructibus ac remediis ſibi conſulerent. Dicit ergo: Quid eſt hoc, Diuites, quod de veſtra crudelitate & barbarie, fora, compita, agri, caſæque ruſticorum perſonant? Nimirum, vos non ſolùm non eſſe benignos & liberales in fratres egenos: ſed & ſeruos, agricolas, meſſores agrorum veſtrorum, debita mercede fraudare: At, iſtud ſcelus eſt maximum, immane, crudeliſſimum: quódque ſua enormitate, quaſi alto clamore cælos penetrat, à Deo vindictam expoſcit, nec

vnquam impunitum manebit. Clamant quidem ad huius mundi Reges, & de miſeriis ſuis conqueruntur fraudati operarij: ſed non audiuntur, ſatellitibus viam illis occludentibus. Vociferantur ad Iudices & Magiſtratus ab illis conſtitutos: ſed hi habita tantùm ratione diuitum ac munerum, aures habent plumbeas, & corda lapidea, ad pauperum eiulatus atque querelas. Nec poſſunt ipſi, nec debent proprias iniurias vlciſci: at, Deus vltionum Dominus pro ipſis ſtat, iudicat, retribuit. Suum fauorem illis nunquam defuturum promiſit, dicens: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam.* Et in lege ſanciuit, *Non negabis mercedem indigentis fratris tui, ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante Solis occaſum: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi ad peccatum.* Ruſumque diſtrictè præſcribit, *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mané.* Deut.24. Leuit.19.

Ex his porrò, & quibuſdam aliis Scripturæ ſententiis colligunt Theologi, quatuor eſſe genera peccatorum, quæ propter ſui grauitatem dicuntur clamare in cælos ad Dominũ, & tam inſignem & manifeſtam improbitatem habere, vt iram diuinam vltrò expetant, & cæleſtem vltionem quaſi clatis vocibus accerſant iis, à quibus committuntur. Primum eſt, innocentium voluntarium homicidium. De hoc enim conteſtatur Dominus ad Cain: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et Chriſtus ait in Euangelio, *Deus faciet vindictam electorum ſuorum* Gen.4. Luc 18.

primogenitos iſtorum vna nocte deleuit: & ipſi cum Rege ſuo demerſi ſunt in profundum maris rubri quaſi lapis. Diſcant ergo tyranni, & violenti omnes, ferociam ponere, & Iudicem pauperum viduarumque timere. *Exod. 14. & 15.*

Quartum eſt hoc, de quo nunc diſſerit Apoſtolus, nempe, merces opificum & agricolarum vel fraudata, vel retenta vi. Sub quo etiam crimine comprehenduntur, qui minus æquo perſoluũt, & qui corruptas merces, aut falſam monetam obtrudunt incautis. Hæc enim omnia clamant ad Dominum exercituum, & vindictam ab eo poſtulant. Vos, inquit, nihil commouet pauperum eſurientium & ſitiẽtium calamitas. Alienus ſudor vos alit. Aliena fames ac ſitis vos ſaginat. Alieni labores horrea, & prõtuaria veſtra replent. Ruſtici interea vobis ſpectantibus ringunt, algent, fame ſitique enecantur. Vos autem ſuauiter & in deliciis veſtris trãſigitis, agitis quotidiana conuiuia, & omni voluptatum genere paſcitis animos veſtros. Non permanebunt, mihi credite, non permanebunt hæc ſemper impunita. Eſt oculus in cælo conſpiciens & diiudicans hæc omnia. Hæc autem quatuor criminum genera vno breui diſticho complexi ſunt,

Clamitat in cælum vox ſanguinis, & Sodomorum,
Vox oppreſſorum, merces detenta laborum.

Sunt igitur ſerui, agricolæ, meſſores, operarij omnes, cum humanitate tractandi, atque pro fratribus, & vitæ æternæ cohæredibus à Dominis & diuitibus, habendi. Etenim cùm curam

habeant equorum, atque canum ſuorum, prodigioſæ crudelitatis eſſet, erga proximos ſuos, quorum laboribus quieſcunt atque diteſcunt, nulla tangi miſeratione. Accedunt diuinæ pro his conſtitutæ leges atque in contemptores ſeueræ comminationes, *Panis egentium, vita* inquit, *pauperis eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Item. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinẽ, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Hinc Tobias præcipit filio ſuo: *Merces mercenarij tui, apud te omnino non remaneat, &c.* Iſthæc ſecum recogitent, quæſo, principes, nobiles, magiſtratus, & alij qui operas à ſubditis, etiam indebitas duriſſimè exigunt: interim illis ne teruncium quidem numerant: ac ne quidem atri panis fruſtum pro labore illis communicãt. Hi profectò diuinam ſententiam & vltionem aduerſus ſe prouocant: *Væ qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula ſua non in iudicio: amicum ſuum opprimet fruſtrà, & mercedem eius non reddet ei.* De his abundantiùs diſſeruimus Com. in lib. Ruth, c.2. verſu 4.

Eccl.34.

Tob.4.

Ierem.22.

Animaduertendum quoque, nullatenus nos euitare poſſe ſupplicia peccatis noſtris debita coram Deo, licèt inter homines nemo ſit, qui nos accuſet vel condemnet. Nam ipſa peccata nos premunt, accuſant, & velut ante Diuinum tribunal vel inuitos rapiunt, ſiſtúntque plectendos. Dominus proteſtatur, *Niniue malitia aſcendit coram me.* Et Iſraëli poſt falſos deos aberranti dicit, *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.* Adeò impoſſibile eſt peccantes nos ſubterfugere

Ion.1.

Ierem.2.8.

terfugere poſſe faciem atque iudicium Dei. Piè itaque & iuſtè poſt Auguſtinum ait Boëthius, Nobis magna eſt indita neceſſitas piè recteque viuendi, qui cũcta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis. *Soliloq. c. 14. l. 5. de conſ. proſa. 6.*

Hîc obſeruat denique venerabilis Beda, Apoſtolum Dominum Sabaoth, id eſt, exercituum appellare, ad terrorem eorum, qui putant pauperes nullum habere tutorem ac vindicem. Attendant illi quocum ſibi negotium ſit, nimirum, cum ſupremo ac præpotenti Deo illo, qui innumerabilium angelorum exercitui præeſt, quique armat omnem creaturum in vltionem contra inſenſatos. Ille nec metuit opulentos, nec odia, nec minas, nec arma vllius reformidat, qui oppreſſi pauperis iniuriã ad ſe pertinere putat. Neque enim fruſtra Deus audiet (inquit Iob,) & omnipotens ſingulorum cauſas intuebitur, &c. *Iob 35.*

5. *Epulati eſtis ſuper terram: & in luxuriis enutriſtis corda veſtra, vt in die occiſionis.*

Pergit Apoſtolus & alia improborum diuitum ſcelera coarguere atque damnare, quo meliùs perditionis ſuæ inſtans periculum ſentientes, delictis ſuis vale renũcient, & ad ſalutarem pœnitentiam conuertãtur. Obiurgat autem illos primò de peccato gulæ, ac temulentiæ, in quibus erant nimium ſumptuoſi & ſuperflui. Non ſolùm eſtis in mercenarios veſtros ingrati & impij, inquit, ſed etiam Deum ipſum contumeliis afficitis, quando diuitiis & opibus, quas largitate ſua vobis conceſſit, ſceleratè abutimi-

ni ad immodicas lautitias, gulæ delicias, & immoderatas profuſiones. Toti eſtis in voluptatibus, Agitatis quotidiana conuiua, in his nullis ſumptibus parcitis: cœlum, mare, ſiluas, abrupta montium, concaua vallium, venationibus, fatigatis, vt delicatioribus auium & leporũ carnibus carnes veſtras ſaginetis. Vina exquiſita ſine temperantia inferuntur, nec quicquam omittitur, quod carni volupe ſit. Interea, nullam curam habetis pauperum, fame ſitíque miſerè pereunt operarij veſtri, opprimuntur viduæ atque pupilli, ridentur ſenes, negliguntur infirmi, in carceribus ſqualore pedoréque conficiuntur captiui: & qui mendicare compelluntur, nudi, famelicique in plateis fimíſque veſtris intereũt. Verùm enim credite mihi, breues & momentaneæ ſunt hæ deliciæ. Breui deſcenſuri eſtis ad inferos: niſi maturè ſerióque pœnitentiam egeritis. Æquum eſt enim, vt hi qui nunc cum aliorum iniuriis, tam ſuauiter ſuam tantùm curant cuticulam, in inferis iuſtiſſimas pœnas exſoluant.

Quid verò? Damnantur ab Apoſtolis moderata inter amicos, etiam lætis ac feſtis diebus conuiuia? Aut diuitibus omnino prohibetur de ſuis facultatibus liberaliter viuere? Abſit. Nam ſanctiſſimi ſerui Dei Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauid, Tobias, aliquoties cum amicis ſuis epulis ſeſe óblectarunt, & amicitias fouentes,
2. Eſdræ 8. Deo benedixerunt. Et lamentis plangoribúſque ſe afſligenti populo Iſraëlitarum, præcipit Eſdras, *Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, noli-*

ite lugere, & nolite flere. Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non præparauerunt ſibi, &c. Et Chriſtus totius moderationis exemplar, nuptiarum in Cana, Simonis, Matthæi, Zachæi, & Marthæ religioſis conuiuiis intereſſe non abnuit. Chriſtianis epulis has præſcribit leges Chryſoſtomus, Conuiuium honeſtate decoretur, lætitia menſæ pertingat ad pauperes Chriſti, familia innocentiæ tripudiet diſciplina. Abſit ebrietas, luxus abſiſtat, fugetur effuſio ſaltatricum peſtis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis, cum Herodiadis conuiuio abſcindantur, vt præſens gaudium veſtrum ad lætitiam veniat ſempiternam. Et idem iterum ait, Conuiuium quod à precatione captum, in precationem definit, nunquam deficiet: ſed quouis fonte vberius nobis omnia adferet bona. *Homilia 16. in diuet.* *Hom. de fide Annæ.*

Reprobantur ergo intempeſtiua conuiuia, in quibus bonis à Deo conceſſis abutuntur profuſionibus ſuperfluis, ebrietatibus opera datur, laceratur fama proximorum, ſanctiſſimũ nomen Dei aſſumitur in vanum, garritur, ſaltatur: more Lapitharum ac Centaurorum rixatur, pugnatur, ſanguis humanus funditur: & alia ſine numero ſcelera deſignantur. Huiuſmodi funeſta fuerunt conuiuia Abſalonis, Ptolomæi, Herodis ac Herodiadis, in quibus proditoriæ ac horrendæ cædes deſignatæ ſunt & commiſſæ, vt in ſacris refertur. Dánantur enim à Domino, qui dormiunt in lectulis eburneis, comedũt agnos de grege, vitulos de medio armenti, & *Amos 8.*

bibunt vinum in phialis,optimis vnguentis delibuti.Paulus quoque prohibet comeſſationes ac ebrietates, ex quibus naſcuntur cubilia & impudicitiæ. Bonum eſſe docet, non inebriari vino,in quo eſt luxuria.Sapiens quoque ait,*Noli eſſe in cõuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus,& dantes ſymbola conſumentur.*Et rurſus,*Melius eſt*(inquit)*ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij:in illa enim finis cunctorum admonemur hominum,& viuens cogitat quid futurum ſit.*Chriſtus denique cunctorum ſalutis ſitiẽtiſſimus, quantum edendum ſit & bibendum præſcribens, ait, *Attendite vobis,ne forte grauentur corda veſtra in crapula,& ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina illa dies,&c.*

Ephes.5. Prou.23. Eccl.7. Luc 21.

Et in luxuriis enutriſtis corda veſtra,vt in die occiſionis.

Secundò arguit Diuites non ſolùm de nimia opum profuſione:verùm, & de appetitu inordinato rerum venerearum, cui poſt epulas indulgebant. Cùm igitur tunc eſſent, (atque vtinam,nulli nunc tales ſupereſſent) qui corda & corpora ſua laſciuiis, locis diſſolutis, choreis, oſculis, tactibus impudicis, lenociniis, fornicationibus,adulteriis,& reliquis carnalis luxuriæ ſpeciebus contaminarent, & diabolo animas & conſcientias ſuas proſtituerent,illos ſibi corripiendos aſſumens dicit,Non modò ad naturæ ſatietatem gulæ indulgetis:ſed etiam quãtum ferre poteſt inſana cupiditas. Imò vereor ne etiam inter vos ſint,qui cum Sardanapalo & Heliogabalo nouas & prodigioſas artes luxu-

riandi reperire cupiant atque laſciuiendi. Addit autem ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, vt in die mactationis,nimirum,vel cùm in feſto ſolemni,mactata victima,publicum & opimum celebratur epulum:vel ſicut ſaginantur ad tempus animalia, vt tandem rapiãtur ad lanienam: ſic vos corpora & corda veſtra impinguatis ad mortem, ad vermes, ad putredinem ante poſtremum iudicium:ex acto illo, ad diabolicam crudelitatem & rabiem in inferis ſatiandam.In præſenti ſæculo viuitis,vt Epicuri de grege porci,in futuro eritis immũdiſſimi hirci,& ſues diaboli. Quãtũ vos glorificaueritis,&in deliciis veſtris fueritis, tantum dabunt vobis tormentum & luctum. *Apoc.18.*

Ex hoc loco b. DAMASCENVS contendit ingluuien multis mortem accerſere:quod & confirmat ex eo quod ſcribit Moyſes de Iſraële:*Sedit populus manducare & bibere:& ſurrexerunt ludere:* & continuò cæſa ſunt ex illis viginti tria hominum millia.Item Ieremias,*Qui veſcebantur voluptuosè,interierunt in viis:qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Coniungit & hæc D. Baſilij verba,Supra modũ cibo & potũ ebulliente ſanguine,ex obeſitate atque corpulentia peccandi occaſio contrahitur. Caue igitur ne corpori tuo blandiaris,ſomnis videlicet ac balneis,& mollibus ſtragulis ipſam diliniens:quin potius iſtud ſemper accine:*Quæ vtilitas in ſanguine meo,dum deſcendo in corruptionem?*

l.1.paral. c.77. *Exod.32.* *1.Cor. 10.* *Thren.4.* *In Pſa.29.* *Pſal.29.*

D. Hieronymus ſobrietatis & continentiæ magnus aſſertor, vt hæc integra illibatáque ſeruetur,illam continuò prædicat & ſuadet.Etiam

Comicus, cui⁹ finis eſt, inquit, humanos mores noſſe atque deſcribere, dixit: Sine Cerere & Libero friget Venus. Et vt quod ſentio loquar, nihil ſic inflammat corpora, & titillat mẽbra genitalia, ſicut indigeſtus cibus, ructúſque cõuulſus. Et idem alibi, Sponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc aduerſus adoleſcẽtiam prima arma ſunt dæmonum. Vinum & adoleſcentia, duplex eſt incendium voluptatis. Quid ergo oleum flãmæ adijcimus? Quid ardẽti corpuſculo, fomẽta igniũ miniſtramus? Filiæ Loth ſciebant, patrẽ non niſi ebriũ inceſtũ eſſe facturum.

Teren. in Eunucho. *Epiſt. ad Euſtochiũ.* *Gen. 19.*

D. Bernardus porrò iſtos luxui & carni deditos ſic alloquitur: Quid ad hæc dicitis, quorum Deus vẽter eſt, quorum omnis vſus, aut in ventre, aut ſub ventre eſt: qui in luxuriis enutriſtis corda & corpora veſtra? Audite Apoſtolũ, *Quia eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem & hunc, & has deſtruet.* Væ vobis, qui laſciuitis in ſtratis veſtris. Filij hominum, vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & veritatẽ negligitis? Pinguedo carnis, ſaturitas ventris, deliciæ corporis, aut ante mortem vos deſerent, aut vos in morte illa relinquetis. Diues cùm interierit, nõ ſumet ſecum omnia. Sicut oues in inferno poſiti mors depaſcet vos. Quã bene ſicut oues: quia detracto vellere mundialium diuitiarum, durè preſſeque detonſi, ſẽpiternis incendiis nudi deputabuntur. Mors depaſcet eos, quia ſemper viuẽt ad mortem, & ſemper morientur ad vitam.

Ser. 1. in illud, Non eſt regnũ Dei eſca & potus. *1. Cor. 6.* *Amos 6.*

Obſerua denique, Diuites iniuſtos, luxuriis & voluptatib⁹ deditos, eſſe animalia altilia, quæ ad tempus humanis deliciis ſaginantur, donec eos

Dominus tradat Satanæ mactandos, & in igne infernali vſtulandos, veluti Epulonis exẽplum plane manifeſtat & cõfirmat. Mirũ certè, quòd iſtud agnouit, credidit, & quondã palã cõfeſſus ſit Dionyſius tyrannus Siculorũ, dicens, vt Euſebi⁹ refert: Illis animalib⁹ ſimiles ſum⁹, quibus comedẽdi bibẽdique nõ ad aliud, quàm ad perniciẽ ſuam copia ſolet offerri: & idem nec audire, nec credere volunt Chriſtiani plurimi. *Luc 16.* *l. 8. præpar. Euang. c. 5.*

6. *Addixiſtis, & occidiſtis iuſtũ, & non reſtitit vobis.*

Tertiò arguit Diuites tyrãnidis & crudelitatis in proximos infirmiores, quos violentia ſua opprimebãt, & falſis criminationibus & fraudibus ad mortẽ adigebãt. Hos execratur Dominus dicẽs: *Man⁹. veſtræ plenæ sũt sãguine.* Et in lege, omne genus homicidij prohibet, cùm dicit, *Nõ occides.* Item, *Non oderis fratrẽ tuũ in corde tuo.* Nam is qui odit fratrem ſuũ homicidia eſt. Inſuper, vt cuncti parcerent humano ſanguini, omni tempore & lege voluit Dominus homines etiã à brutorũ ſanguine abſtinere. Gen. 9. Leu. 17. Deut. 12. Act. 15. Viros autem violẽtos percuſſores, & puſillorũ oppreſſores, velut homicidas morti adiudicauit. Leu. 24. Deu. 19. Matt. 24. Quinetiã ſi bos eſſet cornupeta, qui cornibus hominẽ necaſſet, obruendus erat lapidibus, vt illius ſupplicio exemploque, à fundendo ſanguine humano homines penitus abſtinerent. *Iſa. 1.* *Exod. 20.* *Deut. 5.* *1. Io. 3.* *Exod. 21.*

Nec manu tantùm homicidiũ cõmitti rectè pronunciat Author oper. imperf. apud Chryſoſtomũ, verũetiam voluntate. Nã ſicut vidẽs mulierẽ ad concupiſcendũ eam, iam mœchus eſt in *Hom. 12. in Matth.*

corde ſuo, ita etiã qui odio flagrat proximi, reus cẽſetur homicidij. Ad hæc, eccleſiæ quoque decreta canũt eos periculoſè decipi, qui exiſtimãt illos tãtùm homicidas eſſe, qui manibus hominẽ occidũt, & nõ potius eos per quorũ conſiliũ, & fraudem, & exhortationem homines extinguntur. Nam Iudæi nequaquam manibus propriis Chriſtũ occiderũt: ſed tamẽ illis mors Domini imputatur, quia ipſi lingua eum interfecerunt, dicentes, *Crucifige, crucifige eum.* Qui ergo hominem tradit, illum occidit, dicente Domino: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Vnde Pſalmus, *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum, gladius acutus.*

De pœnit. diſt. 1. c. Periculoſè.

Io. 19.

Pſal. 56.

Ibidẽ quoque refertur ex nomine b. Clemẽtis, Homicidiorum tria genera dicebat eſſe beatus Petrus, & pœnam eorum parilẽ fore. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoque eorum, eoſque odiẽtes. Quia & qui occidit fratrem ſuum, & qui odit, & qui detrahit, pariter homicida eſſe demonſtratur. Ibidem rurſum ex Hieronymo, Omnis iniquitas, & oppreſſio, & iniuſtitia, iudicium ſanguinis eſt: & licèt gladio non occidas, voluntate tamẽ interficis. Et paulò poſt ex Auguſtino, Non putes te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis, &c. Hæc ſecum recogitent, quæſo, quicunque iudiciis præfecti ſunt, & prauos affectus ſuos in dicendis ſententiis aduerſus tenuiores ſequuntur. Item, qui authoritatem qua pollent, cõuertunt ad nocendum, corrumpunt iudicia, & varias artes excogitant

C. Homicidiorum.

C. Omnis.

Tract. 41. in Io.

ad perdendos innocentes. Qui tametſi propter imbecillitatem ſuam nequeant reſiſtere, ſed patienter ferāt iniurias deſerti hominum auxilio, Dominum tamen pro certo tutorem habebunt & acerrimum vindicem.

Nec prætermittendum, quòd venerab. BEDA, & reliqui interpretes Latini indicauerunt, hîc B. Iacobum Iudæis exprobrare iniuſtiſſimā necem Domini noſtri IESV Chriſti, quem morti addixerunt, dicentes: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo. Secundùm legem noſtram debet mori. Sanguis eius ſuper nos, &c.* Quod princeps Apoſtolorum eis exprobat, inquiens: *Hunc per manus iniquorum affligentes, interemiſtis. Hunc IESVM vos crucifixiſtis. Auctorem vitæ interfeciſtis: & petiiſtis virum homicidam donari vobis.* Illis autem iuſtus Chriſtus non reſtitit, ſed ad mortem ſe quærentibus occurrit, dicens: *Ego ſum*, & quæcunque voluerunt inferre tormenta ſponte pertulit, velut de illo fuerant Prophetæ vaticinati: *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur. Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ab iiſdem quoque Stephanus vir inſigni iuſtitia, lapidibus obrutus eſt: Iacobus iuſtus in eorum gratiam cæſus. Apoſtoli denique omnes propter iuſtitiam variè afflicti, & in fines orbis terræ diſperſi. Dictum namque illis fuerat à Domino: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Calicem meum bibetis, &c.* Multiplici itaque iure vitiis & culpis eorū dat Apoſtolus, quòd iuſtos occiderunt, illíq; furoribus eorū nō reſtiterint.

Io.11. et 19. Matth.27. Luc.23. Act.2.23. & 36. Act.3.14. Iſa.53. Act.7. Act.12. Io.16. Matt.20.

Sed tam accurata prolixáque Diuitum inſectatio nos commouet, vt paulo fuſiùs de Diuitiis hoc loco dicamus.

DE DIVITIIS ET DIVITIBVS.

HEbræi diuitem appellant *Haaſchir*; diuitias, *Haaſcher*, ditatus eſt, locupletatus eſt: neutri generis. Item ditauit, actiuè: Pſ. 65. In hiphil *Haaſchir*, ditauit. Prouerb. 10. Et in neutro gen. ditatus eſt, eodem capite, & Pſ. 49. Inde *Haaſchir*, diues: 2. Reg. 12. In plurali *Haaſchirim*, diuitiæ, opulentia. Eccl. 10. Prouerb. 22. Græcis πλȣ́τος, diuitiæ; & confictus ab ethnicis Deus præſes diuitiarum. πλȣ́ταξ, valde diues. πλȣ́σιος, locuples, opulentus. πλȣτέω, diues ſum, opulentus ſum, diuitias poſſideo. Latini diuitem à diuo fieri putãt, quòd qui diues eſt, quaſi Deus nullo indigere videatur. Tullius diſcrimen facere videtur inter diuitias & opes. Sunt (inquit) diuitiæ ad neceſſarium vſum: opes verò ad magnificentiam.

Diuitem definiunt, cui tanta poſſeſſio eſt, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus ſit. Alij dicunt: Sat diues, qui ſanus, & ſuis contentus eſt. Lucretius ait: Diuitiæ grandes homini *Lib. 5.* ſunt viuere parcè, Æquo animo. Et Seneca ſcri- *Epiſt. 5.* bit, Magnæ diuitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas. Cui cum paupertate bene conuenit *L. de paupertate.* diues eſt. Et idem rurſum; Is maximè diuitiis affluit, qui minimè diuitiis indiget. Contrà verò: Non qui parum habet, ſed qui plura cupit, pauper eſt.

3. Pauperes, atque conſequenter diuites ſecernunt in pauperes ac diuites ſpiritu, & pauperes

diuitéſque rebus, facultatibúſque ſæculi. Pauperes ſpiritu ſunt abiecti, contempti, quíque de ſeipſis nihil altum ſapiunt. Diuites contrà, inflati, ſuperbi, arrogantes, qui de ſe ac viribus ſuis præſumunt, déque virtutibus vt propriis gloriantur. Facultatibus autem ac opibus huius mundi deſtitutos, pauperes: qui abundant, Diuites appellant. De vtriſque cecinit beata Deipara: *Eſurientes impleuit bonis*; quod alibi dicitur, *Humilibus dat gratiam*: *& diuites*, tumentes de propria iuſtitia, *dimiſit inanes*. Et in Euangelio Chriſtus affirmat pauperes, ſitientes, ac eſurientes fore beatos: è contrario, diuites eſſe miſeros. Et Lazarus, vlceribus plenus, ac eſuriens dicitur πτωχὸς *mendicus*, Epulo autem πλούσιος *diues*.

Luc. 1. *Luc. 6.* *Matth. 5.* *Luc. 16.*

4. Diuidit rurſum magnus Auguſtinus Diuitias, in veras & falſas. Veras dicit, quas cùm habuerimus, perdere non poſſumus, theſauros nimirum repoſitos in cælo, quò fur non accedit: falſas verò, quæ ſemper ſunt obnoxiæ caſibus, propter quas latronem times, propter quas times ſeruum tuum, ne te occiſo auferat & fugiat. Falſas item diuitias appellat, quæ cùm habentur, falſam lætitiam tribuunt: & cùm perduntur, veram triſtitiam derelinquunt. Veras autem, quia bonis meritis iuſtíſque tribuuntur, & quiſquis eas habuerit, non egebit, vtpotè caſtitatem & iuſtitiam, pacem & miſericordiam.

Ser. 35. de verb. Dom. *Matth. 6.* *Ser. 10. de Sanctis.*

5. Alibi quoque ſcribit, quaſdam eſſe terrenas, quas Deus non damnauit: & alias ſpiri-

L. 2. cōt. ad tales & cæleſtes, quas illis præpoſuit. Iterum, a-
ner. leg. c. 11 lias eſſe exteriores, vt fuerunt illæ, quas Satan ſancto Iob ademit: alias interiores, fidem, ſpem,
In Pſ. 55. caritatem, quas Deus dedit, & diabolus diripere non potuit.

6. Transfertur etiam diuitiarum nomen ad
Rom. 2. quamuis copiam bonarum rerum, præſertim
Eph. 1. ſpiritalium. Hoc enim tropo Paulus infinitam Dei bonitatem ſignificat, cùm dicit: *An diuitias*
Rom. 11. *bonitatis eius contemnis?* Sic ſæpe dicit, *Diuitias gratiæ*, pro inexhauſta ac immenſa gratia. Et alibi
Eph. 3. exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, pro abyſſo, & inexhauſta copia Diuinæ
Coloſſ. 1. ſapientiæ. Et rurſum: *Inueſtigabiles*, i. innumeras, *Diuitias Chriſti*, *Diuitias gloriæ*, i. immenſam gloriam, &c.

7. Diues interdum liberalem ſignificat: quia
Rom. 10. illi ſoli poſſunt, & nonnunquam ſolent liberales eſſe. Hoc ſenſu ſcribitur: *Deus eſt diues in omnes qui inuocāt illum*, id eſt, tum poteſt, tum vult quoque bene facere egentibus implorantibus illum.

8. Diues rurſum non tantùm pro opulento ac locuplete ſumitur, ſed & ſimul pro iniuſto.
Matth. 6. Hunc Chriſtus appellat *Mammonam iniquitatis*. Et Hieronymus ſcribit: Omnis diues aut ini-
Pſ. 9. quus, aut iniqui hæres. De hoc Pſalmiſta: *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occulto*. Et in Euangelio:
Matth. 9. Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.

9. Frequentiùs verò tam in ſacris quàm in profanis litteris, Diuitiæ ſunt amplæ fortunæ, ma-

gnæ opes atque copiæ, omnium rerum abundãtia. Diueſque dicitur, vir locuples, copioſus, opibus & copiis prædirus, &c: & de huiuſcemodi diuitiis ac diuitibus præſertim hîc agitur. In primis autem pro certo credendum eſt has diuitias Deum opt. & max. authorem & conditorẽ habere: atque ſic præclara dona Dei eſſe cuicunque contigerint. Creauit enim cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Moyſes refert Abraham valdè diuitem fuiſſe in poſſeſſione auri & argenti: ſed horum authorem Deum Eliezer œconomus eius his fatetur verbis: *Dominus benedixit Domino meo valdè, & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, ſeruos & ancillas, camelos & aſinos, &c.* Et Iacob aiebat ad Laban ſocerum ſuum, *Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixítque tibi Dominus ad introitum meum*: Et ad Salomonem Dominus, *Diuitias, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi*: Et de cunctis facultatibus ſuis Iob dixit: *Dominus dixit, &c.* Sapientiſſima quoque Anna profitetur, Dominum pauperem facere, & ditare. Ecquid enim Reges, Pontifices, Nobiles, Ditiores huius ſæculi ſecum naſcendo in hunc mundum præ cæteris attulerunt? Num etiam nudi egreſſi ſunt de vteris matrum, vt quique pauperes & abiecti? Nemo certè filiorum hominum vnquam natus eſt cum diademate, ſceptro, purpura, infula, vel pedo. Sunt itaque iſta, & quæcunque alia quæ adiici poſſunt, dona Dei deſcendentia à Patre luminum: atq; etiam hoc noſcere & profiteri, donum Dei, & fidei

Gen. 13. *Gen. 24.* *Gen. 30.* *2. Par. 1.* *Iob. 1.* *1. Reg. 2.* *Iob. 1.*

officium eſt.

In Pſ.66. 10. Sunt autem dona (ait Auguſtinus) quæ Deus dat non tantùm amicis, ſed etiam inimicis ſuis. Non enim ſoli boni plenas habent domos rebus neceſſariis, aut ſoli boni ſalui facti ſunt ab ægritudine, aut ſoli boni filios habẽt, ſoli boni pecuniã, ſoli boni cætera apta huic vitæ temporali. Habent hæc & mali, & aliquando deſunt bonis, ſed deſunt & malis: & plerumque iſtis magis quàm illis: aliquando illis quàm iſtis potiùs abundant. Permixta iſta temporalia Deus eſſe voluit, quia ſi bonis ſolis ea daret, putarent & mali propter hæc colendum Deum. Rurſum, ſi ea ſolis malis daret, timerent boni infirmi conuerti, ne iſta illis fortè deeſſent. Quod ergo dat ea bonis, conſolatur itinerantes: quod dat ea & malis, admonet bonos, vt alia deſiderent, quæ non habent cum malis communia. Quæ præparauit diligentibus ſe, nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.

11. Quinetiam piis, ac diuinæ legis obſeruatoribus in partem præmiorum ſuorum opes terrenæ ac temporariæ à Deo ſæpiſſime promittuntur. Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra. Venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ. Benedictus in ciuitate, benedictus in agro, &c. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et per Sapientem ait, In viis iuſtitiæ ambulo in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorũ repleam. Cuiuis exploratum & certum eſt, A-

Deut.28. *Iſa.1.* *Prou.8.*

braham, Iſaac,Iacob,Ioſeph,Dauidis,Ezechiæ,
Ioſiæ,Mardochæi,& aliorum plurimorum ſan-
ctorum virtutibus,magnas mundi opes & glo-
rias velut pignora,& diuinarum promiſſionum
quaſdam arrhas redditas eſſe in terris, tantiſper
dum cæleſtes ac æternas reciperent in cælis.

12. Orationibus quoque ſanctorum,victum
& amictum, proſperam valetudinem, vxorem
liberóſque morigeros, copiam frugum, ac cæ-
terarum rerum corpori neceſſariarum abun-
dantiam datam eſſe,oſtendunt in primis exem- *Exod.16.*
pla Moſis & Aaron,in ſolitudine impetrantium *Num. 20*
panes, & carnes de cælo,aquã de petra,& quod *Pſ 104.*
veſtes calceíque Hebræis in deſerto per qua-
draginta annos non deeſſent. Deinde, Abrahæ, *Gen.17.22*
Iſaac,& Iacob,qui vxoribus ſuis liberos & opes *30.*
impetrauerunt:&Tobiæ,cui cum piiſſima con- *Iob.6.*
iuge,ampliſſima bona acceſſerunt.Poſtremò &
hæ certiſſimæ Dei promiſſiones: *Ecce ego mittam*
vobis frumentum, & vinum, & oleum, & reple- *Ioel.6.*
*bimini eis.*Et per Oſeã. *Exaudiam, dicit Dominus,*
exaudiam cælos, & illi exaudient terram. Et terra
exaudiet triticum,& vinum,& oleum. Eliæ deni- *Oſe.2.*
que orationibus clauſum eſt cælum, ne pluuiis
terram fœcundaret, ſicque fame contabeſce- *3.Reg.19.*
rent decem tribus apoſtatrices:& eiuſdem pre-
cibus apertum eſt, vt, (ſublatis è medio Baali- *Iac.5.*
ticæ impietatis aſſertoribus) terræ bonis frue-
rentur.

13. Nec omittendum, opes non ita eſſe dona
Dei, quin pij viri laboribus variis ad eas con-
quirẽdas opus habeant.Neceſſe eſt enim vt vel

agricolationi, vel paſtoritiæ, vel mercaturæ, vel alicui alteri arti mechanicæ diligentem nauent operam: Deumque precentur, vt ſuis benedicat laboribus, ac felicem iiſdem donet incrementum: vel aliis iuſtis negotiationibus & artificiis iuxta cuiuſque ſortem & vocationem vacent: ſi opes quibus ſe & familiam poſſint alere, ſibi parare voluerint. Præceptum eſt enim omnium noſtrûm parenti: In ſudore vultus tui veſceris
Gen.3.& 4 pane tuo. Cain fuit agricola, Abel paſtor ouiũ, Iabel ſcenofactorius, Iubal pater canentium in cithara & organo, Tubalcain malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, Noë faber & viticola, cunctique primi patres illi iuſtis laboribus & ſeſe exercuerunt, & diuitias ſibi com-
Gen.26. parauerunt. Seminauit namque Iſaac in terrã Chanaam, & inuenit in ipſo anno centuplum, *Benedixit ei Dominus, & locupletatus eſt, & ibat proficiens atque ſuccreſcens. Habuit quoque poſſeſsiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum.* Nec diuitiæ Iacob partę ſunt abſque labore, vt indi-
Gen.31. cant iſta eius ad vxores ſuas verba: *Ipſæ noſtis quòd totis viribus meis ſeruierim patri veſtro.* Et ad Laban ſocerum ſuum, *Die noctúque æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis: ſicque per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi.* Et ad quid quin-
Iob.1. quaginta illa iuga boum in beati Iobi familia, niſi ad agriculturã, qua nil meli⁹, nil vberius, nil libero homine dignius omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, à magnis viris iudicatum eſt? Aut tria millia camelorum, niſi ad merces in vicinas regiones transferendas? Nec

abs re pigrum hominem remittit Spiritus ſanctus ad exemplum formicæ, congregantis ſibi in æſtate, quibus in hyeme viuat. Sunt & aurea de laboribus prouerbia iſta: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium diuitias parat. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis. In omni opere erit abundantia; vbi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas, &c.* Apoſtoli piſcationibus victum ſibi parauerunt. Tametſi Paulo liceret de Euangelio viuere, laboribus manuum nihilominus operam dedit. Hortatur quoque Theſſalonicenſes ad laborandum, quò non tantùm habeant, vnde ſe & familiam ſuam alant, ſed vt etiam illis ſuppeditent vnde pauperibus ſubueniant. Et inter Epheſios ordinat, vt qui furabatur, iam non furetur: ſed potiùs laboret manibus, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti, &c.

Prou. 10. Prou. 14. Eph. 4.

14. Alium etiam ab iſtis laboribus diteſcendi modum, eundémque præcellentiſſimum & ſanctiſſimum reuelat conſulítque diuinus Spiritus, videlicet, Pietatem in Deum, & Miſericordiam erga pauperes. Ait enim per Salomonem Dominus. *Honora dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et per alium Prophetam: *Inferte omnem decimam in horreum; & probate me ſuper hoc: ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam.* Et legis ſuæ obſeruatoribus pollicetur, *Benedictus erit fructus terræ tuæ, & iumen-*

Prou. 3. Malach. 3.

mentorum tuorum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tua, &c. Et de beneficiis in pauperes ait, Qui dat pauperi, non indigebit. Optimámque matrem familias deſcribens ait: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes.* Sequitur retributio in omnium bonorum copia, *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nimis. Stragulatam veſtem fecit ſibi. Nobilis in portis vir eius, &c. Multæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas, &c.* An non ergo penitus increduli ac deſperati filij hominum, qui tot Dei omnipotentis monitis atque promiſſis aut non credunt, aut non confidunt; ſed contrarias diteſcendi artes commentantur & ſectantur?

Prou.28. Prou.31.

15. Hactenus de diuitiis multa: ſupereſt vt quomodo his bene vtẽdum ſit, etiam dicamus. Primò autem in his non eſt confidendum, nec harum ratione ſuperbiendum, aut aduerſus eos qui tenuioris fortunæ ſunt inſoleſcendum eſt. Ait enim per Pſalmiſtam Spiritus Dei; *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et per filium Sirach, *Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis*, Hæc Paulus paucis verbis comprehendit & docet: *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.* Nihil enim illis inſtabilius ac incertius, quando & innumeris modis pereant: & velis nolis, illas omnes moriendo relinquas. *Diues cùm interierit, non ſumet ſecum omnia. Nudus in vterum matris reuertetur.* Ter qua-

Pſ.61. Eccl.5. 1.Tim.6.

térque igitur miſeri ſunt, qui ob eas res ferociunt, arrogantéſque & faſtuoſi contemnunt pauperes, quæ nec à vulgari morbo mortéque poſſeſſores ſuos ſeruare non poſſunt.

16. Hinc ſeipſos, liberos & familiam curæ ſuæ traditam pro conditionis ſtatu & ratione moderatè foueant, veſtiant, nutriant. Hiram etenim Tyri Rex multa pollicitus Salomoni, ab eodem viciſſim petit: *Præbebis neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ, &c.* Et mulier fortis dicitur dare prædam domeſticis ſuis, cibaria ancillis, & domeſticos ſuos veſtire dupplicibus. Et Paulus apertè dicit; Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. 3. Reg. 5. Prou. 31. 1. Tim. 5.

17 Inde, pauperes, exules, peregrinos humano colligāt hoſpitio, memores quòd & ipſi ſint hoſpites & peregrini ſuper terram. Abraham & Loth huic officio incumbentes placuerunt Deo, *Angelis hoſpitio receptis.* Laban Eliezerum ſeruum Abrahæ ſuſcepit liberatiſſimè. Raguel iuniorem Tobiam, cum viæ duce, quem hominem putabat. Gen. 18. & 19. Heb. 13. Gen. 24. Tob. 5.

18. Pauperibus gratioſè mutuò præbeant, nihil vi mutui, præter ſortem expectantes, vel recipientes. Moſes namque dicit, *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obturabis cor tuum, ſed aperies manum tuam, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris,* Et in Euangelio Dominus: *Date mutuum, nihil inde ſperantes.* Deut. 5. Matth. 5. Luc. 6.

19. In caritate & anguſtiis annonæ recondita doni frumenta moderato vendant pretio, ne

pauperes opprimantur. Sic Ioſeph tempore
Gen.41. famis apperuit vniuerſa horrea Pharaonis, &
& 42. vendebat frumenta populis, aliâs innumeri
periiſſent. Nam qui abſcondit frumenta,ma-
Prou.11. ledicetur in populis: benedictio autem ſuper
caput vendentium.
20. Reliqua Diuitum officia Iob præclarè
in ſeipſo exprimens, ait: *Liberabam pauperem*
Iob.29. *vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor: Cor viduæ conſolatus ſum. Oculus fui cæco,& pes claudo. Pater eram pauperum, & flebam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi: Non negaui quod volebant, pauperibus:&*
Cap.30. *oculos viduæ expectare non feci. Non comedi buccellã meam ſolus: comedit pupillus ex ea. Non deſpexi per-*
Cap.31. *euntem,eo quòd non habuerit indumentum,& abſque operimento pauperem. De velleribus ouium mearum calefactus eſt. Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit, &c.* Eadem Paulus vocat,
1.Tim.6. *Diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum,&c.* Ad Apoſtolum redeundum.

7. *Patientes igitur eſtote Fratres,vſque ad aduentum Domini.Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ,patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum.*

Hæc ſecunda pars huius capitis, qua ſuauiſſimis conſolationibus innocentes afflictos recreat, hortatúrque ad omnem Chriſtianam patientiam. Suadet autem in primis moderato & forti animo ferre hoc quicquid eſt crucis & afflictionis genus vſque ad finem, pa-

tienter expectando iudicium Domini, qui breui poſt tempore omnia diiudicaturus eſt,& iniurias ſeruorum ſuorum acerrimè vindicaturus. Ait ergo; Ne deſpondeatis animos fratres mei, ſi hoc in mundo ſemper ſub onere crucis ſit vobis agendum. Non vos pœniteat ſortis veſtræ, nec diuitum fortunæ inuideatis. *Nolite æmulari in malignantibus, neque zelaueritis facientes iniquitatem.* Nolite moliri vindictam in tyrannos & oppreſſores pauperum : ſed omnem vltionem Deo committite: *ipſi enim cura eſt de vobis.* Adhuc paululum ſuſtinete, & qui venturus eſt, veniet. Tolerate igitur forti præſentique animo, & confidite Diuinis promiſſis. Pollicitus eſt enim Deus vnicuique veſtrum; *Cum ipſo ſum in tribulatione, &c.* Ille eſt refugium & virtus, adiutor in tribulationibus. Ille, ille mox aderit, ampliſſima æternaque patientiæ veſtrę præmia redditurus. Nec veſtra, mihi credite, miſeria, nec impiorum crudelitas erit perpetua, &c.

Ps. 36. 1. Petr. 5. Ps. 90. Ps. 45.

Hîc autem primùm aduerte, aduentum Domini duplicem deſignari, nimirum, particularem, quo vnumquemque ad ſe morte aduocatum quotidie diiudicat, & ſecundùm merita operum aut pœnis ſubiicit, aut præmiis iuxta animum, beatum reddit. De hoc Paulus ait : *Statutum eſt hominem ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Eiuſdem quoque meminit Ioannes, quando iſtam aduerſus angelum, id eſt paſtorem Eccleſiæ Epheſinæ, Domini com-

Heb. 9.

Apoc. 2. minationem refert: *Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Et Pergamenſis Eccleſiæ Epiſcopo idem dicit, *Similiter pœnitentiam age; ſi quo minùs veniam tibi citò.* Et doctori Sardenſium dicitur, *Si non* Apoc. 3. *vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te*: quæ omnia ſingularem & particularem Chriſti aduentum ſignificant. Hoc autem iamiam acceſſit ad omnes qui à ſæculo defuncti ſunt, accedit ad cunctos qui quotidie ex hac vita recedunt, & ad nos qui relinquimur, *neſcimus qua hora venturus ſit.*

Matth. 25. Erit & communis vniuerſaliſque aduentus Domini ad finem ſæculi, quando ſpectabilis omnibus veniet cum maieſtate ſua, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, &c. Tunc reuela- 1. Cor. 4. buntur abſcondita tenebrarum, & manifeſta erunt conſilia cordium. Tunc referet vnuſ- Rom. 2. quiſque provt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Tunc reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Io. 5. Tunc qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij & perditionis æternæ.

Iacobus itaque poſt recenſitas afflictiones pauperum, ad hos orationem conuertit, præſentique animo eſſe iubet, vſque ad illũ vel iſtũ aduentum Domini, qui oppreſſores ſuos iuſtis afficiet ſuppliciis, & labores eorum vita & glo- Matth. 3. & 13. ria coronabit ſempiterna. *Triticum ſuum colliget in horreum ſuum, paleas autem tradet igni inextinguibili*: Oues ſuas ſeparabit ab hœdis: & illas in re-

gnum ſuum ſecum abducet, reprobis in ſempiterna gehennæ ſupplicia coniectis. Tunc apparebit quòd vtique eſt fructus iuſto,& Deus iudicans orbem terræ in æquitate & veritate ſua. Tunc exultabunt ſancti in gloria,&facient vindictam in nationibus,increpationes in populis. Alligabunt Reges eorum in compedibus,&nobiles in manicis ferreis,vt faciant in eis iudiciũ conſcriptum.Tunc meritò dicent: *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti,annis quibus vidimus mala.* Tunc habentes citharas Dei, cantabunt canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum agni dicentes: *Magna, & mirabilia ſunt opera tua,Domine Deus omnipotens: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, &c.*

Matth. 25. *Pſ.51.* *Pſ.149.* *Pſ.83.* *Apoc.15. 3.*

Ecce agricola expectat,&c.

Exhortationem ſuam ad patientiam confirmat aliquot argumentis,quorum hoc primum eſt,ſumptum à ruſticis rebus, adeoque ipſa agricultura, hoc pacto; Animos veſtros ad exemplum agricolæ, bona ſpe confirmate & conſtanter in cruce pro nomine Chriſti ferenda perſeuerate.Durate,& voſmet rebus ſeruate ſecundis. Qui terram colit, priùs ſudat,friget & alget,à mane in veſperã arando,ſtercorãdo, terras aliquoties vomere proſcindendo & verſando, runcando, & nouo ſemini aptando.Poſtea, diebus multis patienter expectat,vt cum fœnore recipiat, quod ſeminauit: tametſi de terræ prouentu non ſit omnino certus.Etenim niſi cęlum faueat,Deúſque deſuper iuſſerit nubibus vt tempeſtiua pluuia arentem faciem terræ hu-

mectent, fœcundent agros, granum germinet, in herbam & culmos creſcat: atque ſerotina pluuia ad maturitatem vſque perueniat, omnes operas agricola perdet atque labores. Quod autem agricolæ ſunt agri terrarum, aratra, vomeres, dentalia, ligones; ſeruis Dei ſunt aduerſitates, exilia, bonorum direptiones, cruces, & cætera id genus martyria. Quod illi ſemen eſt, vobis eſt verbum & præcepta Dei. Quod eidem meſſis, piis omnibus eſt reſurrectio corporum, animorúmque glorificatio, & vita æterna. Ergo ſi ſpe fructuum temporalium tam longos duróſque labores perferunt agricolæ; neque graui ferunt animo, ſi non protinus apparet expectatus prouentus: æquiſſimum eſt vos propter gloriæ æternæ perceptionem patienter ferre huius mundi varia incommoda. Nunc operandi & ſeminandi tempus eſt, tunc metendi & colligẽdi. Nondum apparent præmia veſtra, ſed in tuto repoſita ſunt apud Deum, qui illa ſuis rependet temporibus.

Ex his autem primò notandum eſt, Patientiã inter omnes virtutes hominibus Chriſtianis (*Tull. l. Rhet.*) ſummopere neceſſariam eſſe. Eam porrò definiunt Oratores ſæculi: Honeſtatis & vtilitatis cauſa, rerũ arduarum & difficilium voluntariã, ac diuturnã perpeſſionem eſſe. Quid ſi addere nouiſſent, Vt hac virtute Diuinę voluntati ſubſint, & vitæ cæleſtis homines fiant participes? Neceſſariam porrò, Chriſtianis præſertim, diximus, quãdoquidem conditio ſórſque illorũ qui (*2. Tim. 3.*) piè volunt viuere in Chriſto, tribulationes pati; (*Rom. 6.*)

conformes fieri imaginis patientis Chriſti: & per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum: ad has calamitates æquanimiter perferendas, maximâ & excellentiſſimâ patientiâ illis opus eſt. Hæc attendens Paulus dicit: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt finem promißionum reportetis.* Et omnes ad hanc virtutem adhortãs, poſtea ſcribit: *Per patientiam curramus, ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in authorem fidei noſtræ & conſummatorem* Iesvm, *&c.* Chriſtus denique Apoſtolos ad cuncta aduerſa pro nomine eius fortiter tolleranda communiens, ait illis: *In patientia veſtra poßidebitis animas veſtras.* His longè fuſiora petat Lector à Tertulliano, li. de patientia: & Cypriano, li. de bono patientiæ.

Act. 14. *Heb. 10.* *Heb. 12.* *Luc 21.*

Meditandum ſecundò, tempus præſentis ſęculi ac mortalis vitæ noſtræ eleganter comparari cum hyeme, variĩſque agricolarum laboribus: futurum autem ſæculum, cũ æſtate & meſſe. Hîc enim multis laboribus & virtutibus, quę circa res difficiles verſantur, colendi ſunt agri conſciẽtiarum noſtrarũ, plurimæ ſentes, lappæ, vrticæ, & vitiorum herbæ noxiæ ex cordibus corporibúſque vellendæ ſunt: & in his theologicæ, moraléſque virtutes ſeminandæ & continuò fouendæ, ſi fructus ſuaues & deſiderabiles ex illis metere deſideram⁹. Eadẽ metaphora ad bonorũ operũ ſtudia cunctos excitans Apoſtol⁹ ait, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus*, i. copioſè & abundanter, *de benedictionibus & metet.* Et rurſum, *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui ſeminat in carne ſua,*

2. Cor. 9. *Gal. 6.*

de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Frequentes ſunt etiam in Euangeliis de agricolatione parabolæ.

Conſiderandum etiam, ad excolendos pietate & virtutibus animos, non minùs neceſſarium eſſe influxum cæleſtis gratiæ, quàm tempeſtiuam agris pluuiam. Ait namque Chriſtus: *Sine me nihil poteſtis facere, &c.* Hoc ipſum eximius doctor AVGVSTINVS plurimis Scripturæ teſtimoniis aduerſus ſummam Pelagianorum in gratiam Dei ingratitudinem confirmat & docet, *Deus eſt*, inquit, *qui operatur in vobis velle & perficere.* Et alio loco: *Non eſt volentis, neque currentis: ſed miſerentis Dei:* quia ipſa voluntas noſtra, ſicut ſcriptum eſt, *à Deo præparatur.* Idem rurſus alibi, Puto propter regnum cælorũ eſſe dictum, *Inclina cor meum in teſtimonia tua. A Domino greſſus hominis dirigentur. Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes. Dabo eis cor aliud, & ſpiritum nouum dabo eis. Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis, &c.* Audiant hæc (Pelagiani) quibus oſtenditur, Deum ad regnum cœlorum & ad vitam æternam parare & conuertere hominum voluntates. Et magnus Gregorius ſcribit, Nemo vt Diuina illum gratia ſubſequatur, prius aliquid contulit Deo, Nam ſi nos Deum bene operando prçuenimus, vbi eſt quod Propheta ait: *Miſericordia eius præueniet me?* Si quid nos bonæ operationis dedimus, vt eius gratiam mereremur, vbi eſt quod Apoſto-

Io.15. *Ench.c.32.* *Philip.2.* *Rom.9.* *Prou.8.* *l.de præde. Sáct.c.20.* *Pſal.118.* *Pſal.36.* *Ierem.24.* *Ezech.36.* *l.33.Mor.c.25.* *Pſal.58.*

lus dicit, *Gratia ſaluati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis?*

Attende poſtremò, agricolam non à ſe, ſed à Deo, expectare & accipere tempeſtiuã pluuiam, ac proinde terræ fructus, & frugum augmenta: quandoquidem qui plantat, & qui rigat nihil ſint, niſi Deus det incrementum. Ait enim, *Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias tẽporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur.* Et iterum, *Dominus Deus dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneàm & ſerotinam, &c.* 1. Cor. 3. Leuit. 26. Deut. 11.

8. *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit.*

Exhortationis propoſitionẽ repetit, & nouo, id eſt, ſecundo argumento confirmat, eodémque ſumpto ab inſtante, iam iámque propinquo aduentu Domini, in quo illa, quæ in mundo eſt rerum omnium confuſio, tolletur, & in ſuum ordinem omnia reſtituentur. Senſus eſt, Ampliſſimam certè patientiæ cauſam habetis, Fratres, vel hac ſolùm contemplatione animos veſtros paſcentes & recreantes, quòd Chriſtus conſtitutus à Patre iudex viuorum & mortuorum, breui venturus ſit. Non erit ergo perpetua ſeruorum eius miſeria, nec improborum hominum tyrannis. Non relinquet ſemper virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Virtutibus ſua reddet præmia, & vitiis iuſta ſupplicia. Iam iam inſtat dies, in qua reprobi ſicut hœdi à ſiniſtris conſtituentur, audituri: *Ite maledicti in ignem æternum.* Vos contrà, à dextris collocati, audie- Act. 10. Pſal. 124. Matt. 25.

tis: *Venite benedicti Patris, &c.* Ponite ergo cordium veſtrorum deprauationem, quæ vos debilitat & frangit, ne ſperando perſeueretis vſque in finem. Ad exemplum agricolę bona ſpe confirmate & obdurate animos veſtros. Aderit pro certo, aderit breui Dominus, impios vlturus, & vos pro temporariis afflictionibus immortalitate donaturus. Si verò tempus illud longum videtur, hoc veſtræ puſillanimitati & mollitiei
Pſal. 89. tribuite. Enimuero mille anni ante oculos Domini reputabuntur tanquam dies heſterna quæ
Luc 3. præteriit. Imò verò, nouiſſima hora eſt, *Iam ſecuris ad radicem poſita eſt, &c.*

Hinc animaduerte præcipuam Chriſtianorum aduerſus huius vitæ miſerias, ægritudinis, moleſtias, ipſam denique mortem, conſolationem conſiſtere in ſpe aduentantis, & velut iam apparentis Domini ad iudicium. Nam tum ab omni periculo, infirmitate, & violentorum hominum tyrannide pij ſerui Dei liberabuntur & glorificabuntur, hoſtibus eorum æterna vltione multatis. Quid quod etiam tot ante Chriſti aduentum ſæculis, Iob hac contemplatione & ſpe ſemetipſum ſolatus eſt in fimo ſuo, di-
Iob 19. cens: *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Saluatorem meum?* Et ſeptem fra-
2. Mach. 7. tres Machabæi inter horrendas mortes eadem fiducia ſe ſuſtentabant? Quantomagis id Chriſtianos facere decet, quibus Iudex & Dominus
Io. 5. proprio ore dixit: *Venit hora, & nunc eſt, quando qui in monumentis ſunt audient vocem Filij, & viuent?*
Io. 8. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſta-*

bit in æternum? Leuate capita veſtra, ecce enim appro- Luc 21.
pinquat redemptio veſtra? Ecce venio citò, & merces Apoc. 22.
mea, mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.
Quoties igitur iniuſtè vexamur, aduentum Domini piis ſuſpiriis expetamus, qui omnibus miſeriis noſtris glorioſum finem imponet. Dicamúſque cum beato Ioanne, *Veni, Domine* IESV. Apoc. 22.

Inde etiam crede, quod quantuncunque aduentum ſuum poſtremum tardare videatur Dominus, veniet tamen, & citius forſan quàm putamus. Patienter quidem agit propter nos, *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* 2. Petr. 3. 1. Theſſ. 5. Apoc. 3. & 16. *Adueniet autem vt fur*, id eſt, repentè, cùm non ſperabitur, cumque omnia in tuto eſſe arbitrabimur. Quod ſi ante aliquot annorum cẽturias prædicatum eſt ab Apoſtolis, *Nouiſsima hora eſt,* 1. Io. 2. quantomagis propinquam eam nunc credere debemus? Et licèt non omnes tandiu viuamus donec Dominus glorioſo aduentu ſuo cuncta corrigat, iiſque finem imponat: non ceſſat tamen toties nos interea ab omnibus malis liberare, quoties per felicem ex hac vita exitum, ad beatam immortalitatem introducit. Sic enim iam liberauit Apoſtolos, martyres, confeſſores, virgines, patres, &c.

9. *Nolite ingemiſcere, Fratres, in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce Iudex ante ianuam aſsiſtit.*

Tertium argumentum eſt pro tolerantia, ſumptum ab effectis impatiẽtiæ. Qui enim impatientes ſunt, facilè contra proximos ſuos indignantur, ſuſpirant, iraſcuntur, & intra ſemetipſos ingemiſcunt: & ſi nocere nõ poſſunt, apud

Deum de illis expoſtulare non formidant. Ingemiſcere quidem licèt, quoties nos aliquid mali angit:ſed hîc Apoſtolus gemitum accuſatorium intelligit, quo alij de aliis apud Dominum iniuſtè conqueruntur. Quid ergo futurum eſt, niſi vt quod quiſque iudicium in alios ferri cupit, in caput ſuum accerſat? An non ergo ita ingemiſcendo, merentur exaudiri in ſuam perniciẽ? Cauete, inquit, Fratres cariſſimi, ab omni impatientia, quæ varias & damnabiles parit æmulationes & querelas. Nemo veſtrum quando aduerſis probatur, inuideat aliis qui meliùs & tranquilliùs habent. Nec enim ille qui grauiora patitur, à Deo derelictus eſt: ſed exercetur ad maiora præmia: nec is Deo carior, quòd rebus vtatur mitioribus. Non ſit igitur inter vos impius ille gemitus, non ſint improba ſuſpiria, quæ liuidi & impatientis animi certiſſima ſunt argumenta. Alias condemnabimini, vt inuidentes proximorum felicitati, donis Dei detrahentes, & occulta eius iudicia reprehendentes iniuſtitiæ. Vos potius conſolentur & calamitoſi temporis breuitas, & Redemptoris iamiam cum ſua mercede inſtantis aduentus.

Ex his patet, impatientes homines vtplurimùm bonis proximorum inuidere, beneficiis Dei detrahere, ac poſtremò, quaſi in Deum inſurgere & fremere: quod graue planeque diabolicum ſcelus eſt. Pari namque delicto diabolus cecidit, inuidens & Diuinæ maieſtati, cui ſimilis eſſe voluit: & humanæ quam præuidit

Sap. 1. exaltationi. Etenim *inuidiâ diaboli mors intrauit in*

orbem. Hinc Tertullianus, Natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo. Iam tunc cùm Deus vniuerſa opera ſua homini ſubiecit, impatienter tulit. Decepit hominem, quia inuiderat: inuidit, quia doluerat: doluit, quia non patienter tulerat. Poſtea plurimis, iiſdemque grauiſſimis exemplis Caini, fratrum Ioſeph, Pharaonis, Saulis, Iudæ, atque Iudæorum, docet, inuidiam, quæ eſt impatientiæ filia, fontem & primariam cauſam eſſe omnium ſcelerum. Quod etiam b. Cyprianus martyr cõfirmat, l. de bono patientiæ: & Sermone lectiſſimo de zelo & liuore. *l. de patientia.*

Et ne temerè paſſimque ad huiuſmodi querelas homines proſiliant, Iudicem denunciat ſtare pro foribus, cuius ſaltem timore & reuerentia, quiſque in officio cum proximis ſe continere debeat. Hinc beatus EFFREM, Curemus omnes pariter, *dum tempus habemus*, Deum ſanctum placare, nobiſque propitium facere. Ecce enim adeſt in ianuis Dominus, vt faciat conſummationem huius vaniſſimi ſæculi. Item, omnes ad puritatem animorum, ſtudium bonorum operum, & ſalutarem pœnitentiam, huius Apoſtolicæ ſententiæ conſideratione excitans, idem ipſe ſcribit, Aduentus Domini in ianuis appropinquauit: & nos cogitationes verſamus ambiguas? Cæleſtis tuba ſonitum dare parata eſt ad imperiũ Domini, vt excitet mortuos, vt recipiat vnuſquiſque ſecundùm opus ſuum. Virtutes cœlorum paratæ aſſiſtunt, vt præcedant faciem Sponſi venientis cum gloria *Ser. ad Monachos.* *Gal. 6.* *Ibidem.* *1. Cor. 15.* *1. Theſſ. 4.* *Rom. 2.* *Luc 21.*

in nubibus cæli, ad iudicandos viuos & mortuos: & nos increduli ſumus? Quid ergo fiet in illa hora tremenda, Fratres mei, Quomodo illic rationem Deo pro ſalutis noſtræ negligentia redditurí ſumus, niſi pœnitentiam agentes idoneam, in humilitate cordis, & manſuetudine animæ?

Matth. 5. *Matth. 6.* Itaque huius ſententiæ memores, *Iudex ante ianuam aſsiſtit*, oremus pro perſequentibus & calumniantibus nos: & dimittamus hominibus peccata eorum: vt Pater noſter cæleſtis dimittat nobis peccata noſtra. Non dubitemus Iudicem viuorum & mortuorum breui adfuturum, imò iamiam in ianuis eſſe, qui de improbis vltionem ſumet: & quidem citiùs & acriùs noſtra opinione. quandoquidem tarditatem ſupplicij grauitate compenſabit. Illi tranquillatis & ſedatis animis, omnem vltionem comittamus: & caueamus ne proximos vllis, quacũque ex cauſa, afficiamus iniuriis. Ait enim, *Mihi vindictam, & ego retribuam.* *Deut. 32.* *Rom. 12.*

10. *Exemplum accipite, Fratres exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini.*

Quartum eſt argumentum, quo patientiam ſuadet ab exemplo Prophetarum in generali. Hos etenim imitari, non eſt miſerũ: ſed eorum numero aggregari optabile & glorioſum eſt. Vult autem dicere, Nolite frangi animis, Fratres mei, quando huiuſmodi aduerſis vos colluctari contigerit. Sanctorum potiùs patrum exemplis fulcite corda veſtra in ſancto pietatis

Chri-

Chriſtianæ propoſito. Si vobis ſolummodò aduerſa contingerent, eſſet fortè quod iure miraremini: ſed longè grauiora iamdudum paſſi ſunt Prophetæ, qui, ab initio mundi & deinceps, Diuina præcepta & oracula mortalibus propoſuerunt. In hos conuertite oculos, & animi cogitationes. Vt enim tum non tulerunt impij diuites vaticinia, correptiones, redargutiones illorum: ita nunc non ferunt prædicationes de amplexandis virtutibus nec de vitiis, quibus irã Dei, & inferorum ęterna ſupplicia ſibi promercantur: quòd hæc ipſorum moribus & ſtudiis aduerſentur. Nemo tamen Prophetarum ſortem deplorat, nemo iudicat illos infelices, quòd carceres, vincula, compedes perpeſſi ſint, quòd variis cruciatibus enecti: ſed è contrario, illos felices ducimus, Deóque caros, quòd propter iuſtitiam occiſi ſint. Cur vos igitur huius mundi in maligno poſiti, minas, odia, irriſiones, tormenta impatienter ferretis?

Ex his attende, Apoſtolicum, illudque optimum & valentiſſimum genus docendi eſſe, ab exemplis Sanctorum, qui iam Deo grati & probati conregnãt Chriſto filio eius. Nam ſegniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Plus enim mouent exempla, quàm verba. Moſes (Origenis ſententia) exemplum Iobi ex Arabico ſermone *l. 1. Comm.* in Hebraicum à ſe conuerſum, popularibus ſuis *in Iob.* tranſmiſit: vt inſtar illius, aduerſa, quæ ab Ægyptiis inferebantur, æquis animis tolerarent. Idem rurſum tot virtutum exemplaria poſteris

imitanda propoſuit, quot Patriarcharum vitas
Io. 5. deſcripſit in Geneſi. Chriſtus patris Abrahæ fidem, caritatem, pietatem Iudęis imitādam non ſemel obiecit. Item, Reginę Sabbæ diligentiam
Matth. 12. piiſſimúmque ſtudium. Dauidis, Eliæ, Eliſæique
Luc 4. productis exemplis, doctrinam & innocentiam
Matth. 21. ſuam aduerſus hoſtes ſuos aſſeruit. Paulus omnium ferè Sanctorum veteris Teſtamenti catalogum, réſque ab illis præclarè geſtas, paucis
Aeb. 11. comprehēdens, illorum exemplis fidem, ſpem, patientiam vrget vehementiſſimè, B. Ephrem
l. de lucta ſpirituali, c. 2. ad imitationem Sanctorum auditores ſuos incitans, ait, Obſecro vos Fratres, imitatores eſtote beatiſſimorum Patrum qui ſanctiſſima ſua inſtitutione templum Dei puriſſimum extiterunt. Horum conuerſationem diligite, horum exempla ſectamini. Feſtinemus fieri imitatores inſtitutionis eorum. Ambula Frater, in viis eorum, viue ſicut illi vixerunt, &c. Errant igitur turpiter Hugnoſtici, qui Sanctorum virtutes, fidem, mores, ne quidem prædicari ſuſtinent.

Animaduerte quoque ſæculis vniuerſis annunciatum fuiſſe verbum Dei: ſed nunquam tyrannos defuiſſe, qui præcones eius affligerent & occiderent: atque illud quidem Diuinam erga hunc mundum prouidentiam & beneuolentiam; iſtud verò diaboli malitiam, & hominum magnam ingratitudinem nobis pateface-
Heb. 11. re. Conſiderate, inquit, *exitum malum*, id eſt, crudeles & indignas mortes, quibus *ſecti ſunt, lapidati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Sancti Dei homines Iſaias, Ieremias, Zacharias, &c. Hinc

labores, quibus circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti, quib⁹ indignus erat mundus, Elias, Eliſæus, Præcurſor, &c. Inde *patientiam* illorum, per quam in aduerſis forti & æquo animo perſtiterunt in functione muneris ſui, vt Michæas alapis cæſus, Daniel leonum expoſitus furoribus, & tres ſocij voraciſſimis flammis adiudicati. Qui licèt negotium Domini (à quo miſſi erant) tantùm agerent, tamen mũdo expoſiti, perſecutionem & afflictionem paſſi ſunt. Quid ergo miramur, ſi nos peccatores affligamur? Vos igitur ne deficiatis obſecro, ſanctam fidem, & pium opus ſanctorũ imitati.

Cauſam afflictionum Sanctorum exprimens, nimirum, quòd *loquuti ſunt in nomine Domini*, oſtendit, quòd non omnes qui patiuntur, gloriam ex tormentis referũt: ſed tantùm, qui premuntur & affliguntur propter iuſtitiam. Hoc & Chriſtus manifeſtat dicens, *Beati qui patiuntur propter iuſtitiam. Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum, mentientes.* Et princeps Apoſtolorum, *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes, patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* Et poſtea, *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati.* Iterúmque. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, &c.* Ergo qui à legitimo magiſtratu extremis ſuppliciis adiudicantur propter ſeditiones, blaſphemias, ſacrilegia, hæreſes, & cætera id genus ſcelera, non eſt martyr Chriſti, ſed diaboli. Hinc Auguſtinus, Martyres non facit pœna, ſed cauſa. Nam ſi pœna martyres faceret, omnia metal-

Matth. 5.
1. Petr. 2.
1. Petr. 3.
1. Petr. 4.
Conc. 2. in Pſal. 34. & l. 3. contra Creſc. c 47.

la martyribus plena eſſent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur, &c.

11. *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.*

Quintum eſt ad ſuadendam patientiam argumentum, ſumptum à cõmuni iudicio & conſenſu omniũ eorũ ad quos ſcribit. Sẽſus verborum eſt, Celebramus in terris cũ omni honore ac reuerẽtia nomina, famam corpora, reliquias, & cætera omnia quæ ad beatorum martyrum Chriſti memoriam pertinent: quorũ Deus animas gloria & honore coronat in cœlis. Igitur vt eiuſdem gloriæ & beatitudinis poſſimus aliquando eſſe participes, eorũ conſortes & conciues, oportet illorũ exẽplis, cuncta huius mundi aduerſa æquanimiter & alacriter ſuſtinere.

Hîc autem ampliſſimum locũ de cultu Sanctorum martyrum aperit D. Iacobus, quem & nos alibi diffusè perſecuti ſumus aduerſus Hugnoſticos: euicimúſque illorum colendas eſſe memorias, publicis pro concione laudibus & ſermonibus, imaginibus, ſanctarum reliquiarum veneratione, beatiſſimarum animarum inuocatione, & clariſſimarum virtutum admiratione & imitatione, gratiarũ denique actione, quòd pro cæleſtis doctrinæ ad nos vſque propagatione & conſeruatione tanta paſſi ſint. Ne ergo actum agamus, quædam ſolùm hoc loco ex b. AVGVSTINI adiiciemus doctrina.

Secunda hebdomada, Dial. 1. 2. & 3.

Primùm, impudẽtiſſimas eſſe Manichæorũ, imò & Paganorũ calũnias, quòd vertamus idola in martyres, ipſóſque pro diis colamus, & sũ-

l. 10. cont. Fauſt. c. 21.

mo cultu veneremur. Nulli enim martyrũ conſtituimus altaria, ſed ipſi Deo martyrũ, in eorũ memoriam. Quis enim aſſiſtẽs altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit apud memorias eorũ quos coronauit: Honoramus ſanè memorias eorũ, tanquam ſanctorũ hominũ Dei, qui vſque ad mortem ſuorum corporũ pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio. Apud eorũ autẽ memorias offerimus Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſãctis ſuis Angelis cæleſti honore ſociauit: vt ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad illorum imitationem adhortemur. Quæcunque igitur adhibentur obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarũ: nõ ſacrificia mortuorum tanquã deorũ, &c. Habes depulſas Paganorũ, Manichęorũ, addo & Hugnoſticorum, calumnias: accipe religioſi cultus martyrum ex eodem eximio Doctore confirmationem. *l.8.de ciu.c. 27.*

Reddere debem⁹ illis honorificentiã, qui nobis ſalutẽ (doctrinã ſalutis) effuſione ſanguinis ſui pepererunt, qui tã ſacratã hoſtiã pro noſtra propitiatione Domino ſe obtulerũt, præſertim cùm dicat ad Sãctos ſuos Dominus: *Qui vos honorat, me honorat: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quiſquis ergo honorat martyres, honorat & Chriſtũ: & qui ſpernit Sãctos, ſpernit Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Et piiſſimorũ imp. Theodoſij, Honorij, Archadij religionẽ, Paganorũ impietatibus obiiciẽs, ſcribit, Imperij nobiliſſimi eminẽtiſſi- *Tom.10. Serm.16.de Sanct.* *Luc 10.* *Ep.42.quæ eſt ad Madaurenſ.*

mum culmen nunc videtis ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Sed neque à verbo adorationis,(i.honoris& reuerentiæ religioſæ)abſtinens,rurſus ſcribit,Nā beatiſſimum Petrum piſcatorem, modò genibus prouolutis, adorat gentium credentium multitudo,&c.Hęc de colēdis martyribus. De illorum pro nobis ad Deum effuſis orationibus tantum doctorem differentem audiamus.

Tom.10. Serm.25. de Sanct.

Omnes martyres (inquit) qui cum Chriſto ſunt interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cùm tranſierit gemitus noſter.Et idem rurſum, Natalitia Sāctorum celebrate, vt imitemini eos, qui nos præceſſerunt:& gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat ſuper vos,fiat,fiat. Rurſumque,ratione & exemplo idem comprobans ſcribit, Exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum,quod cōmiſerat Saulus. Commēdem⁹ ergo nos orationib⁹ eius.Multomagis enim nunc exauditur pro bene orantibus ſe, &c.Sed fortaſſe, nec inuocandos illos docuit, nec ipſemet ad illorum preces & ſuffragia confugit.Imò verò illum eundem exaudit, conterraneum ſuum b. Cyprianum ſic inuocantem, etiam his in libris, quibus aduerſus hæreticos confligit.

In Pſal.85. Conc.2.in Pſal.88. Ser.2.in feſto S. Stephani. Act.7.

Adiuuet nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes,vt donante Domino,quātum poſſumus, bona eius,imitemur. Itē,Orationibus (D.Cy-

l.7. de Bap. cont. Don. c.1. l.5.de Bapt. c.17.

priani) adiutus, diſcam ſi potero per literas eius, quãta pace per eum Eccleſiam ſuam Dominus, & quanto ſilentio gubernauerit.

Ad beatiſſimæ Deiparæ opem ſic confugit: Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamẽ, quicunque celebrãt tuã cõmemorationẽ. Aſſiſte parata votis poſcentium, & repẽde omnibus optatũ effectum, Iterũ ſic eã alloquitur, Sãcta & immaculata, virgo Dei genitrix Maria, interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruiſti effici tẽplum, &c. Continuóque omnibus aliis ſanctorum ordinibus, ſic ſe ſuáque commendat, Sancte Michaël, ſancte Gabriel, ſancte Raphaël, ſancti Chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum omniumque iuſtorum, per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me ſupplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari.

Tomo 10. Ser. 18. de Sanct.

l. Meditat. c. 40.

Quanta porrò beneficia horum inuocationibus & ſuffragiis Dominus humano generi contulerit, quanta miracula effecerit in terris, quot ægros ſanauerit, & mortuos ad contactum ſacrorum oſſium & veſtimentorum eorumdẽ, in hãc vitã reuocauerit, diligẽter & copioſè idem ſanctiſſimus & doctiſſ. Antiſtes refert, li. 22. de

ciu.c.8. Libro de cura pro mortuis agenda, c.15. 16.& 17. Libro nono Conf.c.7. Epiſtola 137. &c. quæ qui attentè legerit, & piè vixerit, mirabor ſi non mirabilia Dei in Sanctis ſuis ſuſpexerit: eos qui pro Christi nomine innumerà ſuſtinuerunt tormenta, beatos dixerit: & veteres Manichæos, Vigilantianos, Euſtathianos, nunc in Hugnoſticis renatos, non toto pectore horruerit & reiecerit. Ad Apoſtolum redeamus.

11. *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.*

Sextum & poſtremum eſt pro tolerantia argumentum, ſumptum ab exemplo ſancti Iob, qui omnibus, omnium ſæculorum & gentium linguis, propter inuictam animi fortitudinem, ſingularemque in Deum pietatem, vt nobiliſſimum patientiæ exemplum meritò celebratur. Vult autem dicere B. Iacobus, Poſſem vobis plurima veterum ſanctorum exempla ad imitãdum recitare, vt Abelis, Enoch, Noë, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauidis, Iſaię, Ieremię, &c. ſed his prætermiſſis, vnicum beati Iob pro innumeris accipite. Quis enim huius hiſtoriã legẽs vel audiẽs, nõ omnia aduerſa trãquillo animo ſe perlaturũ, ad eius exẽplum parabit? Quis nõ ſe totũ Deo cõmiſſurũ ad regẽdum & frænãdum cõponet? Initio enim cùm oues, boues, camelos, deinde fideliſſimos ſeruos, poſtea cariſſimos liberos amiſiſſet: tandẽq; proprio corpore percuſſus vlcere peſſimo in fimo iaceret, & omniũ ludibrio expoſitus, Satãq; licẽtiosè nimis in

cũ graſſaretur:videbaturDeus non tantùm procul eſſe à ſeruo ſuo, ſed & armata vltione ſua manu eundem perſequi. At vir ſanctus,quo magis Satanas in eum furebat, vt ad blaſphemandum Deum illum impelleret,eo religioſiùs eũdem laudabat & colebat. Dominus itaque pro ſua clementia,ac effuſa in totum hominum genus beneuolẽtia,cruentiſſimam viri iuſti tragicomœdiam lætiſſimo & glorioſiſſimo fine concluſit. Satanas enim princeps tenebrarũ vnius homunculi conſtantia victus, proſtratus, confuſus receſſit in tartari ſui gurgitem: Iob autem omnibus modis examinatus & probatus,in terris recepit duplicia,& nunc in cælis cum Chriſto,Angelis,& Sanctis omnibus,gloria& honore coronatur. Sic Dominus rabiem alienæ crudelitatis vertit in commodum & lucrum felicitatis.

Hinc primùm habemus hiſtoriam beati Iob veram & certam eſſe:non confictam quandam tragœdiam(quales quondã Euripides,Seneca,& alij poëtæ finxerũt) vt quidã olim Hebræi,nunc autem Anabaptiſtæ delirantes mentiuntur.Nã & ab Ezechiele,& hîc ab Apoſtolo,vt certa probatáque laudatur & proponitur. *Ezech.14.*

Inde colligimus,tam illius, quàm alias patrum veteres & ſacras hiſtorias,eo fine conſcriptas eſſe,vt illarum lectione & contemplatione diſcamus verum Deum colere, timere, inuocare,& in finem vſque in eius promiſſis acquieſcere. Ideo & Paulus ait: *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Et recenſitis *Rom.15.*

1.Cor. 10. aliquot veteris Teſtamenti hiſtoriis ſubdit, *Hæc ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.*

Pręterea, diſcimus afflictiones calamitatéſque piorũ à fine ſemper æſtimãdas eſſe. Initio enim videtur carnis & mundi iudicio, illis iratus eſſe Deus, & hos vel deſpicere, vel penitus obliuiſci: verùm finis aperit, illas ad diuinam gloriam, & hominis ſummam vtilitatem pertinere. Ideóque cùm Chriſtus de crucis ignominia locutus eſſet, hoc de morte ſua dixit (ait Euangeliſta) qua
Io.12. clarificaturus erat Deum. Annon Petri, Pauli,
Io.21. coapoſtolorum, & martyrum perſecutionibus, carceribus, vinculis, tormentis, mortibus; vnius & veri Dei, eiuſdémque coæterni filij
Philipp. 1. gloria totum peruaſit mundum? *Et nunc, & ſemper magnificabitur Chriſtus in corpore meo*, ſcribit Apoſtolus, *ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Ideo D. Iacobus hîc iubet attendere in Iob *finem Domini*, id eſt, quid ei Dominus in fine præſtiterit: quando non eſt paſſus illum opprimi, ſed ex malorum abyſſo profundiſſima eundem extraxit glorioſiſſimè, amiſſa cumulatiſſimè reddidit, & cunctis gentibus ac ſæculis vt clariſſimum virtutis exemplar erexit in ſublime.

Lib.1.de Symb.ad catech. c.3. Tom.9. D. AVGVSTINVM & alia ex hoc loco obſeruantem audiamus. Iob quanta pertulerit, legitur & horretur, expaueſcitur & contremiſcitur. Et quid recepit? Dupla quàm perdiderat. Ergóne homo propter temporalia præmia velit habere patientiam? Ne quis dicat; Feram ma-

la,& reddet mihi Deus quemadmodum reddidit Iob: vt iam non ſit patientia, ſed auaritia. &c. Ergo quia Iob humiliatus erat, exaltandus erat: & fecit hoc Dominus, vt oſtenderet hominibus, quòd maiora ſeruo ſuo in cælo ſeruaret. Humiliatum Iob exaltauit, & elatum diabolum humiliauit: quia *hunc humiliat, & hunc exaltat.* Si quis ergò damna patiatur, ne eo animo dicat, *Dominus dedit, &c.* vt dupla recipiat. Etenim patientia Deum laudat, non auaritia. Si ea quæ perdidiſti, dupla quæris recipere, & ideo Deum laudas: de cupiditate Deum laudas, non de caritate, &c. Ideo Scriptura diuina nos exhortando ad patientiam & ſpem futurorum, nõ mercedem præſentium, ait: *Patientiam Iob audiſtis & finem Domini vidiſtis.*

S. MAXIMVS Abbas & martyr, ex eodem D. Iacobi loco, omnes hortatur ad patientiam & lenitatem, adiiciens iſtam D. Baſilij ſimilitudinẽ, Præparata mente, tanquam ſcopulus quidam mari vicinus, tutò & conſtanter violentorum ventorum, & fluctuum impetus ſuſtine. Subiicit & hoc memorabile Solonis exemplum. Solon in ſe deſpuentem quendam ferebat. Cùm autem alter quidam eum propterea accuſaret: Atqui, inquit, piſcatores vt gobium vnũ capiant, patiuntur ſe aqua conſpergi. Ego idẽ ferre nõ ſuſtineam, vt hominẽ capiam? Ser. 42.

Non tamen deſunt, qui pronunciatum illud, *Finem Domini vidiſtis*, non ad beatum Iob, ſed ad Chriſtum pro nobis in cruce patientem & morientem referunt: quod & D. Auguſtinus

non improbat. Tunc autem ſeptimum eſſet ad *Lib.1.de Symb.c.3.* peſuadendam patientiam argumentum, ſumptũ à perfectiſſimo omnium exemplo Domini noſtri Iesv Chriſti. Alloquitur autem Iudæorum non paucos, qui paulo ante Chriſtum propriis oculis in prætorio Pilati, flagra, coronam ſpineam, innumeras iniurias patientem; deinde, *Io.19.* crucem propriis humeris in vicis Ieroſolymorum Caluariam vſque ferentem; demum & ligno affigi, exaltari, ab omnibus irrideri, moríque conſpexerant. Hoc autem ſpectaculo nihil vnquam magis tolerans, magis conſtans, magíſque patiens mundus viderat. *Cùm maledicere-* *1.Pet.2.* *tur, non maledicebat: cùm pateretur, nõ comminabatur.* Imò pro his à quibus patiebatur, toto pectore Patrem inuocabat: *Pater ignoſce illis, &c.* Parti- *Luc.23.* cipes igitur eius patientiæ & moderationis ſimus, ſi reſurrectionis & regni eius conſortes eſſe volumus,

12. *Ante omnia autem, Fratres nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque quodcunque iuramentum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt: Non, non: vt non ſub iudicio decidatis.*

Quoniam ad æmulationes, detractiones, ac impatientiam, de quibus ſuprà diſſeruit Apoſtolus, vt plurimum ſequũtur diræ imprecationes & horrenda iuramenta, rectè hoc tertio loco communi, ſeu tertia huius capituli parte, iurare prohibet, ne ſacro Dei nomine quis abutatur, & in periuria demum incidat. Dicit autẽ, Sit animus veſter, fratres, purus ac ſimplex, & animo reſpondeat oratio. Nemo fucatis verbis

imponat proximo, nemo iuret: ne paulatim aſſueſcatis peierare. Inter Chriſtianos, qui nec diffidere debent cuiquam, neque alium fallere, ſuperuacaneum eſt iuſiurandum. Neque vobis ſolùm religioſum ſit iurare per Deum in negotiis humanis & leuiculis: verùm etiam ab omni genere iuriſiurandi temperate, &c.

Notandum autem in primis iuxta DAMASCENVM, CHRYSOSTOMVM, & magnum BASILIVM, Iurare, eſſe Deum in teſtem inuocare, eundemque veluti fideiuſſorem conſtituere. Id autem fit multis modis, Primò, per graues imprecationes & execrationes, ſiue in ſeipſum, ſiue in proximos & caros ſuos. Sic Petrus *cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet Chriſtum.* Hebræis vulgata fuit hæc iurandi & imprecandi forma: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Secundò, fit per ſimplices conteſtationes Dei, quales ſunt: *Viuit Dominus: Deus teſtis eſt: Deum teſtor: Deus ſcit: Nouit Deus: Ita me Deus ſeruet, &c.* Tertiò, per contactum rerum ſanctarum, vt euangeliorum, ſanctæ crucis, altaris, ſacrarum imaginum, reliquiarum, &c. vt videre eſt in ſecundo Concilio Niceno, & concilio ſexto Conſtantinopolino. Quartò, per ſanctiſſima Eccleſiæ ſacramenta, vt Baptiſmi, Euchariſtię, ſanorũ ordinum. Quintò, per virtutes Chriſtianas, vt per fidem, ſpem, caritatem. Sextò, per myſteria & inſtrumenta redemptionis humanæ, vt per corpus, ſanguinem, paſſionem, vulnera, & mortem Chriſti. Poſtremò, iuratur per ſanctiſſimas & nobiliſſimas creaturas, in quibus Deus eſt

L. 2. parall.
Hom. 9. in Acta.
In Pſ. 14.
Matt. 26.
Act. 4.
Act. 14. & 16.

laudãdus & glorificãdus, vt per angelos, per beatiſſimam Deiparam, per Apoſtolos, martyres, confeſſores, virgines, cælos, elementa, &c.

Deinde, ſignandum, duplex eſſe genus iuramenti: Primum, quod ab ipſomet Deo non ſolùm conceſſum, ſed & conſtitutum & mandatum eſt hominibus, tanquam rebus humanis vtile ac neceſſarium. Eſt enim opus huius diuini præcepti: *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius iurabis.* Huiuſmodi iuramentum, in certis cauſis, à ſubditis iure Magiſtratus exigit, vt veritas cognoſcatur, & recta iudicia decernãtur, improbi ſubiiciantur pœnis, & humana pacta rata ſint & firma. Sic rectè exiguntur iraměta publica ab Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, quando inaugurātur: licitéque illis iũrant ſubiecti ſe omnem fidelitatem, honorem, & obeditionem præſtituros. In lege iuſſit Dominus, ſuſpectos de furto, ſeipſos coram iudicibus iuramentis purgare. Auguſtinus quoque obſeruat, Dominum Deum frequenter iuraſſe vt nos omnino certos ſecuróſque de promiſſis redderet: atque ideo aliquod iuriſiurandi genus eſſe permiſſum. Inſuper ſanctos viros, vt Abrahã, Gen. 14. 21. & 24. Iacob, Gen. 25. 26. 31. & 47. Ioſeph, Gen. 42. & 43. Moyſes, Exod. 2. & 13, &c. iuramentis propoſita ſua confirmaſſe.

Deut. 6. *Exod. 22* *Ser. 29. & 30. de verb. Apoſt.*

Alterum iuramenti genus eſt leue, ſpontaneũ, & contumelioſum, quo peruerſi Diuinæ maieſtatis contemptores, illius nomen ſponte, paſſimque, in rebus leuiſſimis aſſumunt, ídque in vanum, & frequenter in falſum: ſicque ex iu-

rantibus fiunt periuri. Hoc autem peccatum eſt grauiſſimum, ſub quacunque formula fiat: quoniam opponitur huic præcepto Decalogi: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Neque enim Dominus habebit inſontem, qui aſſumpſerit fruſtra nomen ſuum.* Prohibet rurſum: *Non iurabitis, Viuit Dominus.* Et Sapiens ſcribit, *Iurationi non aſſueſcat os tuum:* Item, *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Et Chriſtus legem perficiens, vt omnium periuriorum ſeminaria radicitus euelleret & exſtirparet, adhuc diſtrictiùs vetat, *Dico vobis: non iurate omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt: neque per Ieroſolymam, quia ciuitas magni Regis eſt: neque per caput tuũ, quia nõ potes facere capillũ albũ aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt: Non, Non.* Optimi præceptoris doctrinam ſartam tectámque cupiens optimus Diſcipulus, docet, *Ante omnia*, ab iſto cauendum eſſe, quoniam per illud Deus magna contumelia afficitur: de cuius maieſtate, nomine, virtute ac cunctis operibus, non niſi cum timore, tremore ſummáque reuerentia cogitandum ac loquendum eſt. Aliâs, graue iudicium, & ſeuera condemnatio imminet iurantibus.

Exod. 20.
Oſe. 4.
Eccl. 23.
Matth. 5.

D. Avg. inquirit, Quare *ante omnia*? Si magnum facinus eſt peierare; nulla autem culpa eſt, verum iurare: quare *ante omnia nolite iurare?* Debuit enim dicere: Ante omnia nolite peierare. An iurare peius eſt quàm furari? quàm adulterare? quàm hominem occidere? Abſit. Iurare non eſt peccatum, ſed falſum iurare, peccatum

Ser. 30. de verb. Apo.

eſt. Iſto verbo quod ait, *Ante omnia*, cautos nos facit aduerſus linguam noſtram. *Ante omnia*, ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis ne ſurrepat vobis conſuetudo iurandi, &c. Aliud habet humana conſuetudo. Et cùm tibi creditur, iuras: & cùm nemo exigit, iuras: & horrentibus hominibus, iuras: vix es ſanus non peierando. Iſtam ergo conſuetudinem quotidianam, crebram iurandi, auertite à vobis, amputate à linguis veſtris, circuncidite ab ore veſtro.

Pandect. hom. 63. S. ANTIOCHVS, hunc D. Iacobi locum & alios ſimiles expendens, ſcribit: Quæ à nobis vel fiunt vel dicuntur citra iuraméti acceſſionē, fidem apud homines multo maiorem impetrāt, ſúntque Deo longè gratiora. Sed vel ſola locutio viri iuramentis aſſueti, non ſolùm capillos ſurrigit, verùm aures inſuper infenſè & pugnaciter vellicat audientium. Lex quoque dicit: *Non iures per nomen meum in re iniuſta.* Propheta item Zacharias: *Iuramentum mendax ne diligatis.* Dicit & Oſee: *Ne iuretis viuentem Dominum.* Et Michæas: *Ero teſtis velox aduerſus eos, qui iurant in nomine meo mendaciter.*

Leu. 19.

L. 3. paral. c. 16. S. DAMASCENVS ex eadem D. Iacobi ſententia, reprehendit eos, qui libenter iurant: eoſdémque hortatur, vt iuramentis caueant. Additque NILI veteris ſcriptoris iſtam de iuramentis cenſuram; Iurare vtile non eſt, verùm admodum pernicioſum, execrabile, atque abominandum. Quocirca deinceps finem iurandi fac, nec committe vt linguá tua iuramentis aſſueſcat. MAXIMVS ſubnectit & iſtud Solonis:

Serm. 33.

Solonis: Morum probitatem, iureiurando firmorem habere decet.

Sed quorſum *per cælum, & per terram* iurare prohibitum? Nũ in his hæret quædam diuinitas? Minimè gentium. Sed quia in his clariſſimè relucent Diuinæ potentiæ, ſapientiæ, prouidentiæque aperta veſtigia. Ideo Concilium 4. Carthaginienſe conſtituit, Clericum per creaturas iurantem grauiter obiurgandum eſſe: & ſi in his vitiis perſtiterit, excommunicãdum. Hoc autem decretum deſumptum videtur ab Aug. ſer. 3. de verbis Apoſtoli. *Cap. 61.*

Quanto magis execrandæ & abominandæ ſunt, eorum quotidianæ blaſphemiæ, qui vel Deum apertè negant, vel illi caput, ventrem, & alia membra affingunt, per quæ nulla de cauſa iurent atque peierent? Omnipotentem creatorem & patrem ſuum contumelia afficiunt horribili & puſillis maximo ſunt ſcandalo? Certè Deus per Moyſem iuſſit blaſphemos efferre extra caſtra, velut humana indignos conuerſatione, & lapidibus obrui. Propter vnius Rabſacis blaſphemas voces de Deo, centum octoginta quinque millia hominum occidione deleti ſunt. Et miramur ſi Chriſtianos milites, innumeris blaſphemiis irretitos, Turcæ proculcent, mactent, proterant? Non minùs peccant, ait ſapienter Auguſt. qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cælis quàm qui crucifixerunt ambulãtem in terris. Videat curioſus Lector Chryſoſtomum, homil. 13. & 25. ad pop. Antiochenum. *Leuit. 24.* *4. Reg. 19.*

conſequantur, & gratiam inueniant in auxilio opportuno. Promiſit enim qui non mentitur Deus cunctis afflictis: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Ergo iuxta eſt his, qui tribulati ſunt corde. Eoſdem ſuauiſſimis promiſſis ad ſe inuitat, dicens: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Clariſſimis & certiſſimis confirmauit exemplis Noe, Iacob, Ioſeph, Tobiæ, Hebræorum, de quibus aliquoties dicitur in Pſalmis: *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceßitatibus eorum liberauit eos.* Chriſtus homo terrore mortis conſternatus ad humillimas & feruentiſſimas preces confugiens, ab angelo viſitur & confortatur, &c.

Pſ.90. *Pſ.33.* *Pſ.49.* *Pſ.106.* *Luc.22.*

Hi verò quibus res ſunt proſperæ, fluúntque ex animo, ne efferant ſemetipſos inſolenter, non inſultent miſeris, non ineptè geſtiant: ſed piis & religioſis hymnis odiíſque celebrent Dei ſummam in ſe clementiam atque beneuolentiam, quibus tantam eis felicitatem elargitus eſt. Hoc enim ſacrificio laudis, pluſquam omnium brutorum ſanguine ac nidore delectatur: *Sacrificium laudis*, ait, *honorificabit me.* Dauid poſt mirabiles victorias, & relatos de populi Diuini hoſtibus triumphos, Pſalmis Deo gratias reddebat, dicẽs, *Immolabo ſacrificium laudis. Hoſtiam vociferationis cantabo, & Pſalmum dicam Domino.* Maria ſoror Moſis, videns cunctos hoſtes Ægyptios cum Rege ſuo in mari demerſos, ſumpto tympano, cum

Pſ.49.

cæteris piis fœminis choreas ducens, cecinit: *Exod.14. & 15.* *Cantemus Domino glorioſo, &c.* Eodem modo ac ſpiritu grates Deo rependentes, ſeipſos canticis oblectauerunt Debora, Iudith, Ezechias, Tobias, tres pueri, Anna Samuelis: & ſub nouo teſtamento, Zacharias, Deipara, Simeon ſenex, &c.

Diuus ANTIOCHVS Pſalmodiam iure *Hom.105.* cenſet eſſe, opus incorporearum virtutum Deo miniſtrantium: ſpeciali prærogatiua conceſſum hominibus: ſacrificium laudis Deo iu- *Pſ.102. & 148.* giter offerendum: dæmones ſummouens ac profligans: canon clericorum & monachorum non omittendus: & omnium laborum dulce lenimen. Ait enim Iacobus: *Triſtatur quis in vobis? Oret.*

ANTONIVS MELISSA ex eodem loco *Serm.46.* ſuadet perſeuerandum eſſe in precibus: adiungítque iſtud Chryſoſtomi, Oratio cuſtodia eſt temperantiæ, virginitatis ſigillum, iræ caſtigatio, ſuperbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, & pacis confirmatio, &c.

14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini:*

15. *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Hac parte quinta capitis præſcribit Apoſtolus, quid Chriſtianis agendum ſit, quando

aduerſa corripiuntur valetudine, & ſoli cum mortis agone & horrore colluctantur. Primùm quia tunc ignorant an ſit illa vitæ ſuæ poſtrema dies, caueant omnino confugere ad magos, ariolos, incantatores, maleficos, qui cum diabolis paciſcuntur. Saul enim breui moriturus, confugit ad Pythoniſſam, & malè periit. Ochozias decumbens, conſilium & auxilium petiit à Beelzebub: & ideo morti adiudicatus fuit. Aſa rex Iuda coarguitur, quòd infirmus Deum non requiſierit, ſed ſpem ſuam in medicos, ſecundáſque cauſas repoſuerit. Denique; mulier Emorroiſſa omnes facultates ſuas fruſtrà per duodecim annos conſumpſit in medicos, &c. Non ſunt equidem medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum artes negligendæ, cùm ad humanam neceſſitatem illas creauerit & reuelauerit Altiſſimus: ſed primam totámque vitæ ſuæ ſeruandæ ſpem in iſtis cauſis ſecundis collocare, impium eſt.

1.Reg.28. 4.Reg.1. 2.Paral.16 Mar.5. Luc.8.

Quid ergo faciet? Cùm ſit membrum viuum corporis, & ouis Eccleſiæ Chriſtianæ, illius Preſbyteros, id eſt rectores, paſtores, Sacramentorum ex officio miniſtros, ad ſe curet accerſendos: quippe qui authoritate, doctrina, rerum ſacrarum peritia cæteros præcellere, & adminiſtrationi ſuæ commiſſorum Sacramentorum præſidio ſubditorum ſaluti prouidere debent. Illi itaque depromptis ex verbo Dei conſolationibus infirmum erigent, in bona ſpe & patientia confirmabunt, atque

Inducat Presbyteros Eccleſiæ.

vt de æterna ſalute ſua feriò recogitet, & maturè diſponat, commonebunt. Et quoniam tunc acriùs furit & bacchatur in homines diabolus, illóſque grauiſſimis de obmurmuratione in Deum, de dubitationibus in fide; de opum, vxoris, liberorum, & huius vitæ deſideriis, tentationibus vt valentiſſimis machinis pulſat: quinetiam, vt ad deſperandum impellat, frequenter in horrendis formis apparet morituris, firmiſſimis & ampliſſimis profectò conſolationibus & auxiliis ægrotantes indigent.

Dauidis certè quidem graui morbo correpti, & de animi ſui exitu è corpore valdè ſolliciti timores, terrores, & ad Deum clamores, id in primis comprobant, quod poſtremò de cacodæmonum terrificis ſpectris morientibus nonnunquam obiectis proponimus. Non tam enim de Abſalonis aut Chuſi perſequentium timore, quàm de diaboli in morte occurrentis formidine ac furore liberari cupit, & ſupplex rogat dicens: *Saluum me fac ex om-*
Pſ.7. *nibus perſequentibus me, & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Etenim Hieronymus & Auguſtinus hæc volunt dicta eſſe de diabolo, qui vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Paulo ſupra eadem conſternatione motus dixerat: *Miſerere mei Do-*
1.Pet.5. *mine, quoniam infirmus ſum. Et anima mea tur-*
Pſ.6. *bata eſt valdè, &c.* Et poſtea, *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt ra-*

piat pauperem, &c.

Frequens certè fuit hæc ſanctorum patrum ſententia. Nam Iuſtinus martyr docet, exemplo Dauidis & Chriſti, dicentium, *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, animas noſtras Deo ſollicitè commendendas eſſe, ne malus ſpiritus eis in exitu noceat: Euſebius non dubitat eundem Chriſtum morientem exclamaſſe, *Erue à framea Deus animam meam. Libera me de ore leonis, &c.* propter cacodæmones eidem inſidiantes & occurrentes. Quod & D. Gregorius poſtmodum comprobauit ex his eiuſdem Domini noſtri verbis: *Venit in me princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* De eadem re & Baſilius magnus ſic concionatur, Eos qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidam ac triſtes circunſtabunt angeli, ignem paratum continentes, ignem expirantes, &c. Subſcribit Cyrillus adfirmans cacodæmones ignitis oculis, ignémque ore vomentes egredientibus animis noſtris occurrere, vt eas perterrefaciant, & ſecum abducant. Chryſoſtomus idipſum ex rerum euentu ſic adfirmat: Terribiles viſiones narrare ſolent morituri, quarum ſpeciem nullo modo ferentes, & lectulos plerunque ipſos magno impetu concutiunt, & toruis eos qui adſunt oculis conſpiciunt: vel quia vi à corpore reſcinditur reluctans anima, vel quia ſpirituum viſiones ferre non poſſunt. Eadem rurſum alibi confirmat ex eo, quòd boni angeli animam Lazari euntẽ è corpore deduxerũt in ſinum Abrahæ: alterius

Pſ. 9. *Pſ. 30.* *Dialogo.* *L. 8. demonſtrat. c. 8.* *Pſ. 21.* *Hom. 39. in Euang.* *Hom. in Pſ. 33.* *Orat. de exitu animæ.* *Hom. 54. in Matth.* *Conc. 2. de Lazaro.* *Luc. 16.*

autem diuitis metuendæ quædam virtutes ad ſupplicia repetierunt.

Nec alia fuit patrum Latinorum ſententia, vt iam ex D. Gregorio probauimus: cui adiicimus hæc D. Auguſtini verba; Attende miſera peccatoris anima, quãdo de mundo exitura es, aderũt mox miniſtri maligni, maledicti diaboli, tartarea monſtra, ſpiritus terribiles ac peſſimi, velut leones rugientes vt rapiant prædam, ſcilicet tuã peccatricem & miſeram animam, &c. Hoc Paulo poſt aſtruit ex eo, quod etiam Seuerus Sulpitius antea ſcripſerat, nimirum, Satanam auſum fuiſſe impetum facere in ſanctiſſimam B. Martini animam, quam præſentibus bonis angelis, euntem in cælum curabat impedire. Extat quoque ad finem operum D. Hieronymi & Auguſtini, cuiuſcunque ſit, pia tamen ac vtilis narratio de miraculis D. Hieronymi poſt mortem eius editis. In hac fertur quòd Euſebius Vercellenſis preſbyter, B. Hieronymi diſcipulus, moriturus, per triduum voce viſúque priuatus in lectulo iacebat: Duabus horis ante exitum animę, tam terribiles actus cœpit peragere, vt circunſtantes territi in terra iacerent. Nam quandoque trãſuerſis oculis, manibus iunctis, facie terribili, vocéqne dira clamabat: Non faciam, non faciam: Mentiris, mentiris. Poſt hæc, ad terrã rediẽs, faciẽ firmabat in terram quãtum poterat. Petentibus circunſtantibus; quid pater, habes? reſpondit; Non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? Conantur vt Diuini nominis blaſphemus inueniar: & ideo hoc me

Tom. 9. lib. de ſpeculo peccatoris, c. 7.

L. 2. de vita D. Martini

Hier. to 9. coll. 689. Aug. to. 2.

non facturum clamabam. Et circũſtantes aiunt, Quare faciem abſcondebas in terram? Et ille, Ne illius aſpectum cernerem, qui tam turpis & terribilis eſt, vt omnes mũdi formidines reſpectu eius nihil ſint, &c. His autem id apertè efficitur, quod iſto loco contendimus, nimirum, cacodæmones præſertim ſub mortis articulo hominibus ſpectris ſuis infeſtos eſſe: ac proinde cum mortis horroribus colluctantes multis magniſque conſolationibus adiuuandos eſſe. In eum ergo finem inducant ad ſe presbyteros & rectores eccleſiæ. Atque hæc de primo.

Secundò, in domum ægrotantis inducti, & priuatis & communibus precibus incumbent, ſupplicabúntque vt ſanitas ei reſtituatur, ſi ad gloriam nominis Diuini, ſalutem propriam, & proximorum vtilitatem Deo videtur expedire. *Orent. ſuper eum.* Sin minus, veniam omnium peccatorum, conſtantiam in fide, & in gratia perſeuerantiam vſque ad vltimum huius vitæ terminum illi poſtulabunt. Hoc autem officium non dumtaxat ſacerdotum, ſed & omnium Chriſtianorum eſt. Chriſtus namque morti proximus Apoſtolis ſuis dicebat, *Vigilate, & ſuſtinete mecum*, aliquam conſolatiunculam ab eis, ſi adhibuiſſent, non recuſaturus. Idem & in horto & in cruce, quærebat *qui conſolaretur, & non fuit.* Confugit ergo ad feruentiſſimas preces, *& cum clamore valido & lachrymis*, animam ſuam Patri commendauit: nobis relinquens exemplum, vt in his anguſtiis ſequamur veſtigia eius. Ezechias monitus vt de domo ſua diſponeret, ſtatim moriturus, *Matth. 26.* *Luc 22.* *Pſal 68.* *Heb. 5.*

auerſa facie à cunctis aulę pompis, eam conuertit ad parietem, & cum lachrymis recogitans omnes annos præteritos in amaritudine animæ
4 Reg. 20. ſuæ, precibus ſe dedidit. Tobias, Elias, Simeon,
Iſa. 38. mortem ſentientes vicinam, ſupplicationibus
Io. 11. ad Deum ſeſe ſuſtentarunt. Sorores Lazari pro fratre infirmante ad Chriſtum miſerunt. Ergo pro fratribus ægrotantibus ab omnibus eſt
Heb. 5. orandum: maximè à presbyteris & ſacerdotibus, quorum officium eſt, vt Apoſtolus ait, *offerre preces & ſacrificia pro populo.*

Vnguentes eum oleo. Tertiò, pręſtò debent habere oleum oliuarum, ab Epiſcopo priùs benedictum & orationibus ſacratum. Apoſtolus namque docet, *omnem creaturam ſanctificari per verbum & orationem.*
1. Tim. 4.
Io. 6. Et Chriſtus panes & piſces aliquoties benedixit: Apoſtoliſque exemplo fuit, vt oleum iſtiuſmodi benedicerent, & eam benedicendi formā
l. 8. Conſt. ſeruarent, ac Eccleſiæ traderent, quàm b. Cle-
c. 35. & 36. mens horum auditor & ſucceſſor ſcriptis tradidit. Hoc itaque Diuini nominis inuocatione benedicto oleo, vngere debent præcipuas corporis ægrotātis partes, & organa ſenſuum, quibus contigit in Deum peccaſſe, vt oculos, nares, aures, labra, pedes, manus, lumbos: & ad ſingulas vnctiones inuocare nomen, id eſt, miſericordiam, gratiam, & opem Domini. Hæc autem eſt verborum forma, Eccleſiæ tradita. Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam miſericordiam, parcat tibi Deus quicquid oculorum, narium, &c. vitio deliquiſti. Neceſſe eſt enim his vnctionibus coniungere verbum Dei, vt ratio

conſtet Sacramenti, ſicut in ablutione aquæ Baptiſmatis, conſecratione panis & vini Euchariſtiæ, impoſitione manuum, &c. Accedit verbum ad elementum, doctore D. Auguſtino, & fit Sacramentum. *Tract. 80. in Io.*

Quartò, tres effectus hui⁹ vnctionis ab Apoſtolo recitantur, Primus eſt promptior & facilior ſalus infirmi, quando per orationem prodeuntem ex recta in Deum fide, coniunctá cum exteriori applicatione olei benedicti, interior gratia ſpiritalis, ægrotanti confertur. Enimuerò ſic adaugetur præcedens in animo gratia Dei, conſcientia nouis auxiliis roboratur, & ad ſuperãdos mortis terrores & horrores, reuincendáſque dæmonum tentationes & inſidias eludendas confirmatur. Confortatúrque in fide, ſpe, caritate, cæteriſque virtutibus: ſecuriorque redditur de proxima ſibi ſalute per merita Chriſti redemptoris ſui, cuius ſacramento fulcitur & communitur. *Oratio fidei allenia-bit infirmũ.*

Secundus huius Sacramenti effectus eſt alleniatio dolorum corporis ac ægritudinum animi, quando infirmus nouis viribus receptis, ſeipſum in Deo conſolatur, & alacriore animo, maioréque patientia & conſtantia perfert acutiſſimos infirmitatum dolores, hóſque iudicat de manu Dei patris humaniſſimi, ad ſaluté ſuam immiſſos: quinetiam cùm Deo id expedire videtur, & aliquoties contingit, etiam à morbis corporeis omnino ſanatur. Hoc initio naſcentis Eccleſiæ frequentiùs accidiſſe legitur, tum vt Chriſti nominis inuocatio, ſacramentique

efficacitas commendaretur, tum vt maior fides & pietas Chriſtianorum tunc etiam miraculis
Mar. 16. cõpenſaretur. Teſtatur enim Euangeliſta, Apo-
l. ad Scap. ſtolos oleo infirmos vnxiſſe, & curaſſe. Tertullianus refert Proculum quendam Chriſtianum Seuerum imp. Antonini patrem olei vnctiòne
In vita Hilarionis. curaſſe. Hieronymus teſtatur Agricolas à ſerpentibus, & venenatis animalibus percuſſos, olei à b. Hilarione benedicti vnctione, priſtinæ ſanitati reſtitutos eſſe. Sulpitius Seuerus adfirmat mulierem cæcam & paralyticam, oleo per
l. 2 hiſt. Eccl. b. Martinum benedicto curatam. Rufinus idem propemodum factitatum eſſe à diſcipulis b. Antonij. Item Palladius de duobus Macariis, &c.

Tertius huius ſacræ vnctionis effectus eſt
Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei. remiſſio præcedentium peccatorum. Quod potiſſimùm de venialibus eſt intelligendum: deinde, de pœnis temporariis debitis mortalibus: quinetiam ipſa forſan mortalia, quæ ex humana ignorantia obliuioni data, in confeſſione detecta non fuerant, quantum fidei feruor, ſpei conſtantia, deprecationis & pietatis infirmorum magnitudo promeruerit. His ergo ſpiritu confortatus infirmus, confidentiùs erigitur in Deum, dolores feret mitiùs, & quaſi ſalutem ſuam iam complecteretur, diabolicas illuſiones fortiter deſpiciet, longéque profligabit, lætus denique aduentum Domini & angelorum eius præſtolabitur. Magno affectu aut voce aut mé-
Pſal. 30. te dicet, *In manus tuas Domine, commendo ſpiritum*
3. Reg. 19. *meum. Tolle animam meam. Iube in pace ſuſcipi ſpiri-*

tum meum. Educ de cuſtodia animam meam. Cupio diſ- *Tob.4.*
ſolui, & eſſe cum Chriſto, &c. *Pſal.142.*
Philip.1.

QVOD VNCTIO INFIRMORVM VERE SIT SACRAMENTVM.

IAm ſupereſt, vt hãc vnctionem verè ſempérque ſacramentum fuiſſe, aduerſus recentes hæreticos probemus: deinde, illius vſum perpetuum in Chriſtianiſmo, ab Apoſtolis ad nos vſque ſeruatum oſtendamus. Ac primò quidem, ſi Caluini authoritas apud Caluinianos & Bezanos alicuius ponderis eſt, iam negotium confecim⁹. Scribit enim ille in Com. & refert in rhapſodiis Marloratus: *fatemur quidem pro Sacramento vſurpatam fuiſſe à Chriſti diſcipulis, Mar.6.v.13. Neque enim medicamentum tantummodo erat, vt quidam exiſtimant.* His conſentit tota Geneuanorum miniſtrorum colluuies, Annotationibus Gallicis ad marginem à ſe æditorũ Bibliorum. Quinetiam inter illos furores, quibus in Babylonica captiuitate ſua Lutherus agitatur, quædam habens lucida interualla, concedit hanc vnctionem Sacramentum eſſe, *Habent Theologi* (inquit) *quod in os mihi retundant, nempe, quòd authoritate Iacobi Apoſtoli, hic promiſsio & ſignum ſit, quibus ego Sacramentum conſtitui hactenus dixi.* Et poſtea, *Igitur hoc vnctionis extremæ noſtrum Sacramentum non damno. Neque enim negare poſſumus, Creaturam quamlibet per verbum & orationem ſanctificari: ita non negamus per extremam vnctionem dari remiſsionem & pacem, &c.* Quid apertius? An

Et inſtit. l. 4. c. 19. & 18.

Tom.2. Pag.91.

Pagina 92.

non propriis ſententiis cauſa omnino cadunt hæretici,& nos omni ex parte ſuperiores obtinemus Vnctionem iſtam eſſe Sacramentum? Nec enim,vt iſte fatetur, hoc negare potuiſſet, cùm materia ſeu elementum externum, *oleum* videlicet,deſignetur. Hinc,forma verborũ,quæ dicitur,*oratio fidei*. Inde miniſter idoneus, *Presbyter Eccleſiæ*. Præterea effectus mirabiles ſubſequantur, ægrotantis *ſalus*, *alleniatio*, *& remiſſio peccatorum*. Poſtremò, author huius Sacramenti Chriſtus ſatis indicatur,cùm locus Euangelij ſignatur,&praxis ſanctorum Apoſtolorum commemoratur.

Mar.6. *Iac.5.* Iam itaque per Deum vos rogo, noui Apoſtoli,noui reformatores Eccleſiæ,nouique veritatis olim reconditæ ac ignotæ, ſcilicet, inſtauratores & vindices: quis primus huiuſmodi ſacroſanctum Sacramẽtum à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis ſeruatum auſus eſt abrogare? Qua fretus authoritate & poteſtate? quo nixus expreſſo Dei verbo? In qua parte orbis terrarũ? In quo Concilio? Qui huic abrogationi ante vos conſenſerunt, & ſubſcripſerunt? Quis vnquam *fictitium Sacramentum, putidum oleum, pinguedinem ſemimortua cadauera inficientem, oleum multo halitu calefactum, multo murmure incãtatum, & abominabilem vnctionem*, ante vnum naturâ maleuolum, maledicum, & blaſphemum Caluinum, iſtud Sacramentum appellauit? Cùm itaque nemini mortalium vnquã licuerit, quod ab æterno Dei filio in ſalutem generis humani ſemel conſtitutum fuit,& ab eius Apoſtolis vſu

Inſt.l.4.l.19.

receptum, ac Eccleſiæ Chriſtianæ traditum, tollere & abrogare: nemo mentis compos dubitare poteſt, Extremæ vnctionis ritum, velut legitimum ac proprium Sacramentum omni ætate in eadem Eccleſia perſeueraſſe. Sed id firmiſſimis ſanctorum patrum Græcorum teſtimoniis primùm euincamus.

1. S. CLEMENS Ro. ipſorum Apoſtolorum auditor & ſucceſſor inter ſacras illorum Conſtitutiones refert benedictioné olei ab Epiſcopo faciédam, cum his precibus: Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, ſanctifica per Chriſtum hoc oleum, & tribue ei vim ſanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi inſidias per Chriſtum Dominum noſtrum. Duo autem impellunt me, vt hæc de oleo vnctionis infirmorum dicta eſſe ſentiam. Primum, quòd antea diffuſè ſatis de vnctione quæ fit in Baptiſmo, diſſeruerat. Secundum, quod in huius olei benedictione, petatur vis ſanandi, & morbos depellendi, quæ ad ægrotos maximè pertinent. *l. 8. Conſti. c. 29. tract. Turr.*

2. S. IRENÆVS martyr, & vir Apoſtolicus, coarguens Gnoſticos, quòd iſta vnctione abuterentur, aquam oleo commiſcentes, impiorum verborum formam adhibentes, & mortuos vngentes: è contrario certè probat illius inter Catholicos vſum legitimum. *l. 1. c. 18.*

3. ORIGENES, primus poſt Apoſtolos, D. Hieronymi teſtimonio, Eccleſiarum magiſter, Septem enumerans remiſſiones peccatorum, adfirmat ſeptimam fieri per pœnitentiam, quan- *Homil 2. in Leuit.*

Eadem extant apud Cyrill. l. 2. in Leuit. do peccator non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam: & impletur illud, quod Iacobus Apoſtolus dicit: Si quis infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ, &c.

Can. 69. ex Arabico. 4. TRECENTI DECEM ET OCTO patres, qui ex toto orbe ad primum Concilium Nicænum conuenerunt, & huius olei, & benedictionis, & linitionis eius, vt rei vſitatæ meminerunt: appellántque illud *Oleum* infirmorum, & ab oleo, chriſmatéque Baptiſmi omnino ſecernunt.

l. 3. de Sacerdotio. 5. S. IO. CHRYSOSTOMVS Conſtantinopolitanus Patriarcha, inter Sacerdotum munera refert, quòd nos Deo regenerant: & poſtea, condonandorum nobis peccatorum facultatem *Iac. 5.* obtinent, quoniam ſcribitur: Infirmatur inter vos aliquis? Accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo, &c.

6. S. CYRILLVS & ipſe patriarcha Alexãdriæ, *Orat. de exita animæ.* ac vniuerſarum Ægyptij Africæ, Æthiopiæ, & Arabicarum Eccleſiarũ inſpector, poſt deſcriptas animæ ex corpore excedentis tentationes, anguſtias, & à cacodæmonibus obiecta pericula: omnes hortatur, vt viuentes ſaluti ſuæ conſulant, non erubeſcentes Sacerdoti Domini peccata ſua indicare, & quærere medicinam, ſe- *Pſal. 31.* cundùm quod ſcriptum eſt: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. In quo impletur & illud, quod Iacobus Apoſtolus dicit: *Si quis infir-* *Iac. 5.* *matur, vocet presbyteros Eccleſiæ, &c.*

7. S. VICTOR, ipſe quoque in patriarchatu Antiocheno

tiocheno Sacerdos, ait, Solum Marcum inter Euāgeliſtas,de myſtica vnctione,& vſu olei iſtiꝰ meminiſſe: illa verò quæ Apoſtolus Iacobus narrat,ab his non diſſentire. *Infirmatur quis in vobis,&c.* Oleum autem inter alia (inquit,) & laborum moleſtias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat.Oleum igitur,quod in ſacra vnctione adhibetur, & Dei miſericordiam, & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat.

8. S. Io. DAMASCENVS,ſemel & iterum huius olei, & vnctionis meminit, videlicet, cùm de Oratione,& de his quæ ipſius opera perficiuntur,differit:quando item,De morbo& imbecillitate laborantibus, & quòd eos viſitare oporteat,ſcriptis diſputat. Tertiò quoque recordatur eiuſdem,& appellat Vnguentum, & oleum ſanctum,quod ægroto à Sacerdote admouetur, *Orat, quod hi qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, viuorum Miſſis,ac beneficiis iuuentur.* *Parall.lib. 2.c.15. & 99.*

9. THEOPHYLACTVS Bulgariæ Archiepiſcopus, ſcribit. Quod vnxerint oleo Apoſtoli, ſolus Marcus narrat:quòd & frater Domini Iacobus in epiſtola Catholica dicit, *Infirmatur quis,&c.* Eſt igitur & oleum ad labores vtile, & lucis fomentum,& hilaritatis effectiuum.ſignificàtque miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur: & lucem, ac gaudium,hilaritatémque ſpiritualem accipimus. *Com.in Marc.*

10. EVTHYMIVS ZIGABONVS Commentariis ex veterum patrum Græcorum monumentis collectis,poſt b.Marci,& b.Iacobi de hoc oleo *In Mar.c. 6.*

Exod.14. & 15. cæteris piis fœminis choreas ducens, cecinit: *Cantemus Domino glorioſo, &c.* Eodem modo ac ſpiritu grates Deo rependentes, ſeipſos canticis oblectauerunt Debora, Iudith, Ezechias, Tobias, tres pueri, Anna Samuelis: & ſub nouo teſtamento, Zacharias, Deipara, Simeon ſenex, &c.

Hom.105. Diuus ANTIOCHVS Pſalmodiam iure cenſet eſſe, opus incorporearum virtutum Deo miniſtrantium: ſpeciali prærogatiua conceſſum hominibus: ſacrificium laudis Deo iugiter offerendum: dæmones ſummouens ac Pſ.102. & 148. profligans: canon clericorum & monachorum non omittendus: & omnium laborum dulce lenimen. Ait enim Iacobus: *Triſtatur quis in vobis? Oret.*

Serm.46. ANTONIVS MELISSA ex eodem loco ſuadet perſeuerandum eſſe in precibus: adiungítque iſtud Chryſoſtomi, Oratio cuſtodia eſt temperantiæ, virginitatis ſigillum, iræ caſtigatio, ſuperbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, & pacis confirmatio, &c.

14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini:*

15. *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Hac parte quinta capitis præſcribit Apoſtolus, quid Chriſtianis agendum ſit, quando

aduerſa corripiuntur valetudine, & ſoli cum mortis agone & horrore colluctantur. Primùm quia tunc ignorant an ſit illa vitæ ſuæ poſtrema dies, caueant omnino confugere ad magos, ariolos, incantatores, maleficos, qui cum diabolis paciſcuntur. Saul enim breui moriturus, confugit ad Pythoniſſam, & malè periit. Ochozias decumbens, conſilium & auxilium petiit à Beelzebub: & ideo morti adiudicatus fuit. Aſa rex Iuda coarguitur, quòd infirmus Deum non requiſierit, ſed ſpem ſuam in medicos, ſecundáſque cauſas repoſuerit. Denique; mulier Emorroiſſa omnes facultates ſuas fruſtrà per duodecim annos conſumpſit in medicos, &c. Non ſunt equidem medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum artes negligendæ, cùm ad humanam neceſſitatem illas creauerit & reuelauerit Altiſſimus: ſed primam totámque vitæ ſuæ ſeruandæ ſpem in iſtis cauſis ſecundis collocare, impium eſt.

1. Reg. 28. *4. Reg. 1.* *2. Paral. 16* *Mar. 5.* *Luc. 8.*

Quid ergo faciet? Cùm ſit membrum viuum corporis, & ouis Eccleſiæ Chriſtianæ, illius Preſbyteros, id eſt rectores, paſtores, Sacramentorum ex officio miniſtros, ad ſe curet accerſendos: quippe qui authoritate, doctrina, rerum ſacrarum peritia cæteros præcellere, & adminiſtrationi ſuæ commiſſorum Sacramentorum præſidio ſubditorum ſaluti prouidere debent. Illi itaque depromptis ex verbo Dei conſolationibus infirmum erigent, in bona ſpe & patientia confirmabunt, atque

Inducat Presbyteros Eccleſiæ.

vt de æterna ſalute ſua ſeriò recogitet, & maturè diſponat, commonebunt. Et quoniam tunc acriùs furit & bacchatur in homines diabolus, illóſque grauiſſimis de obmurmuratione in Deum, de dubitationibus in fide; de opum, vxoris, liberorum, & huius vitæ deſideriis, tentationibus vt valentiſſimis machinis pulſat: quinetiam, vt ad deſperandum impellat, frequenter in horrendis formis apparet morituris, firmiſſimis & ampliſſimis profectò conſolationibus & auxiliis ægrotantes indigent.

Dauidis certè quidem graui morbo correpti, & de animi ſui exitu è corpore valdè ſolliciti timores, terrores, & ad Deum clamores, id in primis comprobant, quod poſtremò de cacodæmonum terrificis ſpectris morientibus nonnunquam obiectis proponimus. Non tam enim de Abſalonis aut Chuſi perſequentium timore, quàm de diaboli in morte occurrentis formidine ac furore liberari cupit, & ſupplex rogat dicens: *Saluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Etenim Hieronymus & Auguſtinus hæc volunt dicta eſſe de diabolo, qui vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Paulo ſupra eadem conſternatione motus dixerat: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Et anima mea turbata eſt valdè, &c.* Et poſtea, *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt ra-*

Pſ.7.
1.Pet.5.
Pſ.6.

piat pauperem,&c.

Frequens certè fuit hæc ſanctorum patrum ſententia. Nam Iuſtinus martyr docet, exemplo Dauidis & Chriſti, dicentium, *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, animas noſtras Deo ſollicitè commendendas eſſe, ne malus ſpiritus eis in exitu noceat: Euſebius non dubitat eundem Chriſtum morientem exclamaſſe, *Erue à framea Deus animam meam. Libera me de ore leonis, &c.* propter cacodæmones eidem inſidiantes & occurrentes. Quod & D. Gregorius poſtmodum comprobauit ex his eiuſdem Domini noſtri verbis: *Venit in me princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* De eadem re & Baſilius magnus ſic concionatur, Eos qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidam ac triſtes circunſtabunt angeli, ignem paratum continentes, ignem expirantes, &c. Subſcribit Cyrillus adfirmans cacodæmones ignitis oculis, ignémque ore vomentes egredientibus animis noſtris occurrere, vt eas perterrefaciant, & ſecum abducant. Chryſoſtomus idipſum ex rerum euentu ſic adfirmat: Terribiles viſiones narrare ſolent morituri, quarum ſpeciem nullo modo ferentes, & lectulos plerunque ipſos magno impetu concutiunt, & toruis eos qui adſunt oculis conſpiciunt: vel quia vi à corpore reſcinditur reluctans anima, vel quia ſpirituum viſiones ferre non poſſunt. Eadem rurſum alibi confirmat ex eo, quòd boni angeli animam Lazari exeuntẽ è corpore deduxerũt in ſinum Abrahæ: alterius

Pſ.9. *Pſ.30.* *Dialogo.* *L.8. demonſtrat. c.8.* *Pſ.21.* *Hom.39. in Euang.* *Hom. in Pſ.33.* *Ora. de exitu animæ.* *Hom.54. in Matth.* *Conc.2. de Lazaro.* *Luc.16.*

autem diuitis metuendæ quædam virtutes ad ſupplicia repetierunt.

Nec alia fuit patrum Latinorum ſententia, vt iam ex D. Gregorio probauimus: cui adiicimus hæc D. Auguſtini verba; Attende miſera peccatoris anima, quãdo de mundo exitura es, aderũt mox miniſtri maligni, maledicti diaboli, tartarea monſtra, ſpiritus terribiles ac peſſimi, velut leones rugientes vt rapiant prædam, ſcilicet tuã peccatricem & miſeram animam, &c. Hoc Paulo poſt aſtruit ex eo, quod etiam Seuerus Sulpitius antea ſcripſerat, nimirum, Satanam auſum fuiſſe impetum facere in ſanctiſſimam B. Martini animam, quam præſentibus bonis angelis, euntem in cælum curabat impedire. Extat quoque ad finem operum D. Hieronymi & Auguſtini, cuiuſcunque ſit, pia tamen ac vtilis narratio de miraculis D. Hieronymi poſt mortem eius editis. In hac fertur quòd Euſebius Vercellenſis preſbyter, B. Hieronymi diſcipulus, moriturus, per triduum voce viſúque priuatus in lectulo iacebat: Duabus horis ante exitum animę, tam terribiles actus cœpit peragere, vt circunſtantes territi in terra iacerent. Nam quandoque trãſuerſis oculis, manibus iunctis, facie terribili, vocéque dira clamabat: Non faciam, non faciam: Mentiris, mentiris. Poſt hæc, ad terrã rediẽs, faciẽ firmabat in terram quãtum poterat. Petentibus circunſtantibus; quid pater, habes? reſpondit; Non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? Conantur vt Diuini nominis blaſphemus inueniar: & ideo hoc me

Tom. 9. lib. de ſpeculo peccatoris, c. 7.

L. 2. de vita D. Martini

Hier. to. 9. coll. 689. Aug. to. 2.

non facturum clamabam. Et circũſtantes aiunt, Quare faciem abſcondebas in terram? Et ille, Ne illius aſpectum cernerem, qui tam turpis & terribilis eſt, vt omnes mũdi formidines reſpectu eius nihil ſint, &c. His autem id apertè efficitur, quod iſto loco contendimus, nimirum, cacodæmones præſertim ſub mortis articulo hominibus ſpectris ſuis infeſtos eſſe: ac proinde cum mortis horroribus colluctantes multis magniſque conſolationibus adiuuandos eſſe. In eum ergo finem inducant ad ſe presbyteros & rectores eccleſiæ. Atque hæc de primo.

Secundò, in domum ægrotantis inducti, & priuatis & communibus precibus incumbent, ſupplicabúntque vt ſanitas ei reſtituatur, ſi ad gloriam nominis Diuini, ſalutem propriam, & proximorum vtilitatem Deo videtur expedire. Sin minus, veniam omnium peccatorum, conſtantiam in fide, & in gratia perſeuerantiam vſque ad vltimum huius vitæ terminum illi poſtulabunt. Hoc autem officium non dumtaxat ſacerdotum, ſed & omnium Chriſtianorum eſt. Chriſtus namque morti proximus Apoſtolis ſuis dicebat, *Vigilate, & ſuſtinete mecum*, aliquam conſolatiunculam ab eis, ſi adhibuiſſent, non recuſaturus. Idem & in horto & in cruce, quærebat *qui conſolaretur, & non fuit*. Confugit ergo ad feruentiſſimas preces, *& cum clamore valido & lachrymis*, animam ſuam Patri commendauit nobis relinquens exemplum, vt in his anguſtiis ſequamur veſtigia eius. Ezechias monitus vt de domo ſua diſponeret, ſtatim moriturus,

Orent ſuper eum. *Matth. 26.* *Luc 22.* *Pſal 68.* *Heb. 5.*

auerſa facie à cunctis aulę pompis, eam conuertit ad parietem, & cum lachrymis recogitans omnes annos præteritos in amaritudine animæ
4 Reg. 20. ſuæ, precibus ſe dedidit. Tobias, Elias, Simeon,
Iſa. 38. mortem ſentientes vicinam, ſupplicationibus
Io. 11. ad Deum ſeſe ſuſtentarunt. Sorores Lazari pro fratre infirmante ad Chriſtum miſerunt. Ergo pro fratribus ægrotantibus ab omnibus eſt orandum: maximè à presbyteris & ſacerdoti-
Heb. 5. bus, quorum officium eſt, vt Apoſtolus ait, *offerre preces & ſacrificia pro populo.*

Tertiò, pręſtò debent habere oleum oliua-
Vnguentes eum oleo. rum, ab Epiſcopo priùs benedictum & oratio-
1. Tim. 4. nibus ſacratum. Apoſtolus namque docet, *om-*
Io. 6. *nem creaturam ſanctificari per verbum & orationem.* Et Chriſtus panes & piſces aliquoties benedixit: Apoſtoliſque exemplo fuit, vt oleum iſtiuſmodi benedicerent, & eam benedicendi formã
l. 8. Conſt. ſeruarent, ac Eccleſiæ traderent, quàm b. Cle-
c. 35. & 36. mens horum auditor & ſucceſſor ſcriptis tradidit. Hoc itaque Diuini nominis inuocatione benedicto oleo, vngere debent præcipuas corporis ægrotãtis partes, & organa ſenſuum, quibus contigit in Deum peccaſſe, vt oculos, nares, aures, labra, pedes, manus, lumbos: & ad ſingulas vnctiones inuocare nomen, id eſt, miſericordiam, gratiam, & opem Domini. Hæc autem eſt verborum forma, Eccleſiæ tradita. Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam miſericordiam, parcat tibi Deus quicquid oculorum, narium, &c. vitio deliquiſti. Neceſſe eſt enim his vnctionibus coniungere verbum Dei, vt ratio

conſtet Sacramenti, ſicut in ablutione aquæ Baptiſmatis, conſecratione panis & vini Euchariſtiæ, impoſitione manuum, &c. Accedit verbum ad elementum, doctore D. Auguſtino, & fit Sacramentum. *Tract. 80. in Io.*

Quartò, tres effectus hui⁹ vnctionis ab Apoſtolo recitantur, Primus eſt promptior & facilior ſalus infirmi, quando per orationem prodeuntem ex recta in Deum fide, coniunctã cum exteriori applicatione olei benedicti, interior gratia ſpiritalis, ægrotanti confertur. Enimuerò ſic adaugetur præcedens in animo gratia Dei, conſcientia nouis auxiliis roboratur, & ad ſuperãdos mortis terrores & horrores, reuincendáſque dæmonum tentationes & inſidias eludendas confirmatur. Confortatúrque in fide, ſpe, caritate, cæteriſque virtutibus: ſecuriorque redditur de proxima ſibi ſalute per merita Chriſti redemptoris ſui, cuius ſacramento fulcitur & communitur. *Oratio fidei allenia-bit infirmũ.*

Secundus huius Sacramenti effectus eſt alleniatio dolorum corporis ac ægritudinum animi, quando infirmus nouis viribus receptis, ſeipſum in Deo conſolatur, & alacriore animo, maioréque patientia & conſtantia perfert acutiſſimos infirmitatum dolores, hóſque iudicat de manu Dei patris humaniſſimi, ad ſalutẽ ſuam immiſſos: quinetiam cùm Deo id expedire videtur, & aliquoties contingit, etiam à morbis corporeis omnino ſanatur. Hoc initio naſcentis Eccleſiæ frequentiùs accidiſſe legitur, tum yt Chriſti nominis inuocatio, ſacramentique

efficacitas commendaretur, tum vt maior fides & pietas Chriſtianorum tunc etiam miraculis
Mar.16. cõpenſaretur. Teſtatur enim Euangeliſta, Apo-
l.ad Scap. ſtolos oleo infirmos vnxiſſe, & curaſſe. Tertullianus refert Proculum quendam Chriſtianum Seuerum imp. Antonini patrem olei vnctiòne
In vita Hilarionis. curaſſe. Hieronymus teſtatur Agricolas à ſerpentibus, & venenatis animalibus percuſſos, olei à b. Hilarione benedicti vnctione, priſtinæ ſanitati reſtitutos eſſe. Sulpitius Seuerus adfirmat mulierem cæcam & paralyticam, oleo per
l.2 hiſt. Eccl. b. Martinum benedicto curatam. Rufinus idem propemodum factitatum eſſe à diſcipulis b. Antonij. Item Palladius de duobus Macariis, &c.

Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Tertius huius ſacræ vnctionis effectus eſt remiſſio præcedentium peccatorum. Quod potiſſimùm de venialibus eſt intelligendum: deinde, de pœnis temporariis debitis mortalibus: quinetiam ipſa forſan mortalia, quæ ex humana ignorantia obliuioni data, in confeſſione detecta non fuerant, quantum fidei feruor, ſpei conſtantia, deprecationis & pietatis infirmorum magnitudo promeruerit. His ergo ſpiritu confortatus infirmus, confidentiùs erigitur in Deum, dolores feret mitiùs, & quaſi ſalutem ſuam iam complecteretur, diabolicas illuſiones fortiter deſpiciet, longéque profligabit, lætus denique aduentum Domini & angelorum eius præſtolabitur. Magno affectu aut voce aut mẽ-
Pſal.30. te dicet, *In manus tuas Domine, commendo ſpiritum*
3.Reg.19. *meum. Tolle animam meam. Iube in pace ſuſcipi ſpiri-*

tum meum. Educ de cuſtodia animam meam. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, &c. *Tob. 4. Pſal. 141. Philip. 1.*

QVOD VNCTIO INFIRMORVM VERE SIT SACRAMENTVM.

IAm ſupereſt, vt hāc vnctionem verè ſempérque ſacramentum fuiſſe, aduerſus recentes hæreticos probemus: deinde, illius vſum perpetuum in Chriſtianiſmo, ab Apoſtolis ad nos vſque ſeruatum oſtendamus. Ac primò quidem, ſi Caluini authoritas apud Caluinianos & Bezanos alicuius ponderis eſt, iam negotium confecim⁹. Scribit enim ille in Com. & refert in rhapſodiis Marloratus: *fatemur quidem pro Sacramento vſurpatam fuiſſe à Chriſti diſcipulis, Mar. 6. v. 13. Neque enim medicamentum tantummodo erat, vt quidam exiſtimant.* *Et inſtit. l. 4. c. 19. & 18.* His conſentit tota Geneuanorum miniſtrorum colluuies, Annotationibus Gallicis ad marginem à ſe æditorū Bibliorum. Quinetiam inter illos furores, quibus in Babylonica captiuitate ſua Lutherus agitatur, quædam habens lucida interualla, concedit hanc vnctionem Sacramentum eſſe, *Habent Theologi* (inquit) *quod in os mihi retundant, nempe, quòd authoritate Iacobi Apoſtoli, hîc promiſſio & ſignum ſit, quibus ego Sacramentum conſtitui hactenus dixi.* *Tom. 2. Pag. 91.* Et poſtea, *Igitur hoc vnctionis extremæ noſtrum Sacramentum non damno. Neque enim negare poſſumus, Creaturam quamlibet per verbum & orationem ſanctificari: ita non negamus per extremam vnctionem dari remiſſionem & pacem, &c.* *Pagina 92.* Quid apertius? An

non propriis ſententiis cauſa omnino cadunt hæretici,& nos omni ex parte ſuperiores obtinemus Vnctionem iſtam eſſe Sacramentum? Nec enim,vt iſte fatetur, hoc negare potuiſſet, cùm materia ſeu elementum externum ,*oleum* videlicet,deſignetur.Hinc,forma verborũ,quæ dicitur,*oratio fidei.*Inde miniſter idoneus,*Preſbyter Eccleſiæ.* Præterea effectus mirabiles ſubſequantur , ægrotantis *ſalus* , *alleniatio*, *& remiſſio peccatorum*. Poſtremò, author huius Sacramenti Chriſtus ſatis indicatur,cùm locus Euangelij ſignatur,&praxis ſanctorum Apoſtolorum commemoratur.

Mar.6. *Iac.5.* Iam itaque per Deum vos rogo , noui Apoſtoli,noui reformatores Eccleſiæ,nouique veritatis olim reconditæ ac ignotæ, ſcilicet, inſtauratores & vindices : quis primus huiuſmodi ſacroſanctum Sacramẽtum à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis ſeruatum auſus eſt abrogare? Qua fretus authoritate & poteſtate?quo nixus expreſſo Dei verbo?In qua parte orbis terrarũ? In quo Concilio? Qui huic abrogationi ante vos conſenſerunt, & ſubſcripſerunt ?Quis vnquam *fictitium Sacramentum* , *putidum oleum*, *pinguedinem ſemimortua cadauera inficientem* , *oleum multo halitu calefactum*, *multo murmure incãtatum*, *& abominabilem vnctionem* , ante vnum naturâ maleuolum, maledicum , & blaſphemum Caluinum, iſtud Sacramentum appellauit? Cùm itaque nemini mortalium vnquã licuerit, quod ab æterno Dei filio in ſalutem generis humani ſemel conſtitutum fuit,& ab eius Apoſtolis vſu

Inſt.l.4.l.19.

receptum, ac Eccleſiæ Chriſtianæ traditum, tollere & abrogare: nemo mentis compos dubitare poteſt, Extremæ vnctionis ritum, velut legitimum ac proprium Sacramentum omni ætate in eadem Eccleſia perſeueraſſe. Sed id firmiſſimis ſanctorum patrum Græcorum teſtimoniis primùm euincamus.

1. S. CLEMENS Ro. ipſorum Apoſtolorum auditor & ſucceſſor inter ſacras illorum Conſtitutiones refert benedictioné olei ab Epiſcopo faciédam, cum his precibus: Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, ſanctifica per Chriſtum hoc oleum, & tribue ei vim ſanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi inſidias per Chriſtum Dominum noſtrum. Duo autem impellunt me, vt hæc de oleo vnctionis infirmorum dicta eſſe ſentiam. Primum, quòd antea diffuſè ſatis de vnctione quæ fit in Baptiſmo, diſſeruerat. Secundum, quod in huius olei benedictione, petatur vis ſanandi, & morbos depellendi, quæ ad ægrotos maximè pertinent. *l. 8. Conſti. c. 29. tract. Turr.*

2. S. IRENÆVS martyr, & vir Apoſtolicus, coarguens Gnoſticos, quòd iſta vnctione abuterentur, aquam oleo commiſcentes, impiorum verborum formam adhibentes, & mortuos vngentes: è contrario certè probat illius inter Catholicos vſum legitimum. *l. 1. c. 18.*

3. ORIGENES, primus poſt Apoſtolos, D. Hieronymi teſtimonio, Eccleſiarum magiſter, Septem enumerans remiſſiones peccatorum, adfirmat ſeptimam fieri per pœnitentiam, quam- *Homil. 2. in Leuit.*

tiocheno Sacerdos, ait, Solum Marcum inter Euãgeliſtas, de myſtica vnctione, & vſu olei iſti⁹ meminiſſe: illa verò quæ Apoſtolus Iacobus narrat, ab his non diſſentire. *Infirmatur quis in vobis, &c.* Oleum autem inter alia (inquit,) & laborum moleſtias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in ſacra vnctione adhibetur, & Dei miſericordiam, & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat.

8. S. Io. DAMASCENVS, ſemel & iterum huius olei, & vnctionis meminit, videlicet, cùm de Oratione, & de his quæ ipſius opera perficiuntur, diſſerit: quando item, De morbo & imbecillitate laborantibus, & quòd eos viſitare oporteat, ſcriptis diſputat. Tertiò quoque recordatur eiuſdem, & appellat Vnguentum, & oleum ſanctum, quod ægroto à Sacerdote admouetur; *Orat, quòd hi qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, viuorum Miſſis, ac beneficiis iuuentur.* *Parall. lib. 2. c. 15. & 99.*

9. THEOPHYLACTVS Bulgariæ Archiepiſcopus, ſcribit. Quod vnxerint oleo Apoſtoli, ſolus Marcus narrat: quòd & frater Domini Iacobus in epiſtola Catholica, dicit, *Infirmatur quis, &c.* Eſt igitur & oleum ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum. ſignificátque miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur: & lucem, ac gaudium, hilaritatémque ſpiritualem accipimus. *Com. in Marc.*

10. EVTHYMIVS ZIGABONVS Commentariis ex veterum patrum Græcorum monumentis collectis, poſt b. Marci, & b. Iacobi de hoc oleo *In Mar. c. 6.*

laudatas ſententias,ſubiũgit: Veriſimile eſt autem Dominum etiam docuiſſe Apoſtolos (vt nimirum infernos vngerent.)Erat autẽ oleum ſignũ hilaritatis corporis, & alacritatis animæ.

Com.in Ep. Iacob c.5. 11. OECVMENIVS, & ipſe acceptis à veteribus ſententiis Commentaria ſua conficiens, eadem adfert & adfirmat,quæ ſupra ex Origene,Chryſoſt.& Theophylacto electa ſunt.

12. THEODORVS natione Græcus, Archiepiſcopus autem Cantuarienſis,circa annum Domini 690. ſcripſit opus de qualitate pœnitentiæ iniungendæ his, qui multis criminibus deliquiſſent, cuius titulus eſt, *Pœnitentiale Theodori*. In hoc continentur hæc verba, quæ etiam à Burchardo referũtur. *l.18.c.14.* Ab infirmis in periculo mortis poſitis,per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum,&c. Et ne illis ianua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus eccleſiaſticis,ſacra cum vnctione animati ſecũdùm ſtatuta ſanctorum patrum,communione viatici reficiantur.

Interpret. Liturgiæ,c. 29. 13. NICOLAVS Cabaſilas poſteaquàm confirmauit ſanctiſſimum oleum oratione perfici & ſanctificari,de eodem ſubiicit: Peccatorũ quoque remiſſio pœnitentibus datur per orationem ſacerdotum: & vltimum olei ſacramentum ſimiliter perficit Sacerdotum oratio,quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remiſſionem dat iis, quibus peragitur, vt habet Apoſtolica traditio, *Infirmatur quis in vobis,&c.*

14 SIMEON,Theſſalonicenſis,libro de ſeptem

Sacramentis, & hanc quoque ſacri olei delibutionem inter illa connumerat.

15. Hieremias nouiſſimus Græcorum Patriarcha, Reſponſione prima ad ſcriptum Lutheranorum Virtembergenſium, ipſis etiam interpretibus: primò inter Septem Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta, numerat, Sacrum oleum. Paulò poſt ait, Illis qui poſt Baptiſma peccauerunt, conducunt, Pœnitentia, & conſecrati olei Vnctio: Hæc aut remiſſionem peccatorum largiuntur: aut ſordes animæ inhærentes expurgant. Et aliquantò poſt, De ſacto oleo, Et hoc traditum eſt, vt ſacer ritus, & Diuinæ miſericordiæ typus, ad redimendos & ſanctificandos pœnitentes adhiberi ſolitum. Ideo & animos à peccatis ſoluit, & ab infirmitate corpora excitat: & ſanctificatione homines implet. Item poſtea, Olei vſum veriſimile eſt, ab aliquo etiam alio Apoſtolo traditum eſſe. Manifeſtè certè à ſancto Apoſtolo Iacobo in Catholica Epiſtola perhibetur. Hæc illius traditio eſt, quæ ab illo inde tempore, ad nos vſque obſeruatur.

Acta The. Vvitẽberg. Vvittembergæ. Anno 1583. Pagina 77. Pagin. 79. Pag. 81.

Ad hæc cùm Lutherani Miniſtri ſuo more reſcripſiſſent, idem Patriarcha ſecundò reſpondit: Sacrum oleum inter Sacramenta traditum eſt, vt Diuinæ miſericordiæ ſignum: quod redemptionis & ſanctificationis cauſa, homini ſe à delictis & peccatis conuertenti, impertitur. Ideo etiam remiſſionem affert peccatorum: & ex infirmitatibus corporis erigit. De eo enim Iacobus frater Domini, ſic ſcriptum reliquit *Infirmatur aliquis, &c.*

Pag. 242.

Cùm verò huic quoque reſponſioni & ſecundæ adhortationi Patriarchæ ſeſe opponerent Lutherani miniſtri, idem tertio ſcripto illos valere iuſſit, dicente Paulo: *Hæreticum hominem poſt vnam atque alteram admonitionem reiice, &c.* Hæc ipſimet de Patriarcha, & de ſeipſis ſcripſerunt, & typis ſuis excuſa per orbem ſparſerunt, quibus vt & ſuperioribus teſtimoniis manifeſtum eſt, Sacramentum extremę vnctionis à Chriſto conſtitutum ab Apoſtolis ſeruatum & ab horum temporibus in hunc vſque diem, per vniverſas Græcorum Eccleſias ſanctiſſimè fuiſſe vſurpatum.

Pag. 350. Tit. 3.

1. Tantundem de Latinis facturi à beatiſſimo martyre, ſummoque Eccleſiæ pontifice EVSEBIO exordium capiemus. Is circa annum Do. 310. referente Burchardo, decreuit: Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit fuerit officio linguæ priuatus, conſtitutum eſt, vt ſi idonea teſtimonia habuerit, quod ipſe pœnitentiam petiiſſet, Sacerdos impleat omnia ſicut ſupra circa ægrotantem pœnitentem ſcriptum eſt. Id eſt, orationes dicat, & vngat eum ſancto oleo, & Euchariſtiam ei donet, &c.

Li. 8. Decr. c. 11.

2. INNOCENTIVS, & ipſe ſupremus Antiſtes Eccleſię, & à ſummis viris Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo plurimum celebratus, cõſultus de hoc D. Iacobi loco, reſpondet: Non eſſe dubium de fidelibus ægrotantibus accipi & intelligi debere, qui ſancto oleo perungi poſſunt, ab Epiſcopo cõfecto, quo omnibus Chri-

Prima epi. ad Decentium c. 8.

ſtianis vti licet in ſua aut ſuorum neceſſitate. Huius autem vnctionis miniſtros ordinarios eſſe Sacerdotes: ac etiam Epiſcopos, cùm dignum duxerint aliquem à ſe viſitandum, quorum eſt ipſum chriſma conficere.

3. AVGVSTINVS, non vnius ſolùm Africanæ, ſed & totius Latinæ Eccleſię præclarum lumen, Chriſtiano decumbenti diſtrictè prohibet incantatores, diuinos, aut ſortilegos quærere: contra verò, in ſola Dei miſericordia eundem fidere iubet, Euchariſtiam cum fide ac deuotione ſuſcipere, oleúmque benedictum ab Eccleſia petere, &c. IDEM quoque ſic vnumquemque infirmum alibi conuenit, Sic roges de te, & pro te fieri, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus, imò per Apoſtolum ſuum Dominus, *Inducat presbyteros Eccleſiæ, &c.* Ipſa olei ſacrati delibutio intelligitur Spiritus ſancti typica vnctio. Illud etiam viuificum Dominici corporis ſupplementum ſuſcipere, Fili mi, ne renuas, &c. IDEM rurſum de eodem ſic ad populum ſuum concionabatur. Quotiens aliqua infirmitas ſuperuenerit, Corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat, accipiat: & inde corpuſculum ſuum vngat (paſſiuè, nimirum,) vt illud impleatur in eo, *Inducat presbyteros eccleſiæ, &c.*

l. de rectitudine catholicæ conuerſationis.

l. 2. de viſit. infir. c. 4.

Ser. 215. de tempore.

AVTHOR vitæ Caroli magni, quem V.C.P. Pithœus, cuius anima pace fruatur, cum aliis aliquot hiſtoriæ Francorum ſcriptoribus edidit in lucem, quémque putat vixiſſe ante ſeptingentos annos, exceſſum eiuſdem magni Regis

Fragmento de maioribus domus reg. Pag. 81

& Imperatoris deſcribés ait: Oleo ſancto inunctus ab Epiſcopis, & viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritũ ſuũ, obiit in pace anno octingẽteſimo quartodecimo ab incarnatione Domini noſtri Iesv Christi. Ex quibus liquet, infirmorum vnctionem in vſu & ſacra præceptione etiam tempore habitam.

5. Beda ille (etiam hæreticis ſcribentibus,) qui pretioſas opes Auguſtini primùm eruit & effodit in Anglia: & ob ſingularem eruditionis famam, venerabilis eſt appellatus, & in lucem atque vſum Eccleſiæ ante Caroli magni imperium euocatus: is inquam, hunc locum b. Marci, *Apoſtoli vngebant oleo ægrotos*, & ſanabantur, cum hoc b. Iacobi connectens, colligit, Patet, ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctum Eccleſiæ morem eſſe traditum, vt ægroti vngãtur oleo, pontificiali benedictione conſecrato. Idem refert puellam ſanctimonialem, & à dæmone quo infeſtabatur, & à vulnere lethali quod dæmon inflixerat, olei pro infirmis conſecrati adſperſione ſanitati reſtitutam eſſe. Idem rurſus, & decreto Innocentij ſuperiùs allato, & teſtimoniis b. Marci, & b. Iacobi comprobat Eccleſiæ conſuetudinem, vt infirmi vngantur oleo conſecrato.

Dane' præfat. in Enchiri. Aug.

Com. in c. 6. Marci.

Com. in c. 8. Lucæ.

Com. in c. 5. Iacobi.

6. Gregorivs circa annum à Chriſto ſexcenteſimum Turonenſium Antiſtes, litteris mandauit, S. Hoſpitium anachoretam, in vrbe Nicenſi, aſſumpto oleo benedictione ſanctifi-

l. 6. hiſt. Franc. c. 6.

cato, infirmum ſurdum & mutum liniendo ſanaſſe. Rurſum, eundem olei ſancti vnctione in modum crucis ſuper mulierem, quæ à tribus dæmoniis ad mortem vexabatur, peracta, mirabiliter liberaſſe. Rurſumque, hominem à natiuitate cæcum, ægrotantem, per oleum benedictum ab eodem curatum.

7. HAYMO quem obiiſſe ferunt anno poſt Chriſtum natum 853. Commentariis in c. 6. d. Marci, & in hunc D. Iacobi locum, conſtanter adfirmat, iſtum infirmos vngendi ritum, vniuerſis Chriſtianorum Eccleſiis ab ipſis Apoſtolis Chriſti traditum fuiſſe.

ORDINARIVM Romanum, quod etiam ante tempora Caroli magni conſcriptum ex Hilduino Vualafrido, & Sigeberto colligitur, continet Ambroſianam benedictionem olei, ad vngendos tam infirmos, quàm energumenos, in qua dicitur: Domine, infunde ſanctificationem tuam huic oleo, vt ab his quæ vnxerit membra, fugatis inſidiis aduerſariæ poteſtatis, ſuſceptione præſentis olei, ſancti Spiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem. Pag. 64.

8. ALCVINVS Caroli magni præceptor, Libro de Diuinis officiis ſcribit, In cœna Domini benedicitur oleum infirmorum, quia paſſio Chriſti authorem mortis deſtruxit: gratia eius quæ ſignificatur per olei vnctionem arma eius quæ ſunt peccata quotidiana deſtruxit, Iacobo atteſtante: *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*, cuius ſignum eſt olei vnctio. Pag. 55. & 56.

Pag.72. Idem, Presbiteri poteſtatem dicit eſſe, Catechizandi, baptizandi, infirmos benedicti olei vnguine perungendi, &c. Idem rurſum, verba Innocentij repetens, & D. Iacobi authoritatem laudans, palam profitetur Vnctionem iſtam verè Sacramentum eſſe & dici.

Pag.94.

9. Amalarius Treuirenſis, & Alcuini diſcipulus, quæ paulo ſupra ex Bedę in Marcum commentariis attulimus, ſcriptis ſuis inſerit, & eiuſdem vnctionis vſum, Sacramentúmque confirmat.

l.1. de Eccl. offic. c.12.

10. Rabanvs Mavrvs, & ipſe auditor Alcuini, à præceptoris doctrina non recedens, ſcribit, Benedicetur oleum ex Apoſtolica authoritate, ad infirmorum medicamentum, Iacobo Apoſtolo hoc præcipiente, *Infirmatur quis in vobis? &c.*

l.1. de inſt. cleric. c.55.

11. Calixtvs Papa, Burchardo referente, producta D. Iacobi authoritate, Marci rurſum teſtimonio, cum b. Innocentio concludit, Infirmos oleo conſecrato vngendos eſſe à Presbyteris Eccleſiæ. Quod ait verò, *Oleo in nomine Domini*, ſignificat in nomine Domini conſecrato: vel certè, quia etiam cùm vngunt infirmum, nomen Domini ſuper eum inuocare debent.

l.13. c.2.

12. Bvrchardvs ipſe, quem ferunt obiiſſe anno Dom. M.XXIIII. in ſynodo Vvormacienſi, Sacerdotibus præcepit, Infirmos viſitate, eos reconciliate, & iuxta Apoſtolum, oleo ſancto inungite, & propria manu cõmunicate. Idem rursũ, Poſt preces, & ſymbolum, infirmus à Sacerdote vngatur. Poſt cõfeſſionem, & fidem

Admonit. in ſynodo.

Argumento libri 18.

redditam, & vnctionem, dicatur, In veritate tua exaudi me Domine, &c.

Y V O Carnotenſis, circa annum Domini M. X C. ad Radulfum Abbatem ſancti Fuſciani extremo morbo laborantem ſcribebat, Vnctionē quam ſemel accepiſti, non æſtimo repetendam, quia genus eſt ſacramenti. Qui autem ſacramēta Chriſti, & Eccleſię repetit, (in eodem morbo,) iniuriam ipſis ſacramentis ingerit, &c. *Epiſt. 257.*

14. P E T R V S D A M I A N V S, quem Trithemius ſcribit floruiſſe anno M. L. laudatis verbis B. Iacobi, ait: Solennis vnctio, liquor excellens, quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Vnde & ſancti patres hanc vnctionem ſacramentum eſſe ſanxerunt. *Ser. 1. in dedicatione eccleſ.*

15. B E R N A R D V S, teſtificatur B. Malachiam vocatum, vt fœminam infirmam vngereret oleo. Rogantibus amicis vt in craſtinum differret, acquieuit. Interea, mortua eſt. Hanc cùm ſuſcitaſſet, vnxit eam nihilominus, ſciens in hoc ſacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei ſaluet infirmum. T A N D E M, ipſemet B. Malachias ſibi mortem imminere cognoſcens, iubet ſe ſacro oleo vngi. Vngitur, & ſumpto viatico, fratrum ſe orationibus, & fratres commendauit Deo. *In vita S. Malachiæ Epiſcopi.*

16. P E T R V S cognomento Venerabilis, multis oſtendit, iſtud Vnctionis ſacramentum ſuccedentibus pluribus morbis, reiterari poſſe & debere: tametſi vnctiones baptiſmi, confirmationis, ſacerdotum, & pontificum, nunquam *L. 6. Epiſt. 1.*

repetantur.

Conſtit 23. ad patriar. Cōſtātinop. 17. INNOCENTIVS tertius qui vniuerſæ Eccleſiæ præſedit ante annos CCCL. docet, Vnctionem exteriorem ſeu materialem, qua viſibiliter inungitur corpus, à Iacobo Apoſtolo deſignari, dicens, *Infirmatur quis in vobis? &c.* ſignum eſſe interioris & inuiſibilis vnctionis.

Speculi eccleſia, c. 14. 18. EDMVNDVS Cantuarienſis, quem Trithemius vixiſſe putat anno M. C. XX. in ſcriptis reliquit, Septimum ſacramentum eſt Extrema vnctio, quę alleniat infirmos in periculo mortis à pœna corporali & ſpirituali. Et ideo poſtquàm accepit aliquis ſacram vnctionem, magis debet eſſe aſſiduus in Diuina contemplatione, &c.

Cent. 10. col. 328. 19. Et vt veritas etiam ab infeſtiſſimis hoſtibus ſuis firmiſſimum habeat teſtimonium, Cẽturiatores Magdeburgenſes fatentur, ſæculo poſt Chriſtum natum milleſimo, in veteri Agẽda mentionem fieri de ægrotantium vnctione per oleum à Pontifice conſecratum, iuxta authoritatem Apoſtolicam. Subiiciunt illico: Vngebantur infirmi, poſtquam ab onere peccatorum per confeſſionem liberati eſſent, teſte Reginone, lib. 1. de diſciplina Eccleſiaſt. c. 115.

Cent. 11. col. 297. 20. Iidem poſtea ſcribunt: Vvilhelmus Hirſaugienſis præſul, morti vicinus, oleo ſacro inunctus, dicitur in Chronico Hirſaugienſi. Epiſcopus Catalaunenſis iam moriens & inunctus, conceſſit Drogoni ſedem. Yuo in epiſt. ad Paſchalem Papam, ait: Epiſcopi qui Vvoldardum Magdeburgenſem viſendi gratia acceſſerant, diligenter pro eo orabant: Timarus verò Epiſc.

Marſpurgenſis,eum oleō vngebat : ægrotus ſe ſignabat cruce.

21. Et iidem ipſi poſtmodùm referunt Otthonem Friginſenſem Epiſc. lecto decumbentem , pro more, ſacro olei liquore perunctum. Idem officium Guillelmo Viceliacenſi Abbati præſtitum. Fratres hoſpitalis domus Ieroſolymæ, ægrotis,viaticum & extremam vnctionem non negaſſe.Ludolfum Sacerdotem , & Geraldum Lubecenſem,in extremis vnctos. Nec diffitentur hunc morem per cunctas Eccleſias ſeruatum,Cent.13.col.406. 475. 637. 945. Adeò totus orbis Chriſtianos perpetuò tenuit, quod ab Apoſtolis de hoc doctrinæ & fidei ſuæ capite ſemel recepit. *Cent.12.col 920.&921*

Atque hæc de Vnctionis infirmorum ſacramento,patres tam Græci quàm Latini. Quibus ſi addas omnes illos,qui adfuerunt Florentino,Conſtantienſi,ac Tridentino generalibus conciliis:inſuper,eos qui interfuerũt Vvormacienſi,Cabilonenſi 2. Meldenſi, Aquiſgranenſi, Moguntinenſi 4. Colonienſi 4. Auguſtenſi,Senonenſi,prouincialibus ſynodis,quantam habebis nubem teſtium?Quàm grauem ſenatum ? Qualem huius loci D. Iacobi, quem tractamus,ſanctorum interpretum chorum? Si tot patrum venerandam caniciem non fuerint reueriti Hugnoſtici ; an non vt degeneres , immanéſque parricidæ,omnibus illis Diuinis maledictionibus ſubiacebunt,quas in filios immorigeros voces Scripturæ pronunciant? Sin verò Lutheri,Caluini,Chemnitij,&aliorum aliquot

improborum ac recentium apoſtatarum inſulſa pugnantia & blaſphema commenta; tot veterum, & à Spiritu diuino inſpiratorum ſanctorum Dei hominum cæleſti planè & concordi interpretationi, præferre non erubuerint; Diabolicam certè malitiam, cæcitatem, & rabiem ſuam cunctis mortalibus manifeſtabunt. Argumenta quibus ſe niti cauſantur; nona reſponſione non dignabor: quandoquidem iam ſatis ſuperque ſoluta fuerint à Catholicis & perdoctis viris, Alphonſo, Horantio, Clingio, Ekio, Lindano, Tappero, Galleno, Bellarmino, Valentiano, &c. Ad intermiſſos igitur commentarios calamum reflectimus.

16. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra & orate pro inuicem vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.*

Hac ſexta parte capitis tractat Apoſtolus de confeſſione peccatorum, mutua inter Chriſtianos oratione, & multiplici eiuſdem fructu ac efficacitate. Duplicem porrò confeſſionis ſpeciem ex ſacris literis conſtituunt, & de vtraque hîc Apoſtolum loqui conſtanter tradunt Theologi; Primam appellant cònſultricem & reconciliatricem. Fit autem vel quando peccata, imperfectiones, infirmitates, & conſcientiarum anguſtias & ſcrupulos fratribus noſtris retegimus, vt ſuis nos conſiliis iuuent atque conſolentur: vel quando mutuas offenſiones libenter fatemur, vt inuicem pro Chriſti amore reuerentiáque condonemus atque in pacem redeamus. Hac confeſſionis ſpecie vſus eſt magiſter

pincernarum Pharaonis, quando poſt tres annos recordatus Ioſeph interpretis ſui, exclamauit: *Confiteor peccatum meum*, id eſt, ſummam ingratitudinem, & turpiſſimam obliuionem. Item fratres eiuſdem Ioſeph, quãdo poſt obitum patris venerunt ad eum, & proſtrati in terram dixerunt: *Serui tui ſumus. Non ſis memor iniuriæ fratrum tuorum*. Dauid coram Gad, Nathan prophetis Domini non ſemel delicta ſua recognoſcens. De hac ſcribitur: *Non confundaris pro anima tua dicere verum, & confiteri peccata tua. Item*. Itẽ, *Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris*. Et in Prouerbiis, *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur, &c.*

Gen. 41.
Gen. 50.
2. Reg. 12. & 24.
Ecc. 4.
Ibi. 43.
Prou. 28.

Pertinet quoque ad hanc confeſſionis ſpeciẽ Correctio fraterna, de qua dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Domine, quoties dimittam? Non dico, ſepties, &c.* Matt. 18.

Huiuſmodi autem confeſſio nec pertinet ad ſacramentum, nec ſolis fit Sacerdotibus: ſed ad omnes ſpectat, vt hîc docet Iacobus, dicens: *Cõfitemini alterutrum peccata veſtra, &c.* q. d. Quoniam vita humana vix ac ne vix quidem ſine leuibus ac quotidianis offenſis tranſigi poteſt, vti quotidiano remedio neceſſum eſt. Illud autem erit, ſi vnuſquiſque imperfectiones atque delicta ſua cognoſcat, fateatur, veniámque poſtulet à proximis ſuis. Infirmos autem præſertim de hac re officiosè moneant Presbyteri eccleſiæ: nimirum, vt & his qui ſe læſerunt, ex animo remittant: & ab iis quos offenderunt veniam rogent & impetrent antequam de hac vita

Matth. 18. exeant. Decretum eſt enim Filij Dei: *Nec Pater meus cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra, niſi dimiſeritis fratribus veſtris.* Viderint ergo qui in duellis peierantes, ſpumantes, & furentes in naturæ ſuæ conſortes occumbunt, &c.

Secunda ſpecies confeſſionis peccatorum, quæ pars eſt ſacramenti pœnitentiæ, eſt omnium peccatorum de quibus recordamur, ad aurem Sacerdotis enumeratio, cum debita contritione cordis, & ſpe remiſſionis per abſolutionem conſequendæ. Et de hac quoque hunc Apoſtoli locum rectè intelligendem eſſe, aduerſus Caietani, Eraſmi, Caluini, & gregalium errores confirmandum eſt. Primo etenim D. AVGVSTINVS, contendit, confeſſionem peccatorum ſoli Deo factam, non ſufficere ad ſalutem, quia & ſub lege, & ſub gratia, infirmis præceptum eſt, ire ad Sacerdotes, & lepram (quæ peccatum ſignificat) oſtendere, vt de illius contagione vel curatione ſententiam ferant. Secundò, quia obediendum Apoſtolo Iacobo dicenti & præcipienti: *Confitemini alterutrum, &c.*

L. 2. de viſit. infir. c. 4. 5. & 7.

Leuit. 13. Luc. 17. Matth. 8.

Iac. 5.

Tertiò quia eius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus non dedignatus eſt habere in terris vicarium. Dixit enim Eccleſiæ paſtoribus: *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erũt, &c.* Cõcludit autẽ doctiſſimus Antiſtes, Cur erubeſcis cõfiteri, quod facere nõ erubuiſti? Melius eſt corã vno aliquantulũ ruboris tollerare, quàm in die iudicii corã tot millibus hominũ & angelorũ, graui depulſa denotatum tabeſcere.

Io. 20.

Conſentit ven. BEDA his verbis: Quoti-

diana leuiaque peccata alterutrum coęqualibus confiteamur.Grauioris autem lepræ immunditiem iuxta legem, Sacerdoti pendamus, atque ad eius arbitrium,qualiter, & quanto tempore iuſſerit purificari curemus. Subſcribit BERNARDVS, dicentibus, Sufficit mihi ſoli Deo confiteri, ita occurrens: Non ego, ſed Beatus Iacobus reſpondet: *Confitemini alterutrum*. Conueniens namque valdè eſt,vt nos qui peccando, Deo contumaces fuimus, pœnitendo ſupplices Sacerdotibus eius ſimus:vt homo qui ad gratiā conſeruandam mediatore non eguit, iam eam recuperare niſi per mediatorem hominem poſſit. *Com.in. hunc.loc.* *L.Medit.*

MELISSA hanc quoque ſententiam D. Iacobi connectens cum aliis, quæ ad pœnitentiam & confeſſionem pertinent, iis iſtud ex D. Baſilio ſubiungit: Neceſſarium eſt peccata illis confiteri, quibus adminiſtratio myſteriorum Dei concredita fuerit.Sic enim antiqui pœnitentiam agētes,ſanctis feciſſe reperiuntur.Scribitur enim in Euangelio, quòd Ioanni Baptiſtæ peccata ſua confeſſi ſint: & in Actis, quod Apoſtolis,à quibus etiam omnes baptizabantur. *Ser.17. & Damaſc. l. 2.Paral.c. 85.* *Matth.3.* *Act 19.*

CALIXTVS Papa per Burchardum laudatus,de eadem quoque ſcribit: Si infirmi in peccatis ſint, & hæc Presbyteris eccleſiæ confeſſi fuerint,ac perfecto corde ea dereliquerint, dimittentur eis.Neque enim ſine confeſſione emendationis queunt dimitti. Vnde rectè ſubiungitur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, &c.* *Li.18. decr. c.1.*

Accedit, quod Apoſtolus præmittit: *Et oratio fidei ſaluabit infirmum*, quæ verba non ad ſolas preces quæ fiunt à presbyteris vngẽtibus, referenda ſunt: ſed etiam ad iſtas quas abſolutioni præmittunt: Dominus noſter IESVS Chriſtus te abſoluat, &c. Meminit etiam Apoſtolus remiſſionis peccatorum, quæ virtute præſertim pœnitentiæ confertur. Inſuper, Presbyterorum eccleſiæ, quorum miniſterio, & à Chriſto eis tradita poteſtate, ſoluuntur peccata. Addendum poſtremò, quod hæc confeſſionis ſpecies iam à Chriſto fuerat inſtituta, & inter Chriſtianos vſitata, vt patet ex libris Clementis, Dionyſij, Irenæi, Tertulliani, &c.

Io. 20.

Act. 19.

Quod autem obiiciunt, *alterutrum* non ſignificare Sacerdotem, ante quingentos annos acutè diſſolutum eſt ab Hugone à S. Victore, dicẽte, Confitemini alterutrum, id eſt, non ſolùm Deo: ſed homo homini confiteatur, inter vos alter alteri, oues paſtoribus, ſubiecti prælatis, laici ſacerdotibus; hi qui peccata habẽt, his qui peccata dimittendi poteſtatem habent.

Li. 2. de ſacram. parte 14. c. 1.

Orate pro inuicem, vt ſaluemini, &c.

Hîc hortatur Chriſtianos ad mutuas preces, quarúm prædicat maximam eſſe vim ac vtilitatem. Illud autem & Deus omnipotens iubet & mutua caritas requirit. Hunc autem locum ſic explicat Author ſer. ad fratres in eremo, Valdè ſeruis Dei neceſſaria eſt oratio, per quam placatur Deus, & ad nos inclinatur. Adorauerat populus Iudaicus vitulũ, & ait Dominus Moyſi: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos.*

Ser. 22.

Exod. 32.

Cui

Cui Moyſes. *Quæſo Domine quieſcat ira tua, &c. Et ecce placatus eſt Dominus.* Moyſes orabat in monte:& Ioſue Amalech deuincebat per orationem. Per orationem Ezechias ſanatur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, doctor gẽtium, & prædicator orbis terræ. Obſecro ergo Fratres, *orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Obſecro, vt fiant orationes, poſtulationes pro omnibus, &c. Orans Ieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in ſterquilinio triumphat de diabolo, latro de cruce paradiſum inuenit, Suſanna à ſenibus defenditur, Stephanus de torrente in cælum ſuſcipitur, &c. Non eſt igitur locus, in quo orare non debeamus, quia Deus vbique eſt, vbiq; nos exaudire dignatur. Orate igitur & ſemper, & in omni loco, *& pro inuicem, vt ſaluemini.* Oratio ſancta eſt columna virtutum, deitatis ſcala, viduarum maritus, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, coniugatorum leuamen. Beatus qui te amat, ſed beatior qui te frequentat. Beatus qui te aſtringit, ſed beatior qui in te perſeuerat, &c.

Exod. 17. 4. Reg. 20. Act. 7. Iſac. 5. Tim. 2.

17. *Elias homo erat ſimilis nobis paßibilis: & oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.*

18. *Et rurſum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.*

Vt ad preces mutuas omnes accendat, illuſtriſſimo probat exemplo illarum vim maximam & incredibilem eſſe: atque ideo nunquam ina-

nes aut vanas fore coram Deo. Vult autem dicere. In promptu mihi ſunt, Chariſſimi, plurima argumenta & exempla, quibus demonſtrare poſſem mirabilem eſſe ſanctarum precum efficaciam: ſimulque omnium veſtrum animos ad illarum ſtudium inflammare. Samuel namque oratione ſua, velut cæleſti tonitruo fortiſ-
1.Reg.7. ſimum exercitum Palæſtinorum terruit ac diſſipauit. Ioſue Hebræorum imperator fortiſſi-
Ioſue 10. mus, breui, ſed valentiſſima prece, Solem velut immobilẽ ſtare coëgit. Sara, Rebecca, Rachel, Anna, Elizabeth, natura ſteriles, precibus votiſque fœcundæ factæ ſunt. Moſes orationibus, aquas in ſanguinem, ſanguines in aquam, virgam in draconem, draconem in virgam, lucem in tenebras commutauit. Diuiſit mare rubrum in diuiſiones. Petram conuertit in ſtagna aquarũ, &c. Verùm, his prætermiſſis, vnicum illudque clariſſimum veſtris animis me-
3.Reg.17. ditandum obiiciam: nimirum de Elia ſummo Diuinæ legis zelatore. Ille orando tam potens fuit, vt penè ipſum Deum propter Achab, Ieſabelis, ac totius populi peccata iratum, ſibi obtemperare coëgerit. Nam oratione ſua ipſum cælum, ipſas nubes, ipſum aërem, ipſam terram cum fructibus ſuis, ne dicam illorum & omnium creatorem & rectorem, ita ſibi deuicit: vt pluuiam cùm voluit cohiberet, & cùm voluit, exhiberet. Semel oratione ſua cælos, veluti firmiſſima ſera clauſit tres annos & menſes ſex: rurſum aperuit, quãdo iuſſit abundantiſſimas pluuias terris infundere. Quid

ergo incredibile, quid mirum, ſi multorũ ſanctorum precibus placatur Deus, cùm ad vnius votum tam ſtupenda & mirifica fecerit?

Præoccupatione porrò vtitur Apoſtolus, ſoluens quod obiici poterat ab his, qui excuſationes quærunt in peccatis, negligentes ſunt in precibus. Ne ergo trepidaret noſtra fragilitas, inquit Beda, reputans ſe Prophetæ ſimilia non poſſe facere, conſultò B. Iacobus de eius oratione dicturus orationem temperauit dicens: *Elias homo erat ſimilis nobis*, ὁμοιοπαθὴς, id eſt, ſimiliter affectus, ſimilibus affectibus obnoxius. Homo nãque erat, tametſi nulli hominũ virtute ſecũdus. Eiuſdem nobiſcũ ſpeciei & naturæ, licet maiori ſanctitate præditus. Similis nobis carnis origine. Patibilis & mentis & corporis fragilitate. Nam quod carne patibilis eſſet, à Sarephthana vidua victum petendo mõſtrauit. Quod mente quoque pateretur oſtendit, cùm poſt redditas terris aquas extinctóſque Baaliticæ hæreſis miniſtros, vnius mulierculæ minis exterritus, per deſerta fugit. Nemo igitur dicat, Non ſum ſanctus vt Elias, non ſum propheta, non angelus: ſed homo peccator, variiſque paſſionibus obnoxius: & idcirco ſic orare non poſſum. Elias enim & filius Adæ, his quoque præditus affectibus, quibus & nos. Quia verò magna in Deum fiducia, eximioq; ſalutis proximorum zelo ſupplicauit, ea impetrauit, quæ hominibus videbantur impoſſibilia.

Ex his primùm obſerua, Sanctos non fuiſſe ſuperioris à nobis naturæ, aut alterius ſubſtan-

tiæ:ideóq; nos coram Deo fore inexcuſabiles, ſi virtutes eorum nõ fuerimus pro viribus imitati. Sic enim Abel virgo, ſacerdos, & martyr, eodem fuit cum Caïno ſanguine cretus. Sem & Cham, Iſmael & Iſaac, Iacob & Eſau iiſdem parentibus geniti ac educati, &c.

Hinc etiam cerne quàm grati Deo ſint Sancti, ac efficaces eorũ preces, etiam cùm adhuc hîc nobiſcum degunt & peregrinantur infirmitatibus humanis circundati, & de propria ſalute ſoliciti. Quanto magis cùm omnino liberi, in caritate firmati, Diuino vultu perfruũtur? Vide b. Hieronymum duobus libris aduerſus Vigilantium.

Inde, Sanctorum res præclarè geſtas exemplàque & priuatim & publicè prædicãda, ſcribenda, & meditanda eſſe: vt his ad ſimilem fidem, vitam, pietatémq; imitandam excitemur.
Heb.13. *Mementote præpoſitorum veſtrorũ, &c.*

Ad hæc, Eliæ exemplo, licere nobis zelo iuſtitiæ Deum inuocare aduerſus improbos & apoſtatas, vt rebus aduerſis, veluti ſiccitate, fame, morbo, illos hîc puniat, vt ad meliorem mentem redeant, deſinant inſanire, tandémq; *Pſ. 82.* in æternum ſeruentur. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum. Erubeſcant, & confundantur, & cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, &c.*

Demum, diſcamus afflictis & pœnitentibus compati: totóque pectore pro illis Deo preces offerre, ſicut fecit Elias, cùm vidit Iſraëlis deſertores ad cor rediiſſe.

19. *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate,*
20. *& conuerterit quis eum: ſcire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Totum caput ac Epiſtolam claudit hac ſuauiſſima planeque euangelica exhortatione, de reducendo in viam veræ fidei & pietatis proximos, qui ab illa per errores & vitia deflexerint: confirmans huic labori ac ſtudio eximia præmia apud Deum repoſita eſſe. Quaſi dicat. Magnum & præcellens putatur, Fratres, ſi quis precibus ſuis à morte corporis alium ſuſcitauerit, vt quidam prophetarum & Apoſtolorũ feciſſe leguntur. Sed longè maximum ac planè Diuinũ eſt, ſi animam à peccatis, ira Dei, damnationéque perpetua liberet. Quare ſi contigerit aliquem veſtrum, vel ignorantia, vel falſa veri ſpecie, vel fraude hæreticorum, à fide catholica & apoſtolica aberrare: nemo hũc conuitiis exagitet, nemo de eius conuerſioné & ſalute citò deſperet: ſed huc omnes conatus ſuos cõuertat, vt eũ reducat ab errore. Nam quiſquis hoc præſtiterit, Deũ in primis magno ſacrificio demerebitur, qui nõ vult mortem peccatoris: deinde, fratris animã, omni theſauro regnóq; pretioſiorem, eripiet à gehenna: Chriſtus denique huic viciſſim peccata condonabit. Cauete igitur, ne veſtra negligentia pereant animæ, quas æternus Dei filius homo factus propria morte redemit: quarúmq; ſalutẽ in manu veſtra repoſuit. Cauete ne veſtrũ miniſterium

ac obſequium in re tam præclara Deo denegetis. Cauete, ne tantis præmiis vos indignos reddatis.

Hîc primùm aduerte, opus quidem Dei eſſe, animos hominum à ſui cognitione cultúque auerſos, ad ſe cõuertere: ſed quia hominum ad hoc vtitur linguis, concionibus, adhortationibus, ac exemplis, his vt organis eius opus tribuitur. Hoc ſenſu Chriſtus dicit, fraternè cor-

Matth 18. ripientem *lucrari fratrem ſuum.* Et Paulus ſcribit, Timotheum *ſeipſum ſaluum facere, & illos*

1. Tim. 4. *qui eum audierint*, ſi ſtrenuè quod ſuum erat exequeretur. Idem quoque adfirmat, vnũquemq;

1. Cor. 3. propriam mercedem accepturũ, eo quòd Dei adiutores & cooperatores ſumus. Errant igitur fœdiſſimè & pernicioſiſſimè Hugnoſtici, & cùm negant efficacitatem quandam ad bona opera voluntati noſtræ ſupereſſe: & cùm Sanctorum honorificis titulis inuident: & cùm è contrario, illos ignominioſiſſimè proſcindũt

Iac. 5. & calumniantur. Aſſerit enim Apoſtolus, pios Chriſtianos peccatores conuertere, animas ſaluare à gehenna, & peccata operire.

Palam etiam huic Apoſtoli ſententiæ contradicunt, docentes, *hominem nunquam à fide ſemel ſuſcepta poſſe aberrare, vel deficere:* quandoquidem nullus poſſet excidere à veritate: ſicque nullus poſſet alium conuertere, vt hîc per D. Iacobum præcipit Spiritus ſanctus. Sic igitur nec Iſraelitæ vnquam à fide ad idololatriam defeciſſent, nec Simon, nec Nicolaus, nec Ebion, nec Cerinthus, nec Demas, nec

Hermogenes, nec Philetus, nec Hymenæus, *1. Tim. 1.*
nec alij vnquam à fide naufragaſſent. Chriſtus *Luc. 22.*
fruſtra rogaſſet ne deficeret fides Petri, &c. De
hoc copiosè egimus in Dialogis.

D. AMBROSIVS ex hoc D. Iacobi loco do- *Com. in c.*
cet, quòd ſicut is qui errantem cõuertit, valde *5. Gal.*
remunerandus eſt, ita & qui recta incedentem
via, iter in deuium cogit flectere, grauem dam-
nationem conſequetur. Confirmatur ex his
Pauli verbis: *Qui conturbat vos, portabit iudicium,* *Gal. 5.*
quicunque fuerit. Hoc vtinam ſerio ſecum reco-
gitarent hæreſeon miniſtri, horúmque fauto-
res quicunque ſint illi.

BEDA venerab. hîc quoque obſeruat, con-
uerſionem errãtium non ſolùm loquendo, ſed
& plerúmque bene agẽdo perfici. Nam ſi quis
lingua tacente, proximis bona exempla de-
monſtrat, officium doctoris exequitur: & hic
promiſſam ab Apoſtolo mercedem conſequi-
tur. Luceant ergo bona opera noſtra coram *Matth. 5.*
hominibus, vt glorificent, &c.

S. DAMASCENVS hunc D. Iacobi locum *l. 1. paralle-*
vſurpat, tum vt doceat, Remiſſionem peccato- *lorũ, c. 48.*
rum multis modis homini contingere poſſe: *& l. 3. c. 45.*
tum vt ſuadeat aberrantem non confeſtim ab
Eccleſia expellendum eſſe, ne arreptum eum
diabolus ſibi pœnitus aſciſcat: ſed prius admo-
nendum, obiurgandum, increpandum, non
ſemel duntaxat, ſed iterum ac tertiò.

ANT. MELISSA hinc quoque, ac D. Baſilij *Ser. 17.*
teſtimonio elicit, De nullo improbæ vitæ ho-
mine deſperandũ eſſe: quoniã ſicut agricultura

plantarum qualitates immutat, ſic animæ cultus per virtutem adhibitus, omne genus ægritudinis ſuperare poteſt.

Epiſt. 203. S. BERNARDVS eandem D.Iacobi ſententiam explicans, docet, Errantes citius emendandos, ne non ſoli errent: ſed multos poſt ſe trahant, ſuo exemplo. Eos autem qui poterunt reuocare, nec reuocabunt, eodem errore inuolui Annunciate ergo, inquit, peccatori opus eius, ne ille in peccato ſuo moriatur: ſãguinem verò eius, de manu veſtra requirat, qui ſuo eum redemit ſanguine pretioſo. En de cælo clamat: *Virgo Iſraël corruit, & non eſt qui ſubleuet eam.* *Amos 5.* Quouſque in luto aurum iacet? Tollite margaritam, leuate precioſiſſimam gemmam de ſterquilinio. Leuate eam, antequam porcorum. i. immundorum ſpirituum pedibus conculcetur.

Habent denique pij paſtores, doctores, & præcones verbi Diuini ex hac D. Iacobi ſententia, quo ſe conſolentur in laboribus, & animos excitent ad potiora ſemper ſtudia cõuertendi eos, qui vel in fide vel in moribus aberrauerint. *Dan. 12.* Nam & animas eorum ſaluant à morte: & ſibiipſis gloriæ lucidiſſimas contexunt coronas quibus fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ad quas Chriſtus IESVS ſua nos miſeratione perducat. *Amen.*

[library stamp]

RERVM QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR memorabilium Index.

A.

ABRAHAM *pauperes quærebat & rogabat,* 259. *Non ſola fide iuſtus.* 271. *Iuſtus antequam filium immolaret* 273. *fides eius fuit eximia, & propoſita ad imitandum* 276. *Pater Judæorum & Gentium* 277. *fides eius coniuncta obeditioni* 278. *Eadem fides eius cum noſtra* 280. *Dei amicus* 281. 283. *fides eius conſtantiſſima* 282. 283. *hæc valdè proficit illi.* 283

Acceſſus ad Deum, & eius maxima vtilitas. 436

Aduerſa, ſtimuli ſunt Chriſtianis ad orationes 546. 548. &c.

Adulatores coarguuntur 81. 332. 339. 342

Adulteri tam mente quàm corpore, damnati. 415

Adulteriorum ſpecies duplex 416. *plures* 418. *Adulterium ſpiritale quomodo committatur.* 417

Alexandri ira multis exitioſa. 165

Altaria Chriſtianorum. 205

Amicitia huius mundi aduerſatur Deo. ideo fugienda. 421

Angelorum modeſtia 17. *horum operâ Deus multos erudiuit* 60. *Nobis inſeruiunt: & Chriſtum hominem adorant.* 151

Animus improbis cupiditatibus indulgens, inexplebilis eſt. 407
Annulorum varius vſus, & abuſus. 213.214.215
Apoſtoli ſcriptis ſuis afflictos Chriſtianos confortauerunt 27. *Curam in primis habuerunt de Iudæis ad fidem vocandis* 29. *Præſentibus & abſentibus prodeſſe ſtuduerunt* 29. *Cœlitus edocti* 61. *Fratrum loco mos habent* 84. *Confirmati in gratia* 304.305
Apoſtatarum exemplis patet, perſeuerantiam in fide eſſe donum Dei. 72.73
In Aquis plurima Dei mirabilia. 140.141
Arbitrij quædam ſupereſt homini libertas, quæ non poteſt ab ipſo diabolo compelli ad peccandum 435. *Arbitrij humani vires* 439. *libero Arbitrio Dei gratia neceſſaria.* 439
Areopagitarum in iudicando mos laudabilis. 197
Arma ſpiritalia aduerſus Dæmonum ſuggeſtiones, quæ. 391
Arrogantia quorundam arguitur. 17
Athenodori memorabile documentum. 165
Athei in aulis principũ, & cœtibus hæreticorũ. 261
Auarorum vitia, damnata 474.475. *In Auaros exprobratio amara* 490. *Increpationes* 491.492. *Eorum fraudes, violentiæ, rapinæ.* 492.497
Auditus, auréſque, donum Dei 153. *hic ſenſus plurimum valet* 154. *Eodem benè vtendum.* 154.155
Aulicorum concupiſcentiæ. 384
Aurelianus volens damnationi ſubſcribere Chriſtianorum, morte percutitur. 35

B.

B*Aptiſmi ſacramentum efficaciſsimum* 148. *cum ſacris ritibus celebrandũ* 212. *Baptiſteria ſuon-*

dam in templis ornatiſſima. 206

Beatitudo duplex. 98

Beatus in hoc ſeculo ſimul & in altero nemo poteſt eſſe. 478

Bellum aliquando licitum & expediens Chriſtianis Principibus 392. *Bella, peccatorum pœnæ.* 396

Belli, Prælij, Pugnæ & Certaminis differentia 386. *Bellum iuſtum, quod* 388. 392. *Bellum Chriſtianis ſalubre, quod.* 390

Bellis nihil perniciosius, Dauid exemplo ſuo manifeſtauit 377. *Bellorum effecta. ibid. & incommoda* 378. *Belli etymon.* 385. 386. *Diuiſio* 386. *finitio.* ibid.

Belluæ multæ cicuratæ. 329

Beneficia creationis, regenerationis, & iuſtificationis. 146. 147. 148. 149

Bezæ fraudes manifeſtæ 9. & 10. *blaſphemia aduerſus ſanctitatem Dei* 108. *aduerſus omnipotentiam* 117. *aduerſus virtutum officia* 182. *de ſodomiis & ſcortationibus impudens gloratio.* 189

C.

Cacodæmonum doli. 433. 434

Cacodæmonum aduerſus moriturorum animas inſultus. 551. 553

Caluinianorum error circa leges Eccleſiaſticas. 459

Caluiniani libros anonymos, vel falſis titulis diuulgant 7. 8. 9. 10. *cur id faciunt* 11. *damnantur à ſymmiſtis Bullingero & Vvigando* 12. & 13. *errant contra bona opera* 52. *contra Sanctorum iuſtitiam* 52. *impij in Deum* 70. *contra doctrinam de vita*

æterna 104. Deum peccatorum authorem commi-
niſcentes, quàm horrendè blaſphement. 108. 109.
Deum cum Diabolo tentatore confundunt 115. 117.
Simonis magi ſectatores 125. errores de concupiſ-
centia 120. hoſtes bonorum operum 102. horum
cœtus impuriſsimi 188. 189. Arrianizant 234. re-
felluntur 238. ſecum pugnant. 256
Caritas ſumma virtutum 237. qui contra eam peccat,
in totam legem offendit 241. eſt vita fidei. 291
Carnis affectus orandi ſtudium perturbant 71. ad pec-
candum ſolicitant 122. 123. ad omne peccatum ca-
ro prona eſt 124. non tamen cogit liberum arbi-
trium. 124
Cauſa cur inter Deum & hunc mundum minimè con-
ueniat. 423
Cauſa cur non ſemper exaudiamur in precibus. 415
Cauſidicorum lingua & induſtria, venalis. 402
Cautiones in litibus adhibendæ. 404
Centuriariorum ingens mendacium. 204
Chriſti deitas aſſeritur 21. 22. Summa eius patientia
44. Perſeuerantes in fide coronat. 49. Beneficia in-
gratis exprobrabit in iudicio 65. Nos habet loco
fratrum 85. Quomodo tentatus per omnia 119. Ec-
cleſiæ ſuæ coniunctiſsimus 137. Eius notitia, do-
num Dei 177. A quadruplici ſeruitute nos libera-
uit 180. 181. Dominus omnium 199. Dominus glo-
riæ 200. 201. Author fidei noſtræ 280. Ad eum
preces dirigendæ 234. Nomen eius vnde dictum
334. Verè Deus & Dominus omnium 20. Refel-
luntur hoſtes deitatis eius 21. Qui patiuntur pro eo,
beati ſunt 90. Per eum omnia condita. 148
Chriſtianiſmus conſiſtit in praxi. 455

Chriſtiani praui quibus titulis ab apoſtolo Iacobo compellati. 418
Chriſtiano an liceat iudicio foróque publico aduerſus alium contendere. 399
Chriſtianorum officium, tum in aduerſis, tum in proſperis. 546. &c.
Cogitationibus ſordidis non immorandum 127. impura peccata ſunt 130. etiam his offenditur Deus. 123
Concionatoribus quæ ſunt maximè cauenda 157. horum onus quàm graue 294. idem periculoſum 302. 303. 345. quæ neceſſaria 347. à quibus præſertum vitiis cauendum. 349
Concupiſcentiæ, bellorum & ſeditionum fons 378. Concupiſcentia ſæuo tyranno comparata 379. Concupiſcentiæ deſideriorum frangendorum præcepta & exempla. 380
Concupiſcentiis malis reluctandum 128. 129. Non ſunt peccata ſine libero voluntatis conſenſu. ibid.
Conditiones duæ ſub quibus omnes operas ſuas facere decet Chriſtianos. 471
Confeſsio peccatorum, eius ſpecies, fructus & efficacites. 572. &c.
Confidentes in filiis hominum maledicti. 481
Conſolatio præcipua Chriſtianorum in quo conſiſtat. 524
Conſtantinus Imp. quantum à litigiis alienus. 401
Conuentus publici tum ſacri profani 202. in quibus locis fiebant 203. quibus ornamentis loci inſtructi 204. Quo tempore fiebant 210. Quid in his agebatur 211. &c.
in Conuerſione peccatoris tria ſemper concurrunt. 440

Conuiuia etiam ſanctis licita. 498
Cor, omnium bonorum & malorum officina. 442
Creatura omnis mutationibus obnoxia. 144

D.

Detractores coarguuntur. 298
Detractores, à piorum virorum conſortio exterminandi. 451
Detractor vacuus caritate 456. *Detractio quot modis committatur ibid. Eius fructus.* 461
Detractionis grauitas & definitio 450. 455.
Deus perſonis diſtinctus 22. 23. 140. *Comminationes eius nunquam vanæ. Curam habet piorum exulum* 30. *Aduerſa piis immittit.* 32. *Dulciſsimus piis animis* 37. *Multis de cauſis explorat fidem ſuorum* 41. 42. *Vnde cognoſcatur* 58. *Quatuor præſertim eius perfectiones* 60. 61. *Ad dandum magnificus* 63. *Quibus non improperat.* 64. *Iſraëlitis improperauit beneficia* 65. *De eius poteſtate & bonitate non dubitandum* 74. *Non eſt acceptor perſonarum* 99. *Neminem ſolicitat ad peccandum* 100. 112. *Orandus pro futuris peccatis auertendis* 106. *Non per ſe inducit in tentationem* 106. *Neminem deſtinat ad peccandnm* 128. *Immutabilis eſt* 140. 143. *Non eſt autor mali* 145. *Mirabilis in iudiciis* 225. 226. *Vnus eſt.* 267. *A nobis benedicendus.* 334. 335
Deus eſt lux, ſummum hominis bonum, in eo ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, eſt via, veritas, & vita. 436
Dei bonitas & ſeueritas. 436
Diabolus ſuaſor impatientiæ 45. *multos habet imitatores.* ibid.

Diaboli in cordibus hæreticorum efficacia 15. Tentando ſolicitat ad peccandum 115. Gaudet impuritatibus 167. Quomodo credere dicitur 166. 167. Accendit linguas improborum 348. Ab initio litium, diſsidiorum, bellorum auctor. 377

Diabolus à calumniis quibus homines continuò vexat, Calumniator dicitur. 432

Diabolus niſi permittente Deo lædere nos non poteſt 434. Solicitare & ſuadere poteſt: cogere, non ibid. Diabolus apoſtata. 435

Vocis, Diues, variæ ſignificationes. 508

Diuites qui coarguuntur 230. 231. Doctrinam Chriſti ſæpe deſpiciunt 232. Grauiter reprehendendi 233. Quid agere debent 83. 84. 85. Rarò boni viri. 88. humilitati ſtudeant 90. horum opes inconſtantes. 91. 92. 93

Diuitum vitia, dãnata 474. 482. fraudes, violentia, rapinæ. 492. 497

Diuitum peccata gulæ ac temulentiæ 497. Appetitus inordinatus rerum venerearum 500. Tyrannis & crudelitas 503. Definitio, & diuiſio. 506. 507

Diuitiarum plures ſpecies, caducæ, incertæ, vanæ. 481

de Diuitiis & diuitibus 506. Diuitiarum vſus, quis 514. &c. Diuitum, officia. 515. &c.

Donorum Dei tria genera 133. Quantum homini neceſſaria. 138. 139

Dubitantes de Dei poteſtate & bonitate, indigni ſunt qui ab eo exaudiantur 74. 75. Deum afficiunt contumelia 77. Multi hæſitantes. 79. 80

E.

Epiſtolæ huius auctor, auctoritas, hoſtes confutati, partes, vtilitates. Præfat. qua pietate legenda. 6

Epiſcopi thronus in templo 208. *Illi quatuor præſertim ſunt neceſſaria* 347. *Quibus maximè vitiis carere debet.* 349
Epiſcopatum pij viri recuſarunt. 208
Epulis Chriſtianis leges à Chryſoſtomo præſcripta. 499
Eraſmus de libellis famoſis Sacramentariorum grauiter conqueritur. 11.12
Eua condemnata, quia quem poterat ſuperare, ab eo ſuperata eſt. 435
Euangelica lex perfecta & libera. 179.180.181
Exaltatio Sanctorum. 86.87
Exempla plus mouent quàm verba. 529
Exploratorum operâ vti, longo vſu probatum. 393

F.

Faſtuoſi coarguuntur. 223
Felicitas impiorum breuiſsima. 95
Fides inexercitata langueſcit. 39. *conſtanter ſeruanda* 40. *hanc Deus multis modis examinat* 41. *debet eſſe feruens* 43. *Dubitationem non admittit* 71. *ſine hac nullus patet ad Deum acceſſus* 75. *in hac non decet hominem eſſe varium* 82. *habet ſuos gradus* 279. *eadem veterum Patrum cum noſtra* 280. *eius forma & vita eſt caritas* 291. *acceſſum parat ad Deum.* 68. *Orantes de quatuor reddit ſecuros. ibidē. triplex inuenitur* 260. *ſine operibus mortua* 261 *quædam fides vera, ſed non viua* 261. 262. *vera qualis eſſe debet* 173. *fidem ſolam iuſtificare, pſeudoapoſtolorum error* 252. 254. *his ſucceſſerunt Simon Magus, Gnoſticj, Baſilides, Eunomius, Lutherani, Hugnoſtici* 254. *ſibi ipſis repugnant* 256. *cum hac neceſſaria ſunt opera* 252. 256. 262. 265. 278. 279. *decem conditiones requirit, vt ad ſalutem ſufficiat*

ficiat 292. 293. à caritate poteſt ſeparari 254. quædam informis, alia formata 255.256. ſpes ei iungenda 268. donatur à Chriſto. 280
Fiduciarij coarguuntur. 14.30
Fraudium inter venditorem & emptorem fons. 464
Fœmineo ſexui donum martyrij conceſſum. 106
Fratres ſunt omnes Chriſtiani. 198

G.

Gaudia huius mundi, quàm ſint vana 444. Gaudia quæ à Chriſtianis procul abeſſe vult Iacobus Apoſtolus 446. Gaudium ſanctorum triplex. 447
Gaudium piorum & impiorum longè diuerſum. 38
Gloriam ex tormentis non referunt omnes qui patiuntur. 531
Gratia Chriſti per olei vnctionem ſignificata. 567
Gratia cœleſtis influxus neceſſarius ad animos pietate & virtutibus excolendos. 522

H.

Hæretici perſæpè nomina propria celant, vel mutant 7.8.9. ſunt beſtiæ lucifugæ 7. Scripturas deprauant 15. & 16. ſeditiones excitant 55. horum duo refelluntur errores 71. ſunt inſtabiles 76. duplices animo 80.81. in Catholicos ſunt crudeles 100. atheis abundant 261. exprobrandum illis 264. non habendi pro fratribus 265. quædam ex parte dæmonibus peiores 267. viri loquaces & garruli 270. doctrina apoſtolicæ palam contradicunt 276. fœdiſſimi eorum lapſus 284. viri ambitioſi 276. inter ſe pugnant 297. ignorantes 336. per varias ſectas diuiſi. 351
Hebræorum indicendi belli mos. 389
Hieronymus quo pacto concupiſcentiæ deſideria fre-

gerit. 380
Hieronymus ſobrietatis & continentiæ magnus aſſertor. 501
Hiſtoria quædam patrum lepida. 317.318
Homicidium omne, ſiue ſpiritale, ſiue corporale, coarguitur. 408
Homicidium, etiam voluntate committitur 503. homicidiorum tria genera. 504
Homo cæcus & ægrotans olei vnctione curatus. 567
Homines multi duplices animo 79. peccata ſua confiteantur, nō excuſent 110. multis modis tentant Deū 116.117. horum vita periculoſa 105. incōſtans & mutabilis 145. communis horum cæcitas 58. labores ſine Deo inutiles 58. 59. cogitationes vanæ ac tumultuoſæ 76. homo caput rerum creatarum 150. 151. huius eximia dignitas 152. Viator non omnino certus, an ſit in gratia 71. deprauatus cum brutis comparatur. 313. multis periculis expoſitus. 314.315
Hoſpitalitas nunquam ſua mercede caret. 289
Hoſtes inſidiis an liceat circumuenire. 394
Hugnoſticorum error circa Sanctorum virtutes, &c. 530
Humiles in quo debeant gloriari 83.84. in quibus vera humilitas conſiſtit 85. eius eximia merita 86. 87. humiliter de nobis ipſis ſentiendum & loquendum 16.17.38.61.
Humilibus copioſa datur gratia 427. id exemplis comprobatur. ibid. & 428.
Humilitatis definitio, & fructus duodecim. 448
Humilium orationes Deus libenter exaudit. 449
Hypocritarum deſcriptio. 269

I.

IAcobi tres quidam ſunt opinati.1.duo tantùm ſunt conſtituendi 2. Hic author Liturgiæ orientalium 3. filius Alphæi 3. cur minor dicitur 3. cur frater Domini 3. & 4. Iuſtus 4. Oblias 5. ob eius necem deſtructa Ieruſalem 5. primus illius Epiſcopus, geſſit officij inſigne 5. cathedra eius diu ſeruata 6. nobile martyrium eius 6. cur nomen Epiſtolæ præfigit 6.7. cur ſeruum ſe Chriſti dicat 14.15.16. ſumma eius caritas 38. hominem perfectum Deo ſiſtit 51. Chriſtianos etiam abiectos habet loco fratrum 84. Pauli doctrinæ non aduerſatur. 277. 281. humili genere dicendi vſus. 343

Imaginum vſus antiquiſſimus. 205

Impatientiæ ſuaſor diabolus 45. multos habet imitatores. ibid.

Impatientiæ effecta. 525

Impij ſi quando prauis deſideriis ſuis gaudent, breuiſſima eſt ea lætitia. 407

Impiis perire volentibus, nobis eſt conſulendum. 289

Impiorum vota Deus nonnunquam exaudit. 413

Inferorum ſupplicia diuerſa. 302

Ingluuies mortem multis accerſit. 501

Ingratitudo graue peccatum eſt. 241

Inuidiæ effecta & deſcriptio. 409

Ioſeph ſponſus Deiparæ continentiſſimus. 3

Ira quid ſit 158. Tres eius ſpecies 159. Indifferens ad vitium & virtutem 159. fuit etiam in ſanctis viris 160. Quando peccatum mortale 160. 161. hanc ſequuntur multa incommoda. 162.163.164

Iudæi corporis adulterio proclines. 416

Iudicij vltimi meditatio ſaluberrima 244. In eo non

erit iuſtitia ſine miſericordia 247. Nulla in eo cauillationes proderunt 248. Valdè horrendum eſt impiis. 249

Iudæi per totum orbem diſperſi. 25.26

Iudicium temerarium ſeu ſuſpicioſum, quod. 451

Iurare quid ſit 541. quot modis id fiat. ibid. Iuramenti genus duplex. 542

Iurare per cœlum & terram, quare prohibitum. 545

Iuſtificati, noui homines, & noua creatura vocantur. 146

Iuſtificatio duplex. 271.272.274

L.

ex Laboribus diteſcendi, modi plures. 512.513

Lacrymarum quæ de peccatorum contritione effunduntur, maxima vtilitas. 444

Leges & Iudices inſtituti vt ſuum cuique ius tribuatur. 403

Leges politicæ & eccleſiaſticæ Deum primũ autorem habent. 459

Lex Moſis grauiſſima 179. 180. Lex euangelica regalis 236.237. Peccata noſtra coarguit 239. Non eſt laceranda 243. huc conformanda ſunt noſtra conſilia 244 Dicitur libertatis. 246

Liberis ex adulterio natis vitam & progeniem breuiſsimam comminatur Deus. 417

Liberum manet hominis arbitrium 125. Indiget gratia Dei. 138.139

Lingua loquendíque facultas, donum Dei 156. Eius quatuor officia 156.157. Non eſt illa abutendum 157. Multa eius commoda & incommoda 306. 307. Verbo bifariam peccatur. 307.308. Prudenter moderauda 309. Multa eius vitia 302. Legiti-

mus vſus 318. 319. Cum igne comparatur 320. 321. Efficacitas eius 321. hæretica pernicioſiſsima 321. Tria præſertim huius incommoda 323. Eius mirabilis diſpoſitio 324. Multiplex vſus 325. Difficilè domatur. 329 330

Piorum Lingua vtiliſsima 334. Abuſus 336. Octo ſpecies improbarum Linguarum damnantur. 344

Litibus carere, beata vita mortalis pars maxima. 405

Litis etymon. 398. Differentia à iurgio. ibid. in Litibus cautiones adhibendæ. 404

Litigatorum miſeria. 402

Loci quidam ſacri 203. 204. honorificè adornati. 204. 205. Diſtincti abinuicem. 209

Loquacitas damnata 184. 185. Caſtiganda eſt 310. Multis modis ea peccatur 157. 158. 183. Multi per illam offendunt. 184

Luminaria quædam corporea, quædam ſpiritalia 141. Deum habent autorem 142. Quædam in templis accenſa. 206

Lutherus Scripturæ interpretandæ autoritatem ſibi ſoli arrogat. 371

Lutherus ſuum iactat cum ſatana conſortium 328. & inceſta ſcortationéſque ſuas. 382

M.

Magiſtratus honorandus. 236

Magiſtratui ſora & leges Deus reuelauit & probauit 458. tanquam vicarios conſtituit inter homines. 459

Malitia quid 167. Quatuor innititur. ibid. fons omnium peccatorum. 168

Manichæorum & Paganorum calumniæ. 532

Manſuetudo quid. 348

Manuum nomine quæ peccata deſignentur. 441
Marcionis in corrumpendis ſacris ſcripturis audacia. 15
Mare quàm irrequietum & tumultuoſum 74. *A Deo gubernatur.* ibid.
MARIÆ Deiparæ modeſtia 17. *Vbi manſit vſque ad diem migrationis.* 203
Martyres in morte exultabant 36. *Ad horum conſtãtiam plurimi ad Chriſtum conuerſi* 42. *Per hos creuit Eccleſia* 43. *Coronantur à Chriſto.* 103
Martyres non facit pœna, ſed cauſa 531. *Martyrum cultus.* 532
Materia delictorum noſtrorum nos coram Deo accuſabit. 489
Mercatorum præſumptiones, &c. deſcriptæ 464. *Mercatores vix Deo placere poſſunt.* 465.
Metaphoris vtitur Apoſtolus. 101.102
Miſericordia Dei non eſt ſine iuſtitia 247. *Dupliciter conſiderata.* 248. *huic innititur tota ſalus noſtra* 249.251
Modeſtia comparat authoritatem. 16
Modeſtiæ exempla. 370
Morum corrigendorum non alius quàm in hac vita datur locus. 480
Mulier à dæmoniis vexata, olei ſancti vnctione liberata. 567
Mundus cultores ſuos reddit immundos. 190
Murmuratio detractioni confinis. 456

N.

NEgotia œconomica tractare, non eſt peccatũ. 491
Negotiationis vitia. 465
Nomen proprium mutare non licet. 11.12
Nomen Dei duobus modis, inuocatur. 233
Noſcere ſeipſum debet vnuſquiſque. 460

Notariorum fraudes. 403
per aduerbium Nunc quid ſignificetur. 480

O.

Oblatio corporis & ſanguinis Chriſti 211.212
Occidi pro crimine ſuo, pro mundo, pro Chriſto, longè ſunt diuerſa. 103
Olei effecta. 561. quid ſignificet. ibid. &c.
Opera bona beatiorem faciunt hominem 181. non omnia opera ſunt peccata 238. operum triplex genus. 264. Illis ſerio eſt incumbendum 270. his homo iuſtificatur 259. ſunt ad ſalutē neceſſaria 171. 172. non ſunt peccata. 172.173.181
Operibus bonis aduerſantur heretici. 372
Orandum aſsiduè 46. Orationi fides iungenda 67. orationes infidelium, Iudæorum, hæreticorum non ſunt grata Deo 69. 70. Orandi modus 70. ſine heſitatione de Deo 78. oratio neceſſaria 138. Orationibus auertendæ ſunt malæ cogitationes. 127
Orabatur publicè in templis. 212
Orationis deſcriptio, ex Ant. Meliſſa. 548

P.

Paradoxon euangelicum 31. multa alia. 97
Paſtores multos eſſe oportet 295. munus tamen non ambiendum 295. concordes eos eſſe decet 296. malorum grauiſsima damnatio erit 299. 300. Paſtorum munus. 375. 377. 476
Patientia inter omnes virtutes, homini Chriſtiano maximè neceſſaria. 520
Patientiæ Deus ſummum exemplar 44. eſt neceſſaria 46. eius definitio 47. donum eſt Spiritus ſancti 47. viginti & ſex eius vtilitates numerantur 47. eiuſdem habitus 48. patienter omnia ferenda. 99

Patrum fides multis modis probata 44. *exẽpla eorum poſteris ſunt proponenda* 275. *peccata cur in ſacris referuntur.* 289

Pauperes aliquando virtutibus excellentes 224. *quidam nebulones* 228. *bonos contumeliis afficere, graue peccatum* 228. *non ſunt aſpernandi* 199. 218. *hos Deus ſuis donis honorat* 224. *ſunt iuuandi pro viribus* 251. *pro fratribus habendi* 258. *adhortationibus indigent* 259. *bella verba his nihil proſunt.* 260

Pauperum diuiſio. 506

Paupertatis duæ ſpecies 218. *quæ paupertas laudabilis.* 219

Pax cum omnibus habẽda 369. *Pax non eſt impiis. ibid.*

Peccata ex ignorantia non pœnitus excuſantur 56. *nec Deo, nec naturæ tribuenda* 107. *quàm abſurda ſequuntur, ſi Deo fuerint aſcripta* 108. 109. 110. *Oriuntur à concupiſcentiis* 122. *horum cauſa in nobis eſt* 103. *in his quædam gradatio* 126. *quantum ea deteſtatur Deus* 130. *non omnia ſunt æqualia.* 242

Perſecutiones ſunt comites pietatis & fidei 33. *harum rationes* 34. *ſunt ſalutares animis* 34. *non accidunt niſi Deo volente* 34. 35. *in his pij viri exultant* 35. *quomodo id fieri poteſt* 36. *quatuor harum vtilitates* 39. *ſunt conſtanter ferendæ* 96. *Catholici ab hæreticis perſequuti ſunt martyres.* 100

Peccati originalis reliquiæ ad quid relictæ in carne noſtra. 378. 379

Peccatorum omnium grauiſſimum, quod 472. *Peccatorum genera quatuor, quæ clamant in cœlos ad Dominum.* 493

Peccatorum quatuor genera damnata. 406

Pecuniarum ſtudium, infelix. 488
Perſeuerantia in fide omnino neceſſaria 48.49.50. donum Dei eſt 72. ſola coronatur 105. hanc Chriſtus à nobis requirit. 181
Perſonarum acceptio quid 193. quando peccatum mortale 194. etiam ab ethnicis damnata 197. quàm graue peccatum. 220.221.223
Peſtilentia quàm bello caſtigari maluit Dauid. 377
Pij in hoc mundo ſemper afflicti 101. aliquando etiam peccant. 340. 308.309
Pij plerunque petunt, & non accipiunt. 413.415
Pœnitentiæ varia & vera exercitia 443. Pœnitentia medicamento ſanantur omnia. 445
Pœnitentia vera & perfecta, in quibus conſiſtat 477. Eius deſcriptio. 478
Prædicatorum officium. 447
in Precibus regula Chriſtianis obſeruanda. 412
Profanorum & Epicureorum quorundam improbitas. 471
Pſalmodia quid ſit ex D. Antiocho. 548
Pugna verborum damnata. 410

R.

Raab initio gentilis & probroſa fuit 285. Meruit catalogo Sanctorum adſcribi ibid. Non ſola fide 286. ſed & caritate, & hoſpitalitate, & prudentia & pœnitentia iuſtificata 286. Eius mira conſtantia 287. Cur eius potius quàm Saræ propoſitum exemplum 287. Non tantum cauponaria, ſed & meretrix 288. Quid exempla eius docent 288. 289. Eccleſiæ typus 290. Quantum ab eius pietate nunc omnes recedant. 290
Religio vera in quibus conſiſtit 184.186. Vnde ſic appel-

latur 187. 188. pius miles, & agricola religioſus eſt 188. quare dicitur munda 188. officia eius 189. quid à nobis exigit 245. non conſiſtit in verbis 258. primum eius caput. 266

Rerum humanarum inconſtantia maxima. 463. 468

S.

SAcris hominibus an liceat bellis intereſſe. 396

Salus quæ aliis expetenda. 28

Salutationis officium non negligendum. 31

Sanctorum preces nõ aſpernandæ 60. 414. fuerunt aliquando peccatores. 308. 309

Sanctorum gaudium triplex. 447

Sanguinis eſus & vſus quare prohibitus à Deo. 409

Sapientia vera, quæ 54. A quibus petenda 55. 56. Donum eſt Spiritus ſancti 56. Sapientia mundi eſt fallax 90. Sapientia vera non eſt in hæreticis & ſuperbis 346. Quædam eſt celeſtis, alia terrena 352. Quatuor notæ falſæ ſapientiæ 353. Qui fructus eius 359. Sapientiæ celeſtis octo præcipui fructus. 367

Satanas quibus vincatur armis. 381. 382

Scriptura ſacra diligenter legenda & meditanda 57. Speculum eſt terſiſſimum 175. In eo nos intueri decet 176. Cunctis oſtentat lapſum generis humani. ibid. Peccata omnium hominum 177. Nemini blanditur. ibid. Nihil falſum continet. 282

in Scripturis ſacris nihil inaniter dictum. 423

Serui Dei ſumus multiplici iure 17. 18. Serui officia à multis neglecta 18. hæc ſeruitus cunctis regnis mundi præſtantior. 19

Serui emptitij, & pretio comparata, lege diuina probantur. 467

Seruos Dei fugere decet quaſtiones quæ generant lites. 399. 410
Spiritus vox, duplicem habet ſenſum. 421
Stephanus protomartyr diaconus D. Iacobi. 5
Studium rerum ſpiritalium ac diuinarum, unde ſit in nobis. 424
Superbia, peccatum planè diabolicum 429. Omnium peccatorum & criminum principium. 430
Superbo nil infirmius 427. Superbi à Deo continuò abiecti. 428
Surdus & mutus oleo ſanatus. 567

T.

Tempora duo, in quibus licet ſecus aliquid de aliquo dicere. 450
Temporalia bona Deus confert impiis. 78
Tentationis vox variè ſumpta 97. huius nomine quid ſignificat D. Iacobus 31. quædã tentationes oblectantes, aliæ coactæ 33. aliæ ſalutares 34. quædam probãtes, aliæ inducentes ad malum. 106. 115
Temporis craſtini incertitudo. 462
Theſaurus raptorum, auarorum, ira Dei ſempiterna. 490
Tranſgreſſor ibi maiori ſubiacet culpæ, vbi maius eſt donum ſcientiæ. 474
Trinitatis adorandum myſterium. 140. 141

V.

Vaſa ſacra & pretioſa in templis. 206
Verba non ſufficiunt ad pietatem. 208
Verbum Dei mites requirit auditores 168. ſalutem hominum operatur 169. Octo modis audiendum 169. 170. non eſt ſatis illud audire & credere 174. nihil falſum continet. 282

Veſtium Dominus vſum docuit 485. *Abſit ab eo faſtus arrogantia.* 486
Veſtium ſplendor non omnino damnatus. 216.217
Viduis & pupillis ſubueniendum. 190
Vnitas Chriſtiana. 297
Vvigandus Lutheranus damnat libellos Caluinianorum, anonymos. 12.13
Viſiones moriturorum terribiles. 551.&c.
Vita æterna datur pro laboribus 106. *eadem qua ex gratia* 103. *cur dicitur corona* 104. *non datur pro ſola fide* 104. *merces eſt bonorum operum.* 182
Vita humana cum rota comparatur 326. *valdè inſtabilis.* 327
Vita humana cum iugi & periculoſa militia comparata. 433
Vitæ humanæ breuitas, incertitudo, vanitas. 467.&c.
Vita mortalis tempus cum hyeme comparatum. 521
Vnctio moriturorum 554. *eius tres effectus* 555. *Vnctio infirmorum verè eſt ſacramentum* 557. *Illius vſus perpetuus in Chriſtianiſmo, ab Apoſtolis ad nos vſque ſeruatus.* 559. *Quatenus reiterari poſſit & debeat.* 569

Z.

Zelus quadruplex 350. *Zelus malus, damnatus.* 409

LOCI COMMVNES ACCVratius & copioſius diſcuſſi.

De autore & autoritate huius Epiſtolæ.	*Præfat.*
Caluinianorum ſcripta anonyma.	8.9.10
Iudæorum variæ diſsipationes.	24.25.26
Tentationum origo, ſpecies, effectus.	113.114.115
Religionis nomen, partes, officia.	187.188
Perſonarum acceptio.	193.194.195
Sacrorum conuentuum loca, ornamenta.	202.203
Annulorum vſus multiplex.	113.114
Bellum quid, quando iuſtum, vel iniuſtum, &c.	385
De litibus copioſè.	398
De diuitiis & diuitibus.	506.&c.
De iuramentis.	541.542.&c.
De vnctione infirmorum.	557.&c.
Confeſsio peccatorum duplex.	572.573.&c.

FINIS.

ERRATA CHALCOGRAPHORVM ſic córrigito.

PAgina 3. in margine, lib. aduerſ. Heluidium. pag. 1. in marg. Ep. ad Heronem. pag. 9, linea. 1. genuino. p. 13. l. 19. dilectione, 17. l. 22. Feliciſſimi. 19. 30. ſit pactum. 22. 18. fieret. 28. Rikelij. 25. 6. bellis. 30. 6. ſalutem procurabat. 10. conſuluerunt. 37. 9. dulceſcunt, 40. 25. ouium. 41. 3. annunciarti. 46. 18. propoſito, 52. 7. effectis. 31. perfectio. 53. 11. ambulant. 71. 21. an ſit in gratia. 73. 6. an odio. 81. 17. voluptatem conſectantur. 89. 28. hac nocte. 91. 22. velociter. 93. 21. concupiſcit. 94. 7. mundi huius. 8 admoueamus 95. 13. breuiſſima. 96. 7. & certitudine. 21. aut cæli. 102. 32. dicimus. 111. 15. inſana. 113. 8. quod eſt. 116. 1. contentus. 124. 26. nec præripere. 126. 15. ad externum. 127. 5. Beatus. 130. 4. effectus. 134. 9. effectus. 140. 17. teſtificatur. 141. 20. vox patris. 145. 25. Alludit. 147. 20. & in eodẽ. 156. 31. ſepiens. 161. 23. timorem. 163. in marg. Homil. de ira. 164. 31. Arreum. 214. 33. viro probo. 251. 8. exultare. 257. 5. ratiocinatur. 15. veſtitus. 261. 17. tumidi. 294. 5. idem. 299. 1. ſtatũ. 348. 1. quondam. 352. 17. effectus 385. 13. Liuio. 392. 3. ac vltionis. 363. 28. in ſuas. 375. 9. contendatis. 378. vlt. reliquiæ. 379. 2. deiectionem. 409 9. veneficiis. 417. 10. adiudicant. 421. 10. Minus te amat. 327. 3. ſanctiſſima. 429. 12. maior es. 433. 2. virtus. 435. 28. teſtimonium. 439. 13. Sed quod. 440. 13. gratiæ. 441. 9. appello. 443 32. poſtulat. 447. 4. de bono. 451. 1. conſulere. 463. 2. ancipitis. 464. 27. negotians. 470. 4. fœtor. 481. 32. egenis. 499. 17. cœptum. 509. 21. dedit. 512. 4. felix. 524. 15. ægritudines. 531. 28. adiudicatur. 545. 2. firmiorem. 547. 19. odiſque. 548. 2. glorioſè. 562. 3. infirmos. 8. relata 571. 13. Chriſtianus. 572. 8. noua. 579. 3. pandamus.

Digitized by Google